Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
40 A
38

V. 4. 3.
C. 1.

M

FASCICULUS TERTIUS
OPUSCULORUM
Quæ ad
HISTORIAM
ac
PHILOLOGIAM SACRAM
Spectant.

IN QUO CONTINENTUR

XI. *Johannes Vorſtius de Adagiis Novi Teſtamenti.*
XII. *E. Merilli notæ Philologicæ in Paſſionem Chriſti.*
XIII. *Wiſſenbachii notæ Nomico-Philologicæ in Paſſion.*
XIV. *Johannis Vorſtii Exercitationum Academicarum*
ΔΕΜΑΤΙΟΝ.

Omnia doctorum virorum judiciis recenſita, & concinnis indicibus aucta.

ROTTERODAMI,
Apud PETRUM VANDER SLAART.
M DC XCIII.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

XI.

DE ADAGIIS
NOVI TESTAMENTI
DIATRIBA,

Auctore

JOHANNE VORSTIO.

Clariſſimo Viro,

Dn. JOHANNI CASPARI
SUICERO,

Lingvæ Hebrææ, Græcæqve, in illuſtri Academia Tigurina Profeſſori,

S. P. D.

JOHANNES VORSTIUS.

C*Um aliqvot abhinc annis libri de Hebraiſmis Novi Teſt. aliqvam partem edidiſſem, ſvaviſſimis ad me miſſis literis hortabare me, Vir clariſſime, uti telam qvam cœpiſſem, pertexerem, ejusdemqve libri partem qvoque alteram in publicum extruderem. Qvo quidem tvo, & qvorundam item aliorum, qvi has literas amant, hortatu factum eſt, ut, cum curam iſtam ferè abjeciſſem, denuo eam ſuſciperem; ac*

Digitized by Google

JOHANNIS VORSTII

DE

ADAGIIS

NOVI TESTAMENTI

DIATRIBA.

CAP. I.

Qvam varia ex ſacris literis diſcere liceat. Unamqvamqve lingvam ſua ſibi propria adagia habere. Qvæ & appellationem ſortiantur ex ea lingva, in qva primum nata & uſurpata ſunt. Adagia N. T. qvia Hebraica ſunt, meritò & ad Hebraiſmos referri. Adagia eſſe vel integras enuntiationes, vel phraſes nihil enuntiantes.

EX ſacris literis præterqvam qvòd ea qvæ ad fidem Chriſtianam & ad ſalutem pertinent haurire licet, varia item alia cognoſci ac diſci poſſunt: perſecutiqve in iisdem alii ſunt alia. Qvidam naturalia, qvæ in ſacris literis perſcripta ſunt, ſeparatim congeſſerunt

Digitized by Google

ac illuſtrarunt. Alii qvæ ad rationem temporum & ad Chronologiam pertinentia ſacræ literæ habent, perſequuti ſunt. Eſt qvi novi Teſtamenti dialectos: ſunt qvi ſacrarum literarum tropos, aut ad rem Grammaticam pertinentia, congeſſerunt. Ipſi ſuperioribus annis novi Teſtamenti Hebraiſmos congerere atqve illuſtrare ſtuduimus. Nunc verò ſacrarum literarum & Adagia, non in univerſum, ſed ejus illarum partis, qvam vulgo novum Teſtamentum dicimus, congerere atqve illuſtrare animus eſt. Qvod qvidem ante nos Andreas Schottus atqve alii fecerunt: verùm fatentur illi, non tantùm ipſa veri nominis adagia, ſed varia qvoqve alia, qvæ adagiis qvodammodò ſimilia ſint, ſe congeſſiſſe. Qvæ etiam cauſa eſt qvod Schottus librum ſuum non *Adagia*, ſed *Adagialia*, inſcripſit. Cæterum neqve ipſos fontes, in qvibus Adagia novi Teſtamenti Hebraicè perſcripta ſunt, ac hodieqve legi poſſunt, adierunt; ſed ſatis habuerunt iſtorum Adagiorum ſenſum exponere; ac deinde ex Græcis ac Latinis Auctoribus nonnulla iis gemina adjicere. At nos ſola veri nominis Adagia, qvæ qvidem non adeò multa ſunt, perſeqvi conſtituimus; ſic ut ipſos illorum fontes demonſtremus; doceamusqve, Adagia iſta primum ab Hebræis uſurpata fuiſſe, qvibusqve in locis ipſis verbis Hebraicis conſignata ea reperire liceat. Idqve ut faciamus, ipſa ſuperioris cujuſdam inſtituti noſtri ratio nos monet. Nimirum aliqvot abhinc annos novi Teſtamenti Hebraiſmos congerere atqve illu-

illuſtrare ſtuduimus. Ad qvorum cenſum qvoniam ipſa qvoqve novi Teſtamenti Adagia pertinent, ipſius ſuperioris libri, qvem de novi Teſt. Hebraiſmis ſcripſimus, integritatis intereſſe videtur, ut eorum qvoqve qvæ dixi novi Teſt. Adagiorum impenſiorem aliqvam conſiderationem ſuſcipiamus. Et qvidni Adagia novi Teſtamenti in Hebraiſmis numeremus? Sanè Adagia iſta ſine ulla dubitatione Hebraica ſunt, & ex lingva Hebræa in qva primum nata, in Græcam, ac porrò in alias, tranſlata. Habet nimirum unaqvæqve lingva ut alias qvasdam formulas, ita & adagia ſeu proverbia ſibi propria. Et operam Viri docti tum veteres tum recentiores dederunt, ut præcipuarum lingvarum adagia in unum collecta cognoſci atqve legi poſſint. Græca qvidem ipſi veteres Græci collegerunt; ſed qvorum tamen plurimæ ac præcipuæ adagiorum συναγωγαὶ interciderunt; Ariſtotelis puta, Theophraſti, Cleandri, Ariſtidis & aliorum. Superſunt tantùm collectiones Zenobii ac Diogeniani; qvas Andr. Schottus unà cum Excerptis Suidæ & Heſychii vulgavit. Supereſt deinde Michaëlis Apoſtolii, non adeò antiqvi illius, opus παροιμιῶν, qvod ex ſcriptoribus ipſo antiqvioribus concinnavit. In Latinis Adagiis colligendis præcipuam operam poſuit Deſiderius Eraſmus; ſed ita ut Græcæ aut alterius originis adagia iis miſceret. Hebræa congeſſit Johannes Druſius; qvibus ſine dubio multa adhuc addi poſſunt. Sunt deniqve qvi & Arabica, aut aliarum lingvarum proverbia

collegerunt. Ceterum appellationem proverbia ab ea gente eaqve lingva ſortiuntur, in qva primum nata atqve uſurpata fuerunt. Terentius atqve Cicero qvamvis verbis merè Latinis ſcripſerint, *amicorum omnia eſſe communia:* tamen Cicero in lib. I. de Off. c. XVI. ſcribit, *eſſe ita in Græcorum proverbio.* Cujus rei cauſa hæc eſt qvod primi Græci in ſua lingva huiusmodi vocabula compoſuerunt, ex qvibus iſtiuſmodi ſententia oriretur. Dixerunt qvidem, Τὰ τῶν φίλων κοινά. Pari modo Orat, I. in Verrem idem Cicero ſcribit, *Aſpendium omnia intus canere, Græcis hominibus in proverbio eſſe.* Mera verba Latina ſunt *Aſpendius omnia intus canit*; & tamen ille ſcribit, *Græcis hominibus ita in proverbio eſſe.* Nimirum illud de cantu Aſpendii uſurparunt Græci, qvoties furem, qviqve ſuis commodis præter honeſtatem velificaretur, notare voluerunt. Aſconius in prædictam Orationem Ciceronis hac de re ita: *Difficile autem, qvod Aſpendius citthariſta faciebat, ut non uteretur utraqve manu; ſed omnia, id eſt, univerſam cantionem, intus & ſiniſtra tantùm manu complecteretur. Unde omnes, qvotqvot fures erant, à Græcis Aſpendii & citthariſtæ proverbio dicebantur; qvod, ut ille carminis, ita iſti furtorum occultatores erant. Valet hoc proverbium & in eos qvi multum inteſtinis commodis ſuis conſulunt præter honeſtatem.* Videſis & Zenobium; qvi in Centuria ſecunda Proverbiorum ex Zenone Myndio refert, ἐπὶ τῶν φιλοχρημάτων τετάχθαι τὴν παροιμίαν, *in avaros uſurpatum fuiſſe proverbium.* Porrò ut prædicta illa,

qvam-

qvamvis verbis Latinis expreſſa proverbia, *Græcorum* & *Græca* dicuntur: ita hoc proverbium, ***Si fuerit amicus tuus mel, ne devores eum totum***, qvamvis meris verbis Latinis expreſſum ſit, tamen *Arabum*, aut *Arabicum*, proverbium dicendum fuerit. Qvippe Arabes primi verba, qvæ eum ſenſum parerent, compoſuerunt; & qvidem iſta: اذا كان
ماحبك عسلالا تاكله كله

Sic & Auguſtinus Sermone XXIV. de verbis Apoſt. proverbium qvoddam *Punicum* vocat, & tamen verbis modò Latinis illud profert. *Proverbium*, inqvit, *notum eſt Punicum, qvod qvidem Latinè vobis dicam, qvia Punicè non omnes noſtis. Punicum enim proverbium antiqvum: Nummum qværit peſtilentia; duos illi da, & ducat ſe*, id eſt, abeat, diſcedat. Qvod idem proverbium in libro qvinqvaginta homiliarum, homiliâ decimâ, ſic exprimit: *Peſtilentia ante oſtium venit, & nummum qværit: duos illi da, & ducat ſe.* Peſtilentiam autem dicebant hominem litigioſum: à qvo pacem qvovis pretio redimendam eſſe Pœni iſtoc proverbio docebant. Qvo jure igitur ſuperiora illa adagia *Græca*, *Arabica*, atqve *Punica* dicuntur: eo jure & adagia novi Teſtamenti, qvamvis in hoc ipſo verbis Græcis expreſſa ſint, *Hebraica* dicenda erunt. Si qvidem primi Hebræi hujuſmodi verba compoſuerunt, ex qvibus ea, qvæ in adagiis novi Teſtamenti apparet, ſententia oriretur. Porrò qvoniam adagia novi Teſtamenti, qvamvis verbis Græcis conſigna-

ta ſint, tamen *Hebraica* dicendæ ſunt: non immeritò eadem & *Hebraiſmi* dicentur. Hac enim appellatione inſigniuntur vulgo omnia illa, qvæ in Græcis codicibus N. T. qvocunqve modo dictionem Hebræam ſapiunt: qvemadmodum qvæ in Latinis ſcriptis lingvam Græcam ſapiunt, Græciſmi dicuntur. Rectè autem Angelus Caninius in cap. IX. libelli de locis Novi Teſtamenti Hebraicis monet, *ut Græcorum proverbiorum ratio in Græcis ſcriptoribus qværenda ſit, ſic Hebræorum dictorum originem ex Judæorum petendam eſſe commentariis. Multas enim eſſe parœmias Judæis familiares, qvæ in aliis lingvis abſurdæ vel obſcuræ videri poſſent.* Qvoniam igitur adagia Novi Teſtamenti, ut dixi, omnino Hebræorum, & Hebraica adagia ſunt: nobis recenſere hæc atqve illuſtrare volentibus ad fontes præcipuè Hebræos recurrendum erit, ac demonſtrandum, in qvibus Hebræorum codicum locis adagia ipſis verbis Hebraicis conſignata legere liceat. Anteqvam verò rem aggrediamur, monendum adhuc, adagia eſſe vel phraſes tantùm, vel integras enuntiationes. Exemplum adagii qvod non integra enuntiatio, ſed modò phraſis ſit, eſt in eo qvod Cicero in Oratore ſcribit: *Non clypeum, ſed, ut in proverbio eſt, ſcopas, ut ita dicam, mihi videntur diſſolvere.* Item in illo qvod Orat. I in Verrem ſcribit, *iniqvitatem Verris in ore vulgi & in communibus proverbiis verſatam fuiſſe.* Illic adagium ſeu proverbium in ſolis verbis *ſcopas diſſolvere*; hic in ſolis verbis *iniqvitas Verris* conſiſtit. Atqvi verba iſta non

inte-

integram enuntiationem, ſed hujus modò partem conſtituunt. Enuntiatio, ut ex Logicis notum, erit tum demum, ſi qvippiam adjiciatur, dicaturqve *Hic ſcopas diſſolvit*, vel *Hic ſcopas videtur diſſolvere*, & *Iniqvitas Verris hæc eſt.* Deinde proverbii ſeu adagii qvod integram enuntiationem conſtituit, exemplum eſt in illo, *Summum jus ſumma injuria.* Hoc Cicero in lib. I. de Off. c. X. *tritum ſermone proverbium* eſſe ſcribit. Atqvi non illud phraſis nihil enuntians, ſed integra enuntiatio eſt. Nec aliter ſentiendum eſt de eo, qvod ſuprà itidem ex Cicerone memorabamus, *Amicorum omnia ſunt communia.* Jam integras enuntiationes adagia & proverbia dici poſſe Gerh. Joh. Voſſius non negat; verùm phraſin nihil enuntiantem eo nomine inſigniri poſſe, non concedere videtur. In IV. Commentarior. Rhetoricor. c. XI. n. VI. p. 213. reprehendit is Deſ. Eraſmum & Hadr. Junium, qvod inter proverbia ſeu adagia numerarunt illi talia, qvalia hæc ſunt, *Aſiatici mores*, *Græca fides*, *Punica fides*, *Crœſi divitiæ*, *Iri paupertas*, *Cyclopica vita.* Atqvi gemina prorſus hæc ſunt ei, qvod ex Cicerone proferebamus *Verris iniqvitas*; niſi qvod *Punica fides* dicitur pro *Pœnorum fides*, & *Cyclopica vita* pro *Cyclopum vita*, atqve ita adjectivum ponitur pro ſubſtantivo. *Iniqvitatem Verris* ait Cicero *in ore vulgi & communibus proverbiis verſatam fuiſſe*, id eſt, voces *Verris iniqvitas* apud Romanos proverbium fuiſſe. Nec alius generis plurima ſunt eorum qvæ inter παροιμίας ἐλλιπτικὰς apparent: ut Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα *Abydena illatio*,

prorſus illi, qvod ex Cicerone proferebamus, *Verris iniqvitas*; & alteris illis *Punica fides*, *Craſſi divitiæ*. Sed nunc ad ipſa Novi Teſtamenti adagia accedamus.

CAP. II.

De adagio ὡς κόκκος σινάπεως. Qvod qvibus Græcis ſimile ſit. Idem qvomodo habeat Hebraicè. Caulis ſinapi qvantæ magnitudinis fuerit in Palæſtina. De adagio ὡς ἄμμος τῆς θαλάσσης. Ex qvibus Hebraicis id expreſſum ſit. Item de adagio καθὼς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ.

PRimò igitur pro adagio Novi Teſtamenti habendum illud eſt, qvòd, ubi res perexigua deſignanda eſt, in Novo Teſtamento legitur ὡς κόκκος σινάπεως *ut granum ſinapi*. Verba Domini Matth. XVII. 20 ſic habent: *Si habeatis fidem ὡς κόκκον σινάπεως ut granum ſinapi, diceretis ſycamino huic, Eradicator, & plantator in mari, & obtemperaret vobis.* Satis apparet, mentem Domini hanc eſſe, ſi diſcipuli vel minimam fidem haberent, ipſos ea, qvæ verbis Domini exprimuntur, miracula facturos eſſe. Sed ipſum tamen illud ὡς κόκκος σινάπεως *ut granum ſinapi*, Andreas Schottus, cùm Adagia Novi Teſtamenti recenſeret, ac plurima qvoqve hujuſmodi, qvæ pro adagiis

habenda non ſunt, congereret, inter cetera non recenſuit. Deinde nec Gerhardus Joh. Voſſius inter adagia iſtud numeraverit; qvippe qvi Deſid. Eraſmum & Hadr. Junium reprehendit, qvod inter adagia illi numerarunt talia qvalia hæc ſunt, *nive candidior*, *Græca fides*, *Punica fides*. Sed huic in capite ſuperiore jam reſponſum eſt. Nobis ita videtur, omnes comparationes à certa perſona, gente, aut alia qvadam re petitas, qvas lingva qvædam peculiares, aut cum paucis communes, habet, in ejusdem lingvæ adagiis ſeu proverbiis habendas eſſe. Exempli gratia Hebræi comparationem habuerunt petitam à Nimrodo; ut, cum hominem ſtrenuum ac bellatorem deſignare vellent, dicerent, כנמרוד גבור ציד לפני יהוה *Ut Nimrod potens venatione coram Jehova*. Talis igitur comparatio pro adagio, & qvidem Hebræorum, eſt habenda: idqve ipſæ ſacræ literæ ſatis & ſignificant. Pari modo Græci comparationem habuerunt ab Aſpendio Citharista petitam; ut, cùm furem, aut qvi ſuis commodis præter honeſtum velificaretur, deſignare vellent, dicerent Ἀσπένδιος κιθαριστὴς *Aſpendius citharista*; vel paulò pleniùs, Ἀσπένδιος πάντας φορὰς ἐν τῷ ὀργάνῳ φέρει *Aſpendius omnia intus canit*. Atqve talis comparatio pro adagio, ſeu proverbio, & qvidem Græcorum, habenda eſt. Qvod ipſe Tullius, ut dixi, ſatis & ſignificat, qvod ſcribit, *Aſpendium omnia intus canere Græcis hominibus in proverbio eſſe*. Latini comparationem habuerunt petitam à Verre; ita qvidem, ut ſi hominem ini-

iniqvum deſignare vellent, dicerent, *Verris iniqvitas*. Qvæ qvidem comparatio itidem pro adagio ſeu proverbio, & qvidem Latinorum, eſt habenda. Qvod ipſe rurſus Tullius, ut dixi, ſignificat, qvod ſcribit, *Verris iniqvitatem in ore vulgi & communibus proverbiis verſatam fuiſſe*. Et hæ qvidem comparationes petitæ ſunt à perſonis ſingulis. Deinde & à totis gentibus aut civitatibus comparationes ducuntur; ut dicatur *Aſiatici mores*, *Punica fides*, *Græca fides*. Qvæ qvidem comparationes itidem pro proverbiis, & qvidem Latinorum, ſunt habendæ. Suntqve eæ ſimiles his qvas in capite ſuperiore recenſuimus Græcis, Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα *Abydena illatio*, Ἀγαθὰ Κιλίκων *bona Cilicum*, Ἀγορὰ Κερκώπων *forum Cercopum*. Deniqve ab animantibus qvoqve brutis; imò & ab inanimis, comparationes ducuntur. Dicunt exempli gratia Græci, Ἀγναμπτότερος βάτου αὔου *inflexibilior rubo arido*, cùm hominem moribus aſperum; & αἰγιθάλλου τολμηρότερος *paro audacior*, cùm hominem minimarum virium, ſed audaculum; & τρυγόνος λαλίστερος *turture loqvacior*, cum hominem loqvacem & garrulum, denotare volunt. Talia ſunt & Latinorum *nive candidior*, *teſtudine tardior*, & id genus alia. Et ponuntur in his per hyperbolen qvandam comparativi pro poſitivis: ut cum aliqvem inflexibilem, ut rubum aridum, dicere volunt Græci, rubo arido eum inflexibiliorem dicant; & cum aliqvem tardum ut teſtudinem dicere volunt Latini, teſtudine eum tardiorem dicant. Et

ſimile

ſimile fere his eſt adagium illud Novi Teſtamenti qvod omnium primum fecimus, ὡς κόκκος σινάπεως *ut granum ſinapis.* Si Græci, cùm rem perexiguam deſignare volunt, dicerent μείων κόκκου σινάπεως *minor grano ſinapis,* foret id ſuperioribus illis Ἀγαπλότερος βάτου ἄνου, αἰγιθαλοῦ τολμηρότερος, τρυγόνος λαλίστερος, ex aſſe geminum. Verùm non utuntur hic vocabulo comparativi gradus. Imò omnino non dicunt ſic, ut ex novo Teſtamento citatum eſt, ὡς κόκκος σινάπεως *ut granum ſinapis.* Qvod enim in Novo Teſtamento ita legitur, formatum id eſt more Hebræorum, qvomodo infinita qvoqve alia. Hebræi cùm rem admodum exiguam denotàre volunt, dicunt eam eſſe כחרדל *ut ſinapi,* & כגרגיר החרדל *ut granum ſinapis.* Cúmqve Salvator in ſermone ſuo talia Hebræa protuliſſet, Scriptores ſacri, cum cetera à Salvatore Hebraicè pronuntiata Græcè efferrent, illud item כגרגיר החרדל Græcè extulerunt, ſcripſeruntqve ὡς κόκκος σινάπεως. Qvocirca nec pro Græco, ſed pro Hebraico adagio habendum illud fuerit. Etſi enim vocabula ſunt Græca, tamen qvod ad rem admodum exiguam denotandam hæc ita conjunguntur, id non ipſorum Græcorum more, ſed exemplo Hebræorum factum putari debet. Sed ipſius locutionis Hebraicæ exempla ſunt producenda; ut qvam ſolenne ſit Hebræis, ut, ſi rem valde exiguam deſignare velint, dicant כחרדל *ut ſinapi,* vel כגרגיר החרדל *ut granum ſinapis,* evidenter appareat. Buxtorfius in Lexi-

co

co Talmudico; cum dixiſſet, חרדל *ſinapi*, & גרגיר החרדל *granum ſinapis*, apud Hebræos proverbialiter uſurpari de re minima, ſubdit deinde ex R. Moſis Maimonidæ Jad chazaka: *Qvicunqve comedit ſeorſim animalculum aliqvod immundum totum, is vapulat* ואפילו היתה פחותה מן החרדל *qvamvis minus ſit grano ſinapi.* Item ex eodem libro Maimonidæ: אפילו ראתה דם טיפה כחרדל *ſi viderit guttulam ſangvinis inſtar grani ſinapi.* Rurſus ex More Nevochim ejusdem Auctoris citat, qvod Auctor inter ſe opponat גלגל הכוכבים *ſphæram ſtellarum*, qvæ eſt בתכלית הגדול *extremæ magnitudinis*, & גרגיר החרדל *granum ſinapis*, qvod eſt בתכלית הקטנות *extremæ parvitatis.* Non eſt qvidem Moſes Maimonides Auctor adeò antiqvus; ſed facilè tamen ex his appareț, qvam ſolenne ſit Hebræis rem valde exiguam comparatione cum grano ſinapis deſignare: & hauſit ille ſine dubio locutionem iſtam ex ipſo antiqvioribus. Porrò qvia Hebræi, ſi rem admodum exiguam denotare vellent, cum grano ſinapis eam compararunt; eademqve hæc cum grano ſinapis comparatio abierat in proverbium: factum eſt, ut Salvator, cùm Eccleſiam initio exiguam eſſe, procedente tempore autem ſatis amplam fore, vellet dicere, eam grano ſinapis ſimilem eſſe dixerit. Verba Domini Matth. XIII. 31. Græcè expreſſa

preſſa ſic ſunt: Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔσπειρεν ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ. ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων. ὅταν δὲ αὐξηθῇ, μεῖζον τῶν λαχάνων ἐστί, καὶ γίνεται δένδρον, ὥστε ἐλθεῖν τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ. Qvibus verbis qvod de grano ſinapis in arborem excreſcente dicitur, id qvoqve lucem accipit ex codicibus Hebraicis. Nimirum in cap. VII. Peah Talmudis Hieroſolymitani Buxtorfius, & ante eum Junius & alii, obſervarunt hæc: מעשה בשיחין בקלח אחד של חרדל שהיו בו שלשה בדין ונפשח אחד מהן וסככו סוכת היוצרים ומצאו בו שלשת קבין של חרדל: *Fuit olim in Sichin caulis ſinapis, qui tres habuit ramos. Avulſus fuit unus ex illis, & tegebant eo tugurium figulorum, & inventi in eo ſunt tres cabi ſinapis.* Deinde in Cod. Ketub. Talmudis Babylon. fol. III. 2. eadem hiſtoria ſic proponitur: מעשה בשיחין באחד שהניח לו אביו שלשה בדי חרדל ונפשח אחד מהן ונמצאו בו תשעה קבין חרדל ועציו סככו בו סוכת יוצרין: Qvibus verbis dicitur amplius qvam ſuperioribus; videlicet novem cabos ſinapis ex una arbore ſinapi collectos fuiſſe. In prædicto loco Talmudis Hieroſolymitani R. Simeon ben Chalaphta ita loqvens inducitur, קלח אחד של חרדל הוה לי בתוך שלי והייתי עולה בו בעולה בראש התאנה

Cau-

Cauliculum ſinapis habui in horto meo, in quem aſcendi, ſicut aſcendere quis ſolet in ſummitatem ficus.

Superiori adagio, qvod qvidem ad formam attinet, ſimile eſt, qvod, ubi ingens qvidam numerus ſignificandus eſt, non ſemel in Novo Teſt. legitur *ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, ut arena maris*. Ut Rom. IX. 27. *Si fuerit numerus filiorum Iſraël, ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, ut arena maris, reliqviæ ſalvabuntur.* Item Hebr. XI. 12. *Qvare & ab uno generati ſunt, ὡσεὶ ἡ ἄμμος ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης ἡ ἀναρίθμητος, ut arena qvæ eſt in littore maris innumerabilis.* Rurſus Apoc. XX. 8. *Exibit ad decipiendas gentes in qvatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, ut congreget illos in bellum, qvorum numerus eſt ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης ut arena maris.* Scriptores Græci vulgares cùm ingentem qvendam numerum deſignare volunt, tali phraſi non utuntur. Dicunt potiùs ἀριθμὸς ἀπέραντος; ut Plato: vel ὅμιλος οὐ ῥάδιος ἀριθμηθῆναι, ut Philo: vel πλείους εἰσὶ τὸ πλῆθος, ὡς καὶ ἀριθμὸν διαφεύγειν, ut Baſilius: vel πλείους ἢ ἀριθμῆσαι, ut idem Baſilius loqvitur. Qvas qvidem formulas obſervavit, inqve ſuo de locutionibus Græcis libello congeſſit Jac. Billius. Pertinet huc item illud I. Macc. V. 30. λαὸς πολὺς οὗ οὐκ ἦν ἀριθμός. Dicunt qvoqve ἀναρίθμητοι, ut Latini *innumerum, innumerabile*. Xenophon lib. VII. Pæd. Cyr. παμπόλλους μὲν ἱππέας ἄγων, παμπόλλους δὲ τοξότας καὶ ἀκοντιστάς, σφενδονήτας δὲ ἀναριθμήτους. At illud ὡς ἄμμος τῆς θαλάσσης, qvod ad ingentem numerum deſignan-

gnandum in Novo Teſtamento ter uſurpatum vidimus, in aliis Græcis ſcriptis non invenias. Poëtæ aliqvid ſimile habent: ſed non prorſus idem. Homerus: φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισι. Item: Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Formarunt etiam vocabulum ψαμμακόσιοι; ad formam nimirum vocabulorum numeralium qvæ in κόσιοι deſinunt, ut τριακόσιοι, πεντακόσιοι. Stephanus ex Eupolide citat; Ἀριθμεῖν ϑεατὰς ψαμμακοσίους. Formarunt item vocabulum ψαμμακοσιογάργαρα: qvo qvidem vocabulo deſignarunt ea qvæ æqvè innumerabilia eſſent, atqve eſt arena, & ſeges montis aut civitatis Gargarorum. Ad qvod Poëta qvoqve Latinus alludit, cum ſcribit, *Gargara qvot ſegetes; qvot habet Methymna racemos.* Ceterum ſi maximè Poëtæ & Comici ipſum qvoqve illud ὡς ἡ ἄμμος τῆς ϑαλάσσης, haberent, nondum tamen id ſecuros nos reddere poſſet, qvòd ea locutio origine Græca, atqve adeò proverbium Græcum ſit. Qvippe genius cujuſqve linguæ, ut non ſemel in Commentario de Hebraiſmis Novi Teſtamenti monuimus, ex oratione potiſſimum ſoluta eſt æſtimandus. Atqvi in oratione ſoluta talia non obſervantur. Et, ſi maximè obſervaretur ὡς ἄμμος, tamen non obſervaretur ὡς ἡ ἄμμος τῆς ϑαλάσσης. In codicibus autem Novi Teſtamenti qvod phraſis ὡς ἡ ἄμμος τῆς ϑαλάσσης reperitur, non pro locutione & adagio Græco habenda ea eſt; ſed pro locutione & adagio Hebraico. Hebræi hoc habent, ut, cùm ingentem numerum deſignare inſtituunt,

dicant כחול הים *ut arena maris*. Exemplum Gen. XXXII. 11. *Faciam ſemen tuum* כחול הים *ut arenam maris*. Græci Interpretes verterunt ſic, θήσω τὸ σπέρμα σου ὡς τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης. Pari modo iidem Interpretes fecerunt Gen. XLI. 29. Συνήγαγεν σῖτον ὡς τὴν ἄμμον τῆς θαλάσσης. Et Joſ. X. 4. καὶ ἐξῆλθον αὐτοὶ καὶ οἱ βασιλεῖς αὐτῶν μετ' αὐτῶν, ὥσπερ ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης τῷ πλήθει. Rurſus I. Reg. IV. 29. Ἔδωκε Κύριος φρόνησιν τῷ Σαλομὼν καὶ σοφίαν πολλὴν σφόδρα, καὶ πλάτος καρδίας, ὡς ἡ ἄμμος ἡ παρὰ τὴν θάλασσαν. Expreſſerunt Interpretes verbum de verbo. Qvod niſi facere inſtituiſſent, eandem ſententiam aliis verbis exprimere potuiſſent. Habet autem textus Hebræus in omnibus iſtis locis כחול הים *ut arena maris*; vel כחול אשר על שפת הים *ut arena quæ eſt in littore maris*. Suntqve tam Græca iſta, qvam ea qvibus reſpondent Hebræa, pro proverbio Hebraico habenda. Apparet qvam ſolenne fuerit Hebræis, ut ingentem qvemdam numerum deſignaturi dicerent כחול הים *ut arena maris*. Sive enim magnus exercitus, ſive magna vis frumenti, ſive magna ſapientia, ſive deniqve aliud qvippiam magnum deſignandum eſſet, ipſa illa formula loqvendi uſi fuerunt. Qvod autem locutio hæc in adagiis ſeu proverbiis numeranda ſit, id ex his qvæ ſuprà diximus intelligi licet. Qvippe uſus ita fert, ut qvicqvid comparationum hæc vel illa lingva pecu-

liare habet, id pro lingvæ ejus adagiis habeatur.

Sed eſt in novo Teſtamento & alia comparatio, qvæ ingentem qvendam numerum deſignat; qvod videlicet legitur καθὼς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ τῷ πλήθει *ſicut ſtellæ cæli multitudine*. Locus eſt Hebr. XI. 12. *Propterea & ab uno generati ſunt, & qvidem jam emortuo*, καθὼς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ τῷ πλήθει, *ſicut ſtellæ cæli multitudine*, id eſt, tot numero homines, qvot ſunt ſtellæ cæli. Eſtqve hic ipſe ille locus in qvo & altera illa comparatio, de qva antea agebamus, comparet. Ceterum qvam noviſſimè produximus comparationem, æqvè ac alteram illam, Hebraicè in ipſis Hebraicis codicibus veteris Teſtamentum legere eſt. Ut Gen. XXII. 17. *Multiplicabo ſemen tuum*, i. e. ſubolem tuam, ככוכבי השמים *ut ſtellas cæli*. Item Exod. XXXII. 12. *Multiplicabo ſemen veſtrum*, i. e. ſubolem veſtram, ככוכבי השמים *ut ſtellas cæli*. Interpretes Græci: πληθυνῶ τὸ σπέρμα ὑμῶν ὡσεὶ τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ. Sic & Deut. I. 10. Ἰδοὺ ἐστὲ σήμερον ὡσεὶ τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ. Item X. 20. Ἐποίησέ σε κύριος ὡσεὶ τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ. Atqve his omnibus multitudo ſignificatur Iſraëlitarum. Reperitur tamen & ad alium qvendam numerum exprimendum uſurpata eadem comparatio. Ut Nahum III. 16. *Multiplicaſti mercatores tuos* מכוכבי השמים *præ ſtellis cæli*. Sed diſcrepant tamen hæc nonnihil à ſuperioribus. Cum enim ſuperioribus diceretur, numerum eſſe iſtum qvi ſtellarum cæli eſt, his proximis dici-

dicitur, numerum eo qvi ſtellarum cæli eſt, adhuc majorem eſſe. Qva ratione numerum itidem ingentem deſignatum eſſe intelligitur.

CAP. III.

De adagio κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος εἰσελθεῖν. *Ex qvibus Hebraicis id ſit expreſſum. Qvid vox* κάμηλος *hic ſignificet. Super lectione vocis* جمل *in Alcorano diſſenſum à Bocharto. Item de adagio,* διυλίζειν τὸν κώνωπα, κάμηλον δὲ καταπίνειν. Κώνωψ *qvid animalis ſit. Mos Hebræorum percolandi vinum.*

Porrò aliqvid adagii & in illo eſt, qvod Matth. XIX. 24. legitur: Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. Tantundem & Marc. X. 25. ac Luc. XVIII. 25. legitur; niſi qvod pro τρυπήματος apparet hic τρυμαλιᾶς. Qvod autem dicitur, *facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, qvam divitem ingredi regnum Dei*, ſenſus eſt, eorum neutrum fieri poſſe. Sic & Luc. XVI. 17. qvod dicitur, *facilius eſſe cœlum & terram perire, qvam ullum apicem legis*, ſenſus eſt tam hoc, qvam illud fieri neqvaqvam poſſe. Qvam ob cauſam & in Evangelio Matthæi idem hoc

expreſſum ſic eſt, *donec cælum & terra pereat, nullum apicem legis periturum eſſe.* Ceterum verba Evangeliſtæ, qvæ citavimus, non omnia pro adagio haberi poſſunt; ſed illorum modò aliqva; & qvidem iſta, Κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν *camelum per foramen acus tranſire.* Qvibus verbis, ut apparet, ἀδύνατόν τι ſignificatur. Sed non vulgares Græci tali locutione utuntur; ſed habent illi alia qvibus ad ſignificandum illud utantur. Qvod autem Scriptores ſacri tali locutione uſi ſunt, id ideo factum, qvòd ſimili Hebraica uſus fuerat Salvator. Eſtqve omnino phraſis, qvam dixi, pro adagio Hebraico habenda. Sane ex ipſis codicibus Hebraicis conſtat, Hebræos, cum aliqvid qvod vel difficulter, vel prorſus non fieri poſſet, deſignare vellent, dixiſſe, *elephantem non tranſire per foramen acus.* Primò in Codice Talmudico Berachot, fol. 55. col. 2. legitur ſic: תדע דלא מחוו ליה לאנש לא דקלא דדהבא ולא פילא דעייל בקופא דמחטא *Scias non vidiſſe qvemqvam neqve palmam auream, neqve elephantem, qvi intret per foramen acus.* Deinde in Codice Talmudico Bava-mezia fol. 38. col. 2. דילמא מפומבדיתא את דמעילין פיל בקופא דמחטא *Fortaſſe tu ex Pumbedita es, qvi introducunt elephantem per foramen acus*, id eſt, qvi impoſſibilia aut incredibilia præſtare poſſunt. Ergo phraſes proverbiales hic duæ ſunt, *elephantem per foramen acus tranſire*, & *elephantem per foramen acûs traducere.* Qvarum illa rem impoſſibilem; hæc rem impoſſibilem facere

ſeu

ſeu præſtare, ſignificat. Dicunt qvoqve הכנס פילא בקופא דמחטא *introducere elephantem per foramen acus.* Ex præfatione libri Zohar Buxtorfius producit hæc: אנחנו בשם אלהינו ראינו להכנס פילא בקופא דמחטא *Nos in nomine Dei noſtri commodum judicavimus introducere elephantem per foramen acus*, h. e. rem maximè arduam præſtare, vaſtum librum in minorem formam redigere. Sed in verbis illis Talmudicis non illud animal nominatur cujus in verbis Domini mentio fiebat; ſed mentio fit alterius vaſti animalis, & qvidem elephantis. Veriſimile eſt, Dominum, cum ejus, qva loqvebatur, lingvæ adagium uſurpare vellet, pro elephante camelum nominaſſe ideo, qvod hoc animal in Palæſtina, ubi Dominus ſermones ſuos habuit, altero illo notius eſſet; qvodqve æqvè ἀδύνατον eſt per foramen acus camelum tranſire, atqve eſt per idem tranſire elephantem. Sed putarunt qvidam, Dominum non animal, qvod Latini *camelum* dicunt, ſed *rudentem* & *funem nauticum*, nominare voluiſſe. Caſtalio ſanè audacter vertit: *Iterumqve hoc vobis dico, facilius eſſe rudentem per foramen acus trajici, qvam divitem in Dei regnum intrare.* Deinde in Annotationibus diſſerit ita: Κάμηλος *& camelum animal, & funem nauticum declarat, qvi rudens appellatur: qvod Græcum nomen paulum, ut fit, immutatum manet adhuc in Gallica lingua, in qva vocatur cable. Qvanqvam tum per jota ſecundam ſyllabam ſcribi vult Phavorinus. Sed ſive* κάμιλος *ſcribi*

 de-

debeat, ſive illud utrumqve declarat, non eſt dubium, qvin in ea notione accipi debeat, qvæ ſit ſententiæ convenientior, ne Chriſtum cogamus hic ineptiſſima ſimilitudine uti, cum ea poſſit eſſe aptiſſima, &c. Primò igitur ille pro certo ponit, κάμηλος utrumqve, & animal, qvod camelum dicunt, & rudentem ſignificare. Deinde qvia poſterior ſignificatio convenientior ſit ſententiæ, & ne Chriſtus ineptiſſima ſimilitudine uſus putetur, vocabulum κάμηλος hic pro rudente accipiendum cenſet. Qvorum illud, qvod de ineptiſſima ſimilitudine dicit, ſanè non magni momenti eſt. Etſi enim camelus ab ea re qvæ per foramen acus tranſmitti ſolet, id eſt, à filo, magis diſcrepat, qvam rudens: tamen verum qvoqve per ſe eſt, camelum per foramen acus tranſire neqvaqvam poſſe. Accedit qvod conſtare poteſt, Hebræos, ſi ἀδύνατον qvoddam deſignare vellent, tali formula omnino uſos fuiſſe, qva dicerent, vaſtum animal, & qvidem elephantem, per foramen acus non tranſire. Si igitur prædicta illa Hebræorum locutio inepta habenda non eſt: Chriſti item habenda talis non erit; ſi maximè pro elephante camelum nominaſſe is putetur. Ceterum qvod Caſtalio de duplici vocis κάμηλος ſignificatione tradit, id ex Theophylacto & Euthymio hauſit. Qvorum ille hac ſuper re ita ſcriptum reliqvit: Τινὲς κάμηλον φασὶν ἐνθάδε οὐ ζῶον, ἀλλὰ παχὺ σχοίνιον πρὸς τὰς ἀγκύρας ἐπιτήδειον. Qvod deinde de diverſa vocabuli ſcriptione ex Phavorino tradit, idem ex paulo qvoqve antiqvioribus Suida & Scholiaſte Ariſtopha-

ſtophanis proferre potuiſſet. Hi enim vocabulum, qvod rudentem ſignificet, ab altero qvod ſignificat camelum, aliqva re differre, & qvidem per Jota ſcribi, cùm alterum per Eta ſcribatur, tradunt. Suidas: Κάμηλος τὸ ἀχθοφόρον ζῶον. κάμιλος δὲ παχὺ σχοινίον. Secundum Suidam igitur & Scholiaſten Ariſtophanis, ſi in prædictis verbis Domini non de camelo, ſed de rudente agi credendum ſit, ab Evangeliſtis non κάμηλον, ſed κάμιλον per Jota ſcriptum credi oportebit. Atqvi omnes omnino codices habent κάμηλον. An autem κάμηλος per Eta ſcriptum non tantùm camelum, ſed & rudentem ſignificet, in dubio adhuc eſt. Theophylactus & Euthymius non tam qvid ipſi ſenſerint, qvam qvid dixerint alii, prodiderunt. Sed mirum tamen, qui fieri potuerit, ut qvidam hoc ita dicerent; qvamqve ejus rei cauſam habuerint. An ejus ſignificationis, qva vocabulum ſignificet rudentem, exempla producere habuerunt ex antiqvioribus? An verò ſuſpicio inde tantùm orta, qvod ei, qvod per foramen acus tranſmitti ſolet, minus diſſimilem rudentem, qvam camelum eſſe ſcirent? Illud qvoqve mirum, qvod vox Arabica جمل utrumqve & *camelum*, & *rudentem*, ſed diverſis tamen affecta vocalibus, ſignificat. Nam per duplex Fatha ſcripta *camelum*; at per Dſamma & Fatha, vel adhuc aliter ſcripta, *rudentem* ſignificat. Et facilè aſſentior Bocharto putanti à voce Arabica, qvatenus ea rudentem ſignifica,

cat, ortas eſſe Hiſpanicam *gumena*, Italicam *gomena*, & Gallicam *gomine*. Vide partis I. lib. II. cap. IV. Ἱεροζωϊκοῦ ipſius. Qvod autem idem Auctor putat, Muhammedem qvoqve in Alcorano, ubi ad proverbium, qvo Dominus uſus eſt, alludit, non camelum, ſed rudentem nominare voluiſſe, fallitur. Scribit ille prædicto loco, camelum in verbis Alcorani intelligere tam Latinum Interpretem veterem Petrum Cluniacenſem, qvam Gallicum nuperum, Andream du Ryer; ſed utrumqve perperam id facere: qvia in textu Arabico vox, qvam dixi, non per duplex Fatha, ſed per Dſamma & Fatha legatur. Jam inſpexi binos codices Alcorani, qvos celeberrima Bibliotheca Electoralis Brandenburgica elegantiſſimè ſcriptos habet, obſervaviqve prædictam illam vocem جمل non per Dſamma & Fatha, ſed per duplex Fatha in iis ſcriptam eſſe: ut mirer, virum ſummum de textu Alcorani planè diverſum prodidiſſe. Neqve enim veriſimile eſt codices Alcorani hic diſcrepare, ſummumqve Virum aliqvem inſpexiſſe, qvi aliter, qvam prædicti duo codices Electorales, habeat. Sed fortaſſe non ipſum Alcoranum inſpexit ille; ſed fide Lexici Alcamus id ita ſcripſit. Cùm enim de lectione per Dſamma & Fatha dixiſſet, ſubjicit deinde: *Unde eſt qvod Alcamus etiam legit* حتى يلج الجمل *&* *explicat* المقدمت حبل *rudentem navis:*

ris. Ceterum prædicta illa verba Alcorani qvibus ad verba Domini alluditur, hæc ſunt:

ان لا عنها واستكبروا بايأتنا

كذبوا الذين يدخلون ولا السماء

ابواب لهم يفتح * الخياط سم

في الجمل يلج حتى الجنة *Quo-*

niam qvi mandata noſtra inficiantur & contra ea ſe efferunt, non aperientur illis portæ cælorum, neqve in paradiſum ingredientur, donec ingrediatur camelus per foramen acus. Voluit & impoſtor ille ἀδύνατόν τι notare. Et potuiſſet id facere ad eum modum qvo fecit Chriſtus; ut diceret, *facilius eſſe camelum ingredi per foramen acus qvam eos qui mandata ipſius inficiantur, in paradiſum ingredi.* Verùm dixit potiùs, *eos, qvi mandata ipſius inficiantur, non intraturos in paradiſum, donec camelus ingrediatur per foramen acus:* atqve ita uſus eſt tali formula, qvali verba Domini à S. Matthæo exprimuntur. Nimirum, cùm S. Lucas, ut ſuprà dixi, verba Domini expreſſerit ſic, *Facilius eſt cælum & terram perire, qvam ullum apicem legis*, S. Matthæus eadem expreſſit ſic, *Donec cælum & terra pereat, non peribit ullus apex de lege.* Ita dicunt qvippiam non factum iri, donec aliud qvippiam fiat. Et qvia hoc non factum iri facilè intelligitur, alterum item non factum iri colligendum inde eſt. Provocat etiam Bochartus

ad illud qvod ܓܡܠܐ *gamol* Syris tam rudentem, qvam camelum, ſignificet. Ita enim ſtatuere Novariam in Nomenclatore Arabico Syro Latino, Tr. IX. c. VIII. & Bapt. Ferrarium in Lexico Syriaco; qvi & ex mente Syrorum ܓܡܠܐ Matth. XIX. 24. funem nauticum, qvo religantur anchoræ, eſſe putet. Cùm enim Syrum *Gamol* utrumqve ſonet, liberum Syris eſſe id amplecti, qvod videtur commodiſſimum. Sed unde id probabitur, ܓܡܠܐ Syris tam rudentem, qvam camelum, ſignificare? In verſione verborum Domini apud Evangeliſtas qva notione accipienda vox ſit, in controverſia adhuc eſt. Alia verò, quibus id qvod dixi probari poſſit, non ſuppetunt. Cæterum ſi vox גמלא, qvæ dialecti Hieroſolymitanæ eſt, qvaqve Dominus in ſermone ſuo ſine dubio uſus eſt, non tantùm *camelum*, ſed & *rudentem* ſignificaret, mirum eſſet, ni ſignificationis ejus exempla in ſcriptis qvoqve Talmudicis ac Rabbinicis extarent. Atqvi nulla dum ſignificationis ejus exempla in ſcriptis Talmudicis & Rabbinicis ſunt obſervata. Obſervatum potiùs, funes craſſiores & rudentes Hebraicè פימורין vocari. Ex Codice Moëd Katon protulit Buxtorfius, קשה יציאת נשמה מן הגוף כשמש

ושט

כפיטורי בפי וושט *Gravis eſt exitus animæ è corpore, ut rudentum per foramen anguſtum.* Qvæ qvidem verba Bochartus & ipſe citat, ut in verbis Domini de rudente agi veriſimile reddat. Putat enim, qvia Hebræi de cetero, cùm rem difficilem notare volunt, tranſitum rudentis per foramen anguſtum in exemplum producere ſoleant, credibile eſſe, Dominum item, cum ἀδύνατόν τι notare voluit, tranſitus rudentis per foramen acus mentionem feciſſe. Qvò minus tamen credam, tranſitum rudentis per foramen acus à Domino nominatum fuiſſe; utqve potiùs exiſtimem, Dominum, cùm rem impoſſibilem notare voluit, tranſitum vaſti animantis, & qvidem cameli, per foramen acus exempli cauſa allegaſſe, non una me ratio movet. Et primò qvidem reputo, qvod ſciri poteſt, Hebræis ita in more poſitum fuiſſe, ut, ſi rem impoſſibilem notare vellent, vaſti animalis, & qvidem elephantis, tranſitum per foramen acus exempli cauſa nominarent: cujus rei exempla ex Talmude & aliis jam ſuprà ſunt producta. Deinde ut ad Hebræorum adagium de tranſitu vaſti animalis per foramen acus alluſiſſe Dominum credam, ipſa qvoqve illa *foraminis acus* mentio me movet. In altero illo qvod ex codice Moëd Katen protulit Buxtorfius, & ad qvod provocavit Bochartus, mentio qvidem fit *foraminis*; ſed non *foraminis acus*: neqve res ibi prorſus impoſſibilis, ſed modo difficilis notatur. *Gravis eſt exitus animæ è corpore*, inqviunt Talmudici, *ut eſt tranſitus rudentum* בפי וושט *per foramen anguſtum*, qvale

eſt

eſt gulæ. וושט enim *gulam*, & porrò per metaphoram *foramen anguſtum*, *qvale eſt gulæ*, ſignificat. Prioris ſignificationis exempla Buxtorfius ex codicibus Talmudicis profert: poſterioris verò in ipſis illis citatis verbis apparet. Jam funis craſſior & rudens per foramen, qvale eſt gulæ, difficulter qvidem tranſit; ſed tranſierit tamen. At Dominus, cùm notare rem impoſſibilem voluit, foraminis adhuc minoris, & qvidem foraminis acus, mentionem fecit. Et in verbis item Talmudicis, qvibus res impoſſibilis notabatur, foraminis, qvo vix minus eſſe poteſt, id eſt, foraminis acus, mentio fiebat. Vocatur qvidem iſtiuſmodi foramen in ipſis illis, qvæ dixi, verbis Talmudicis קופא דמחטא. Alibi verò & נקב דמחט vocatur. Buxtorfius ad radicem נקב ex codice Miſchar happeninim dicto citat: אין נקב המחט צר לשני אוהבים ואין רוחב חעולם די לשני שונאים *Foramen acus non eſt anguſtum duobus amicis: at tota mundi capacitas non ſufficit duobus inimicis.* Qvoniam igitur non foraminis, qvale gulæ eſt, ſed multò anguſtioris, & qvidem foraminis acus, tam in verbis Domini, qvam in locis Talmudicis, qvæ dixi fit mentio: nihil porrò dubitandum videtur, qvin Dominus ad ipſum illud de elephante adagium Hebræum alluſerit, proqve elephante camelum nominarit. Deniqve & illud reputandum, qvòd, ut ſuprà dixi, ſi vox גמלא, qva Dominus ſine dubio in ſermone ſuo uſus eſt, *rudentem* qvoqve ſignificaſſet, &

ruden-

Digitized by Google

rudentem Dominus nominare voluiſſet, ſignificationis ejus exempla in codicibus Talmudicis ac Rabbinicis obſervata eſſent. Qvia verò obſervata non ſunt, talem vocis ſignificationem nec obtinuiſſe exiſtimandum eſt ſcilicet. Ceterum qvia Dominus, cùm rem impoſſibilem deſignare voluit, non cum elephantis, ſed cameli tranſitu per foramen acus eam comparavit, colligi inde fortaſſis poſſit, qvod æqvè de camelo, ac de elephante proverbium uſurpatum apud Hebræos fuerit; qvamvis in ipſis codicibus Hebraicis exempla ejus nondum ſint obſervata. Niſi enim res ita ſe haberet, & ſi adagium de elephante tantùm uſurpatum fuiſſet, dicturus potius fuiſſe videtur Dominus, *facilius eſſe elephantem per foramen acus tranſire, qvam divitem in regnum cælorum intrare.*

Videamus porrò & alterum de camelo proverbium qvod in novo Teſtamento exſtat. Nimirum cum Dominus notare voluit Phariſæos, qvòd illi in rebus minimis ſuperſtitioſi & anxii eſſent, interim verò ea, qvæ majoris momenti ſunt, & in qvibus pietas præcipuè conſiſtit, negligerent, dixit, Ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. *Duces cæci, excolantes culicem & deglutientes camelum.* Vide Matth. XXIII. 24. Κώνωψ hic *culicem* ſignificat *vinarium*, qvi ex vino aceſcente natus eodem alitur & nutritur. Ariſtoteles in lib. V. Hiſt. anim. cap. XIX. de eo ita: Οἱ δὲ κώνωπες ἐκ σκωλήκων, οἳ γίνονται ἐκ τῆς περὶ τὸ ὄξος ἰλύος. *Culices vinarii oriuntur ex vermiculis qvi ex fæce aceti oriuntur.* Item lib. IV. c. VIII. Ὁ δὲ κώνωψ

πρὸς

πρὸς οὐδὲν γλυκὺ προστρέχει, ἀλλὰ πρὸς τὰ ὀξέα. *Culex vinarius ad nihil qvod dulce eſt accurrit, ſed tantùm ad acida.* Plutarchus in lib. contra Stoicos: χαίρουσι (οἱ κώνωπες) λάμπῃ καὶ ὄξει. τὸν δὲ πότιμον καὶ χρηστὸν οἶνον ἀποπετόμενοι φεύγουσι. *Delectantur culices vinarii ſpuma vini & aceto: potulentum autem & ſuave vinum avolantes fugiunt.* Item Sympoſiακῶν lib. IV. cap. 1. mentionem facit vini ἀγεχώτερε ἐκ πίθου κωνώπων χορῷ περιᾳδομένου *acerbioris ex dolio, qvod culicum vinariorum chorus circumſtrepit.* Anatolius lib. VI. Geoponικῶν poſt uvas calcatas torcular diligenter abſtergi vult, qvia reſiduus humor fructum conculcatum corrumpat, καὶ τὸν κώνωπα ποιῇ & *culicem vinarium generet.* Iſtiuſmodi igitur culicem vinarium Phariſæos excolare ait Dominus. Et dictum qvidem hoc ab ipſo eſt figuratè. Sed verum tamen, culicem vinarium Judæos & propriè excolaſſe. Nimirum colo aut ſudario vinum percolare ſolebant, ne culex vinarius, aut aliud qvoddam animalculum immundum, ab incautis deglutiretur. Ex Codice Talmudico Schabbath Buxtorfius ad rad. סנן affert ומסננין היין בסודרין & *colant vinum per lintea.* Et ex Moſis Maimonidæ Tractatu de cibis vetitis: המסנן את היין או את החומץ או את השכר ואכל את היבחושין או את היתושין והתולעת שסננן לוקה *Qvi percolat vinum aut acetum, aut ſiceram, & comedit culices aut muſcas, & vermes, qvos percolavit, vapulat.* Ubi vocabulo

bulo יבחוסין eadem illa animalcula denotantur, qvæ Græcis dicuntur *κώνωπες*, id eſt, culices vinarii. Atqve ipſa illa voce Dominus ſine dubio & uſus fuit, cum Phariſæorum ſuperſtitionem notavit. Codex Talmudicus Cholin fol. 67. לרבות יבחוסין שסיננן *ad multiplicandum*, id eſt, ut Buxtorfius explicat, ad includendum, ad comprehendendum, *culices, qvos percolant*. Ubi Gloſſator vocabulo יבחוסין ſignificari ait כמין יתושין דקין הנמצאות במרתקות של יין *genus culicum puſillorum, qvi in fæcibus vini reperiuntur*. In Codicibus Talmudicis Nidda & Zebachim idem Buxtorfius docet, יבחוסין ארומין *culices rubros* dici. Item Gloſſatorem monere, יבחוסין *culices vinarios* provenire in fundo doliorum vinariorum extrinſecus. Qvoniam igitur apud Judæos moris fuit, ut vinum propriè colarent; ne ſcilicet animalcula ei mixta, id eſt, culices vinarios, ſimul deglutirent; utqve adeo ipſos qvoqve culices vinarios colarent, id eſt, colando vinum ab hoc eos ſepararent: factum eſt ut phraſis illa סנן יבחוסין *διϋλίζειν κώνωπα colare culicem vinarium*, & figuratè acciperetur; & qvidem ita, ut ſignificaret à peccatis levioribus cavere, ut interim graviora admittere non dubites. Ceterum ipſum qvoqve illud *peccata graviora admittere* peculiari phraſi, figuratè itidem ac per metaphoram, expreſſum eſt; & qvidem phraſi בלע את גמל *καταπίνειν τὴν κάμηλον deglutire camelum*.

Tὸν

Τὸν κώνωπα διϋλίζοντες, inqvit Dominus, καὶ τὴν κάμηλον καταπίνοντες, *culicem vinarium colantes*, ne ſcilicet deglutiatur ille, *& camelum deglutientes.* Sed propriè & ſine figura deglutiri camelus neqvit. Unde ſuſpicatus eſt Cajetanus, locum eſſe corruptum, & Chriſtum non camelum, ſed genus qvoddam muſcæ majoris nominaſſe, qvod bibendo deglutiri poſſit. Alioqvi rationem oppoſitionis non conſtare. *Nihil commune eſt*, inqvit, *camelo & glutitioni, nullaqve conſonantia reſpondet excolationi culicis glutitio cameli. Propter qvæ crediderim ego, tam Græcum qvam Latinum textum corruptum haberi in nomine proprio iſtius animalis. Contextus metaphoræ exigit ut animal aliqvod magnum ſignificetur, qvod deglutiri bibendo poteſt: alioqvi non qvadrat metaphora. Sonat enim parabola hæc, qvod bibendo hinc evitatis tanta diligentia culicis immunditiam, ita ut excoletis eum; inde autem glutitis (procul dubio bibendo) animal magnum immundum, puta muſcam magnam, qvam vulgariter dicimus muſconem. Si diceretur, œſtrum &c. ſenſum clarum haberemus.* Cui ſcrupulo Cajetani non rectiùs occurri poteſt, qvàm verbis Ambroſii Catharini, qvæ in Annotationibus ejus ad dogmata Cajetani leguntur, & ſic habent: *Verè non ſolet deglutiri camelus; ſed nec ſolet aſinus ad lyram: & tamen etiam jucundè dicitur, Aſinus ad lyram, congrua certè metaphora, cum hominem ad rem qvampiam ineptum volumus ſignificare. Verùm, ut per Scripturas confutetur, nonne dixit Dominus, qvid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo*

non

non vides? Nunqvid ergo ſolet eſſe trabs in oculo? Item ſciebat Dominus, qui novit omnia, non ſolere deglutiri camelum: ſed ob hoc ipſum conveniebat parabola. Talia enim erant Phariſæorum crimina, qvalia illud animal, nempe immanitate ingentia, iniqvitate tortuoſa, & per hoc ſuapte natura inglutibilia: quæ tamen illi facilè admittentes tanqvam glutiebant, cum nihilominus vitarent parva.

CAP. IV.

De adagio κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. *In adagiis ferè comparationum modò* ἀσυνδέτως *exprimi. De adagio* Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου ἐπιστρέψασα. *Eſſe & hoc pro Hebraico habendum. Qvid ei uſurpando occaſionem dederit. De adagiis* δῦναι τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, *&* βάλλειν τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων.

IN poſteriore epiſtola Petri duo adagia ſunt propter ſe poſita, qvorum una eademqve eſt ſententia; qvæqve ibidem & diſertè παροιμίαι appellantur. Verba Apoſtoli in cap. II. ejus Epiſt. V. 22. ſic habent: Συμβέβηκε δὲ αὐτοῖς τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας, Κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Καὶ, Ὗς λουσαμένη εἰς κύλι-

σμα βορβόρου. *Accidit illis, qvod vero proverbio dicitur, Canis reverſus ad vomitum ſuum. Et, Sus lota ad volutabrum cœni;* ſubaudi ἐπιστρέψασα *reverſa.* Hoc enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſſe, facilè intelligitur. Utriusqve adagii qvæ ſit ſententia, minimè obſcurum eſt; videlicet qvod falſi doctores atqve impoſtores, qvos pluribus verbis deſcripſerat, ad antiqvum & ad priſtina flagitia redeant; qvomodo canis, qvod ipſe vomuit, reſorbet, & ſus cum lota eſt, ſe rurſus in cœnum provolvit. Sed adagiorum iſtorum unde arceſſenda origo eſt? Ab Hebræis ſine dubio. Hi qvippe primi iſtiuſmodi verba concinnarunt; ut, cum ſignificare vellent, ad priſtinas ſordes ac flagitia aliqvem redire, dicerent, canem ad ſuum vomitum, & ſuem lotam ad volutabrum cœni redire. Et duorum adagiorum prius qvidem in ipſis ſacris literis, ipſis verbis Hebraicis conſignatum viſitur. Nimirum Prov. XXVI. 11. verba ſic habent: ככלב שב על קאו כסיל שונה באילתי *Ut canis redit ad vomitum ſuum: ita ſtultus iterat ſtultitiam ſuam.* Apparet hic integra qvædam comparatio προτάσει & ἀποδόσει conſtans. At S. Petrus in epiſtola, ubi παροιμίαν & adagium ſe afferre ait, ſolam πρότασιν habet; ut ne yoculam qvidem comparativam ὡς, aut ſimilem, præmittat. Κύων, inqvit, ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Et ſanè moris ita eſt in omnibus lingvis, ut, cum adagia uſurpantur, non integræ comparationes, προτάσει & ἀποδόσει conſtantes, fiant; ſed

ἀπο-

ἀπόδοσις fere ſubaudienda relinqvatur. Ita Græci, cum hominem avarum, qviqve omnia ſui commodi cauſa facit, notare voluerunt, non integram comparationem fecerunt hoc modo, οὗτος ὅμοιός ἐστι τῷ Ἀσπενδίῳ κιθαρῳδῷ *Hic ſimilis eſt Aſpendio citharœdo*: vel, ut Zenobius fere habet, Καθάπερ ὁ Ἀσπένδιος κιθαρῳδὸς οὐδεμίαν φορὰν ἔξω φέρει, πάσας δὲ ἐν τῷ ὀργάνῳ· οὕτως ὁ φιλοχρήματος οὐδὲν τῶν πέλας ἕνεκεν οἰκονομεῖ, ἕλκει δὲ ἐφ' ἑαυτὸν πάντα. *Quemadmodum Aſpendius citharœdus non exterius, ſed tantum intus canit: ita homo avarus nihil propter alios agit, ſed omnia ad ſe trahit.* Non, inqvam, integras iſtiuſmodi comparationes fecerunt Græci; ſed dixerunt modo, Ἀσπένδιος κιθαρῳδὸς *Aſpendius citharœdus*; vel additis qvibusdam, qvæ tamen non niſi ad ἀπόδοσιν pertinent, Ἀσπένδιος κιθαρῳδὸς οὐδεμίαν φορὰν ἔξω φέρει, πάσας δὲ ἐν τῷ ὀργάνῳ. *Aſpendius citharœdus omnia intus canit.* Videſis qvæ de adagio hoc Græcorum ſupra in cap. I. dicta ſunt. Sed, ut ad adagium Hebraicum redeamus, eodem fere modo, qvo S. Petrus, id eſt, conciſe, protulit illud R. Abba filius Cahanæ, ut eſt in Vajikra Rabba Sect. 16. Verba hujus recenſentur ibi ſic: חזר טוביה לטוביה כדא ככלב שב על קיאו *Reverſus eſt Tobias ad Tobiam* (i. e. *ad ingenium rediit*) *quemadmodum dicitur, Sicut canis revertitur ad vomitum ſuum.* Tantum illud intereſt, qvod præfixum כ, qvod ſimilitudinis nota eſt, hic adjectum eſt, cum in verbis Petri vocula

ſimilitudinis ὡς, aut ſimilis, non appareat. Additur autem in eodem in Leviticum Commentario, R. Joſuam filium Levi dixiſſe, חזר שטיא לאורח שטותיה כדא כסיל שונה באולתו *Reverſus eſt ſtultus ad viam ſtultitiæ ſuæ, qvemadmodum dicitur, Stultus iterat ſtultitiam ſuam.* In qvibus ex Proverbiis Salomonis citantur illa altera, qvæ comparationis ex iisdem Proverbiis citatæ ἀπόδοσις & pars poſterior ſunt.

Alterum adagium qvod ex poſteriore epiſtola Petri produximus, qvodqve Apoſtolus ait convenire in eos qvi in priſtina flagitia relaberentur, & ipſum habendum erit pro Hebraico. Habet illud ſic: Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. Et ſubaudienda, atqve ἀπὸ κοινοῦ repetenda, ſine dubio eſt vox ἐπιστρέψασα; ut proverbium integrum omnino ſic habeat, Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου ἐπιστρέψασα. *Sus lota ad volutabrum cœni reverſa*, vel *revertens*. Jam porcorum in luto volutationis mentionem Scriptores ſane Græci atqve Latini ſubinde fecerunt. Plinius lib. VIII. cap. LI. *In luto volutatio ſuillo generi grata.* Varro lib. II. cap. IV. *Admiſſuras* (ſuum) *cum faciunt, prodigunt in lutoſos limites ac luſtra, ut volutentur in luto, qvæ eſt illorum reqvies, ut lavatio hominis.* Ubi per *luſtra* intelligendæ ſunt lacunæ lutoſæ; ut vocem explicat Feſtus. Verba hujus ſunt: *Luſtra ſignificant lacunas lutoſas, qvæ ſunt in ſylvis aprorum cubilia. A qva ſimilitudine ii qvi in locis abditis & ſordidis ventri &* *deſi-*

deſidiæ operam dant , dicuntur in luſtris vitam agere. Item : *Lacuna aqvæ collectio , à lacu derivatur, qvam alii lamam, alii luſtrum dicunt.* Qvam naturale & jucundum ſit ſuibus in cœno volutari, exponit etiam Lucretius in lib. VI. 967. ſ.

At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities , eadem ſubus hæc jucunda videtur ,
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem. *

Ariſtoteles lib. VIII. Hiſt. anim. cap. VI. ait, τὰς ὗς τῷ λούεσθαι ἐν πηλῷ πιαίνειν *ſues lavando in cœno pingveſcere.* Qvo etiam pertinet qvod Ælianus lib. V. Hiſt. anim. cap. XLV. habet : παχύνεσθαι δὲ τὸν σῦν ἀκούω , μὴ λουόμενον μάλιστα , ἀλλ' ἐν τῷ βορβόρῳ διατρίβοντα καὶ στρεφόμενον (ſic enim legendum pro τρεφόμενον , qvod eſt in editis) καὶ πίνοντα ὕδωρ τεθολωμένον , *Suem pingveſcere audio , non cum plurimum lavatur , ſed cum in luto verſatur ac volutatur , & aqvam turbidam bibit.* Item qvod Clemens Alexandrinus in Protreptico citat ex Democrito : ὕες ἥδονται βορβόρῳ μᾶλλον ἢ καθαρῷ ὕδατι , καὶ ἐπὶ φορυτῷ μαργαίνουσι. *Sues delectantur cœno magis qvam munda aqva. : & in cœno laſciviunt.* Obſerves qvoqve , homines vitiis obſitos à ſcriptoribus Græcis ac Latinis cum ſuibus comparari. Et pertinet huc illud Cratetis qvod Michaël Apoſtolius Adag. 1901. ut noſtro ſimile recenſet, ὗς ἐν βορβόρῳ ἰλυσπᾶται. *Sus in cœno ſe provolvit.* Deinde Auctor Invectivæ in Saluſtium ſic habet : *Nihil aliud ſtudet niſi ut lutulen-*

* *Vide Paræum in Lexico Lucret. Voce* Cœnum.

tus ſus cum qvovis volutari. Pertinet huc item illud Horatii, lib. I, ep. IV. *Cum ridere voles Epicuri de grege porcum*, id eſt, qvi in voluptatibus, qvomodo porcus in luto, volutetur. Sed & qvod ex Feſto proferebamus, huc pertinet: *A qva ſimilitudine ii qui in locis abditis & ſordidis ventri & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere.* Hic enim, ut dixi, *in luſtris* idem eſt qvod *in lacunis lutoſis.* Annon igitur id, qvod noviſſimè protulimus, adagium pro Græco potius, aut Latino, qvam pro Hebraico eſt habendum? Primo in Græcis atqve Latinis nondum apparuit, qvod *ſus, cum lota eſt, ad cœnum redeat*; ſed illud tantùm, qvod ſus in cœno volutetur, eodemqve delectetur. Deinde non in ceteris lingvis, ſed in ſola Hebraica apparet, qvod adagio occaſionem dediſſe videtur. Nimirum חזיר Hebræis *ſuem*, חזר autem *redire, reverti* ſignificat. Etſi enim verbum hoc in ſtylo S. Scripturæ non obſervatur, in ſtylo Rabbinico tamen, non ita impuro illo, ſatis freqvens eſt. Ut in Codice Talmudico עירובין cap. I. כל המחזיר אחר הגדולה בורחת ממנו וכל הבורח מן הגדולה מחזרת עליו *Omnis qui ſectatur dignitatem, eum dignitas fugit: qui autem fugit dignitatem, ad eum dignitas revertitur.* Dicunt etiam, חזור בך *redi in te, repete tecum.* Item חזרתי על כל המקרא *circumivi totam Scripturam.* In Beth Iſraël fol. 49. ex Sota citatur, התורה חוזרת על קומדיה

לומדיה *lex circuit, ut inveniat diſcentes.* Suprà qvoqve in hoc ipſo capite ex Vajikra R. citavimus, quod R. Abba dixerit, חזר תוביה לתוביה *Reverſus eſt Tobias ad Tobiam*, & R. Joſua, חזר שטיא לאורח שטותיה *Reverſus eſt ſtultus ad viam ſtultitiæ ſuæ.* Qvoniam igitur certum omnino eſt, חזיר *porcum* ſeu *ſuem*, חזר autem idem qvod Græcum ἐπιστρέφειν & Latinum *redire* ſignificare: ſuſpicari jam licet, ipſam illam cognationem vocabulorum occaſionem dediſſe, illud, qvod noviſſimè protulimus, adagium concinnandi. Græcè ab Apoſtolo expreſſum ſic eſt, Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου ἐπιστρέψασα. Nimirum illud ἐπιστρέψασα ex his qvæ præcedunt, ἀπὸ κοινοῦ repetendum eſſe monuimus. Hebraicè igitur idem adagium ferè ſic habuit: חזיר מרחוץ על צנפרת : הטיט חוזר. In Codice Talmudico Berachot fol. 43. 2. aliud à ſuis in cœno volutatione petitum adagium legitur; ſed ut ſus non vulgari nomine חזיר, ſed דבר אחר *res alia* appelletur. Verba hæc ſunt, אמרי אינשי תלה ליה קורא לדבר אחר ואיהו דידיה עביד *Dicunt homines*, (id eſt, ut alias dicunt הא מתלא דאמרי אינשי *Hoc eſt proverbium qvod dicunt homines*) *appende teneram* ſeu *mollem partem palmæ ſui, & illa quod ſuum eſt faciet*, id eſt, ut R. Salomon explicat, יגלגלנו באשפה שזו היא אומנותו *volutabit id in ſterquilinio. Id enim ejus opus eſt.* Senſus autem eſt, unum

qvodqve agere ſecundum naturam & conſvetudinem ſuam. Ceterum ſus, ut Elias in Thisbi notat, à Rabbinis דבר אחר *res alia* appellatur, qvod mentionem ejus nominis facere nolint apud pueros, ne inde occaſionem capiant de ſue interrogandi, tandemqve & comedendi. Sunt autem & alia qvæ דבר אחר à Rabbinis appellantur; ut lepra, coitus, & alia qvædam, qvæ ſuis nominibus appellare verentur. Vide Lex. Talmud. Buxtorfii, vocab. דבר. Ad adagium à S. Petro uſurpatum ut redeamus, alluſit ad idem Gregorius qvoqve Nazianzenus στηλιτευτ. I. Cùm enim commemoraſſet, Imperatorem Julianum ſacrum baptiſmum impio ſacrificiorum ſangvine abluiſſe, ſubjungit deinde, Ὗς ἐν βορβόρῳ κυλιόμενος, κατὰ τὴν παροιμίαν *ſus in luto volutata, ſecundùm proverbium.* Verùm aptiùs ipſiqve Juliano congruentiùs, ipſa verba S. Petri uſurpaſſet, Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου ἐπιστρέψασα. Julianus enim non ſemper idololatra fuit, ac Diis ſacrificavit; ſed initio Chriſtianus ac baptizatus fuit: deinde verò, qvemadmodum ſus lota ad volutabrum cœni redit, ita ille ad ſordes idololatriæ relapſus eſt.

Porrò in illo qvoqve aliqvid proverbiale eſſe videtur, qvod Matth. VII. 6. legitur, Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. *Ne detis ſanctum veſtrum canibus, neqve projiciatis margaritas veſtras coram porcis.* Conjunguntur in his rurſus duo animalium genera, canis & porcus ſcilicet: ſunt-

ſuntqve in iiſdem phraſes proverbiales duæ, *δῦναι τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ dare ſanctum canibus*, & *βάλλειν τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων projicere margaritas coram porcis.* Et qvidem per *τὸ ἅγιον ſanctum*, & *τοὺς μαργαρίτας margaritas* ſeu *uniones*, myſteria Evangelii; per canes & porcos autem, qvi præfractè ea contemnunt & impugnant, intelliguntur. Et ſenſus verborum eſt, ut verbis Cl. Bocharti hunc exprimam, ſiqvis ſanctæ doctrinæ profanum contemptorem aut obſtinatum hoſtem ſe præbeat, adeo ut præcones verbi divini non tantùm non audiat, ſed & acre iis bellum indicat, pro cane & porco eum habendum eſſe, id eſt, pro eo, cui ſacra hæc myſteria proponere tam ſit abſurdum, qvam ſiqvis cani rem ſanctam, exempli gratia, ſub lege partem aliqvam ſacrificii, projeciſſet, aut porco pretioſiſſima qvæqve. Videamus autem & rationem moniti; qvam Salvator ilico annectit. *Μήποτε*, inqvit, *καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς. Ne conculcent eas pedibus ſuis, & converſi diſcerpant vos.* Quibus verbis ſignificatur, ſi myſteria Evangelii talibus qvales dixi promiſcuè proponantur, duplex inde incommodum oriri. Primò qvod myſteria Evangelii ab hominibus profanis contemnuntur, qvemadmodum à porcis proculcantur margaritæ, utpote qvi pretium earum neſciunt. Qvod qvidem in ipſorum illorum perniciem redundat, utpote qvi contemptu iſto reatum ſibi non parum augent. Alterum incommodum eſt, qvòd qvia homines profani

verbum Dei non tantum contemnunt, ſed & oderunt, metuendum eſt, ne, dum præcones verbi divini intempeſtivè eos hortantur, eoſdem & irritent, ac ipſi ſibi grave malum attrahant, ſi ex contemptoribus illi & perſecutores fiant, & Eccleſiæ bellum indicant. Sed proximorum adagiorum & originem videamus. Et ſcire qvidem licet, veteres Hebræos planè gemina uſurpaſſe. In capite I. libri Miſchar happeninim leguntur hæc: אל תשליכו הפנינים לפני החזירים *Ne projiciatis margaritas coram porcis.* Et explicatio additur his verbis: ואל תמסרו החכמה למי שאינו יודע מעלתה *Et ne tradatis ſapientiam ei, qui ignorat præſtantiam ejus.* Sed & ratio adjicitur: *Nam pretioſior eſt gemmis, & qvi non quærit eam, pejor eſt porco, qui fœdat & volutat ſe in ſterqvilinio. Sic qvi non novit dignitatem ſapientiæ, profanat gloriam ejus.* Qvod igitur apud veteres Hebræos de præceptis ſapientiæ in univerſum dictum fuit, id Chriſtus præceptis ſuæ ſapientiæ, præſertim interioribus, applicavit, inqve proponendis myſteriis Evangelii prudentiam adhiberi juſſit. Qvò qvidem & pertinet, qvod, cùm Apoſtolos ad docendum miſit, in unaqvaqve urbe & vico eos explorare juſſit, ecqvis ibi eſſet dignus, cui myſteria Evangelii proponerentur. Vide Matth. X. 11. Pertinet huc item, qvod Act. XIII. 46. legitur: *Vobis oportebat primùm proponi verbum Dei. Qvia autem repudiatis illud, voſqve ipſi non*

dignos

dignos reputatis vita æterna, ecce convertimur ad gentes. Hugo Grotius cum verbis Chriſti comparat illa Platonis: Εὐλαβοῦμέν τοι μήποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους. σχεδὸν γάρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς γελαστότερα ἀκούσματα. Item illud Heracliti: Τὰ τῆς γνώσεως βάθη κρύπτειν ἀπιστίη ἀγαθή. Et Lyſidis Pythgaorici in Epiſt. ad Hipparchum: Μὴ κοινὰ ποιεῖσθαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς οὐδ' ὄναρ τὰν ψυχὰν κεκαθαρμένοις.

CAP. V.

De adagiis ἐκβάλλειν τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ, & ἐκβάλλειν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ πέλας. *Liber Muſar, & Eliæ Levitæ Thisbi emendata. Loca veterum Chriſtianorum, quibus ad adagia iſta alluditur. Loca item* τῶν ἔξω, *quorum eadem eſt ſententia. De adagio* ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν. παραβολὴ *per Hebraiſmum pro* παροιμία; & *rurſus hoc pro illo poſitum.*

IN capite VII. Matthæi docet Dominus inter cetera, non temere de aliis judicandum eſſe; ſed diſpiciendum potiùs, ut gravioribus criminibus ipſi vacemus. Suntque in differ-

diſſertatione Domini phraſes proverbiales iſtæ, ἐκβάλλειν τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ *eximere trabem ex oculo ſuo*, & ἐκβάλλειν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ πέλας *eximere feſtucam ex oculo alterius*. Ipſa diſſertatio Domini ſic habet: verſ. 3, 4, 5. Τί βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς; ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου, Ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου; ὑποκριτὰ, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου. *Qvid ſpectas feſtucam, qvæ eſt in oculo fratis tui; trabem autem, qvæ eſt in oculo tuo, non animadvertis? Aut qvomodo dices fratri tuo, Sine, ejiciam feſtucam ex oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, ejice prius trabem ex oculo tuo; & tum diſpicies, ut ejicias feſtucam ex oculo fratris tui.* Hic, ut facilè apparet, per τὸ κάρφος *feſtucam*, vitium ſeu crimen leve; per τὴν δοκὸν *trabem* autem vitium ſeu crimen grave intelligendum. Et ἐκβάλλειν τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ *eximere trabem ex oculo ſuo* idem eſt, qvod ſeipſum à graviore crimine immunem præſtare, nec amplius ei indulgere: & ἐκβάλλειν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ πέλας *eximere feſtucam ex oculo alterius* idem eſt, qvod admonendo & corripiendo facere, ut alter qvoqve à vitio qvodam leviore ſibi caveat. Ceterum phraſes, ἐκβάλλειν τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ *eximere trabem ex oculo ſuo*, & ἐκβάλλειν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ πέλας *eximere feſtucam ex oculo alterius*, non in Græcia natæ; ſed à Scriptoribus

bus ſacris N. T. formatæ ſunt ad Hebræas phraſes. Et una qvidem earum ad Hebraicam נטל קורה מבין עיניו *tollere* vel *eximere trabem ex oculis ſuis*: altera verò ad Hebraicam, נטל קיסם מבין עיני פלוני: *eximere feſtucam ex oculis alicujus*. Utraqve Hebræa apparet in Codice Talmudico Erachin fol. XVI. cap. II. Ibi qvippe R. Tarphon inducitur dicens, mirari ſe, ſiqvis in hac generatione redargui ſe ab alio patiatur; qvia, ſiqvis dicat, טול קיסם מבין עיניך. *tolle* vel *exime feſtucam ex oculis tuis*, ei dici viciſſim poſſit, טול קורה מבין עיניך *tolle* ſeu *exime trabem ex oculis tuis*. Tantundem fere & in Cod. Bava bathra fol. XV. cap. II. legitur. Druſius ex cap. XVIII. libri Muſar partem hujus priorem citat ſic: טול קיסם מבין שניך *tolle feſtucam ex dentibus tuis*; & ad Adagium III. Decuriæ I; itemqve lib. I. Obſervationum cap. XI. monet, Chriſtum pro dentibus poſuiſſe oculum in proverbio, *Tolle feſtucam ex dentibus tuis*. At ego non dubito, qvin in libro Muſar mendum ſit, & legendum ibi qvoqve non שניך, ſed עיניך. Qvod vel ex eo colligitur, qvod in libro Muſar non eſt שניך, ut Druſius habet; ſed שיניך, cum duplici Jod: qvod idem & in עיניך apparet. Elias Levita in Thisbi ad radicem נטל partem poſteriorem itidem ex Rabbinis citat, & qvi-

qvidem hoc modo, טול קורה בין עיניך. Verùm pro בין legendum eſt מבין, ut Lud. Cappellus in Spicilegio monet. Caſpar Seidelius in Sententiis, qvas collegit, Hebræorum, & hanc habet: איך תאמר טול מבין עיניך קיסם השבורה ועל עפעפיך כעובי קורה *Qvomodo dices, Tolle ex oculis tuis feſtucam fractam*, (i. e. fragmentum feſtucæ) & *ſuper palpebris tuis eſt tanqvam trabs tigni.* Qvæ ſi in Rabbinis omnino ita legantur, congruit initium eorum cùm verbis Chriſti πῶς ἐρεῖς; *qvomodo dices?* id eſt, qva fronte dices? qvomodo audebis dicere? Sed leviter tamen tam qvod Seidelius protulit, qvam qvod ex Codice Erachin citabamus, diſcrepat à verbis Domini; qvod is qvi alterum temere reprehendit, dicens inducitur, *Tolle feſtucam ex oculis tuis*, atqve ita admonens alterum, ut ipſe feſtucam ex oculis ſuis eximat; cum in verbis Domini idem inducatur dicens, *Sine ut feſtucam eximam ex oculo tuo*; atqve ita profitens, ipſum ſe feſtucam ex oculo alterius exempturum. Atqve eo Adagio, origine qvamvis Hebraico, multi deinde veterum, ſed Chriſtiani illi & qvi ſacras literas verſarunt, ſunt uſi. Tertullianus lib. IV. contr. Marc. cap. XVII. *Eximat & de oculo ſuo trabem hæreticus: tunc in oculo Chriſtiani, ſiqvam putat ſtipulam, revincat.* Ubi qvod alii *feſtucam*, ille *ſtipulam* vocat. Hieronymus lib. I. adverſus Ruffinum: *Cave, qvæſo, ne per trabem tuam feſtucam meam videas.*

S. Ba-

S. Baſilius apud Antonium Meliſſam Serm. LXXVI: *Multi feſtucam quæ eſt in fratris oculo conſiderant, trabem ſui oculi non vident.* Sedulius lib. III. Op. Paſchalis v. 582. de Phariſæis adulteram, de qva legitur Joh. VIII. accuſantibus:

Non poterat qviſqvam feſtucam evellere parvam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret ineſſe trabem.

Laudat & Iſidorus Peluſiota in Epiſt. LXXXII. libri I. ubi Iſraëlitas, qvi ſcortationem vindicatori expeditionem ſuſceperant, juſtè cæſos docet. Ἔμαθον τῇ πείρᾳ, inqvit, ὑποκριτὰ, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθ. σου, καὶ τὰ ἑξ. *Experimento didicerunt illud, Hypocrita, ejice primum trabem ex oculo tuo.* Scriptores alii non qvidem ipſas illas de trabe & feſtuca phraſes uſurparunt; ſed uſurparunt tamen ſuper eadem re alias quaſdam locutiones figuratas. Horatius crimina cujuſque propria *tubera*, aliorum verò *verrucas* vocat. Nimirum libri I. Sat. III. verſiculi ejus ſic habent:

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. Æqvum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Seneca *ulcera* & *papulas* appellat. Ut lib. de vita beata cap. XXVII. *Papulas obſervatis alienas, ipſi obſiti pluribus ulceribus. Hoc tale eſt qvale ſiqvis pulcherrimorum corporum nævos aut*

verru-

verrucas derideat, quem vera ſcabies depaſcitur. Pertinet huc item figuratum illud de mantica apud Perſium: *Sed non videmus manticæ qvod in tergo eſt.* Item:

Sic nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Qvibus verbis ad fabulam Æſopi de duabus manticis alluditur; qvarum una alienis vitiis onuſta ante oculos; altera noſtra ipſorum continens, retro pendeat. Sed & in eandem ſententiam plurimæ locutiones propriæ obſervantur. Plutarchus in lib. de curioſitate, ex vetere Comico citat:

Τὸ μὲν ἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε,
Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις.

Alterius vitium, homo vaniſſime, acutè vides, proprium autem non vides. Ad qvod alluſiſſe videtur Horatius lib. I. Sat. III. his verſiculis:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Qvam aut aqvila aut ſerpens Epidaurius.

Pertinet huc item illud Ciceronis, qvod eſt in III. Qvæſt. Tuſc. *Stultitiæ proprium eſt, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum.* Et aliud ex Act. V. in Verr. *Omnia quæ vindicaris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modò accuſator, ſed ne objurgator qvidem ferendus*
eſt,

eſt, qui qvod in alio vitium reprehendit, in eo ipſe reprehenditur. Et rurſus aliud ex lib. I. Off. c. XLI. *Fit neſcio qvomodo ut magis in aliis cernamus qvam in nobiſmetipſis, ſiqvid delinqvitur.* Ex Græcis rurſus pertinet huc illud Soſicratis, qvod Stobæus aſſervavit:

> *Ἀγαθοὶ δὲ τὸ κακὸν ἴσμεν ἐφ' ἑτέρου ἰδεῖν,*
> *Αὐτοὶ δ' ὅταν ποιῶμεν, οὐ γινώσκομεν.*

Item hæc Menandri:

> *Ἅπαντές ἴσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,*
> *Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.*

Et alterum ejuſdem:

> *Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,*
> *Σαφῶς· ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται·*

Arriani qvædam huc facientia in Diſſertationibus in Epictetum hæc ſunt: Ἀλλ' οὐκ εἶ Ἡρακλῆς, καὶ οὐ δύνασαι καθαίρειν τὰ ἀλλότρια κακά. Ἀλλὰ οὐδὲ Θησεύς, ἵνα τὰ τῆς Ἀττικῆς καθάρῃς· Τὰ σαυτοῦ καθάρισον. Ἐντεῦθεν ἐκ τῆς διανοίας ἔκβαλε ἀντὶ Προκρούστου καὶ Σκύρωνος λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, μαλακίαν, ἀκρασίαν. Sed, ut qvaſi poſtliminio ad Hebraica revertamur, pertinet huc etiam illud, qvod Buxtorfius in Florilegio Hebraico ex Cod. Talmudico Bava mezia fol. 59. col. 2. citat: מום שבך אל תאמר לחברך *Maculam, quæ in te eſt, ne*

 expro-

exprobres alteri. Item qvod ex eodem Cod. Talmud. fol. 107. cap. II. & ex Cod. Sanhedr. fol. 18. col. 1. citat : קשט עצמך ואחר כך קשט אחרים *Orna teipſum, & poſtea ornato alios.* Qvod idem in Midras Tillim ad Pſal. LIII. paulo pleniùs legitur ſic : אם תרצה לקשט את אחרים קשט עצמך תחלה ואחר כך קשט אחרים *Si volueris ornare alios, orna primò teipſum, & deinde orna alios.* Kimchi qvoqve ad Zeph. II. 1. ſimilia habet.

Sed nunc ad aliud novi Teſt. adagium veniamus ; & qvidem ad illud Ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν. *Medice, cura teipſum.* Legitur id in cap. IV. Lucæ. 23. Ibi enim Dominus inducitur Nazarethanos ſic alloqvens : Πάντως ἐρεῖτέ μοι τὴν παραβολὴν ταύτην, Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτόν. ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα ἐν τῇ Καπερναοὺμ, ποίησον καὶ ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου: *Omnino dicetis mihi parabolam hanc, Medice, cura teipſum. Qvæ audivimus præſtita à te Capernaumi, ea præſta & hîc in patria tua.* Cum Dominus adagium protuliſſet, ejuſdem mox & ſententiam adjicit, qvidqve ii qvi in ipſum adagio uterentur ſibi vellent, oſtendit ; videlicet oportere ipſum eadem miracula qvæ Capernaumi feciſſet, & in patria Nazaretha præſtare, atqve ita non minùs patriæ qvàm aliis civitatibus prodeſſe. Hugo Grotius cenſet, adagium pertinuiſſe primùm ad eos,

Qvi

Qvi cùm ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:

Poſtea produci cœpiſſe longiùs ad eos, qvi magis in alienos, qvam in conjunctos ſunt benefici. tale eſſe illud Virgilii II. Æn. v. 677.

Hanc primum tutare domum.

Et hoc ſenſu uſurpari hoc loco. Confert item cum eo Senarium Græcorum, qvem Plutarchus in lib. de diſcrim. adul. & amici, & alibi, uſurpat: Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Aliorum medicus ipſe ulceribus ſcatens.* Item Æſchyli illud in Prometheo:

Πλανᾷς, κακὸς δ᾽ ἰατρὸς ὥστις ἐς νόσον
Πεσὼν ἀθυμεῖς, καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
Εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος.

Erras, & ut malus medicus in morbum prolapſus, abjectô animô es, nec invenire potes, qvibus medicamentis ipſe reddi poſſis ſanabilis. Ita verò pertinuerit huc etiam illud Terentii Heavt. V. I. 49. 50.

Nonne id flagitium eſt, te aliis conſilium dare;
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?

Item illud Servii Sulpicii in Epiſtola, qvæ qvinta eſt libri IV. Epiſtolarum Ciceronis: *Noli imitari malos medicos, qvi in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare*

rare non poſſunt. Apparet Scriptores Latinos, itemqve Græcos, illam à malis medicis petitam comparationem non neſciviſſe; ſed ipſum tamen illud Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτὸν, totidem verbis, & imperativô modô, prolatum, neſciviſſe videntur. Et rectè omnino judicat Theophylactus, originem ejus adagii præcipuè referendam eſſe ad Judæos. Sed qvibus verbis ab ipſis, qvorum adagium fuit, Hebræis prolatum fuit? An fortaſſe iſtis, רופא רפא עצמך? Fuiſſe ſanè crediderim, cùm ita proferretur; temporibus antiqvioribus puta. Verùm cùm Dominus in terris ageret, lingva Hebræa longè aliam faciem induerat, ut tum novas vocabulorum terminationes, tum qvoqve multa vocabula nova haberet. Videtur igitur tunc temporis prolatùm fuiſſe ſic, אסיא אסי עצמך. In Tanchuma, Sect. I. in Geneſin profertur ſic, אסיא אסי הגירתך *Medice cura claudicationem tuam.* Sed pluſcula qvoqve verba adjiciam, ut appareat, qvâ occaſione ibidem ſit uſurpatum: *Adamus primus docere volebat nepotes ſuos de ſtatu conjugii. Reſpondebant ipſi, Medice cura claudicationem tuam. Tu fuiſti ſeparatus ab uxore tua centum & triginta annis, & vis docere nos. Curato prius morbum tuum.* Conſiderandum deniqve & hoc eſt, qvare illud, qvod noviſſimè productum eſt adagium, à S. Luca παραβολὴ vocetur. Πάντως ἐρεῖτέ μοι, inqvit Dominus apud Lucam, τὴν παραβολὴν ταύτην. Apud alios Scriptores Græcos adagium ſeu proverbium παραβολὴν vocari, obſer-

obſervatum non eſt: ſed utuntur ii potiùs vocabulo παροιμία. Qvod qvidem vocabulum ipſe qvoqve S. Petrus, ut in ſuperiore capite vidimus, cum adagium duplex prolaturus eſſet, uſurpavit. De eodem vocabulo Varro in lib. VI. de L. L. p. 71. ita: *Apud Valerium Soranum vetus adagio eſt, ô P. Scipio. Qvod verbum uſqve eò evanuit, ut Græcum παροιμία pro eo poſitum magis ſit apertum.* Vocant Græci & λόγον, ut Latini *verbum.* In Convivio Platonis ait Agathon: Ὁ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὅτι ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. *Vetus verbum bene habet: ſimile ſimili ſemper adhæret.* Terentius Adelph. Act. V. III. 18. *Vetus verbum hoc qvidem eſt, Communia eſſe amicorum inter ſe omnia.* Ceterum ut adagium qvod Luc. IV. legitur, à S. Luca παραβολὴ vocaretur, occaſionem dedit vox Hebræa משל. Orta hæc eſt à radice משל, qvæ non tantùm idem qvod *dominari*, ſed & idem qvod *comparare*, *aſſimilare*, eſt: atqve vi iſtius originis *comparationem*, *ſimilitudinem* ſignificat. Ut Hiob. XIII. 12. *Memoriæ veſtri* משלי אפר *ſimilitudines cineris.* Deinde eadem vox משל, & alia forma מתלא, & *adagium* ſeu *proverbium* ſignificat. Cujus appellationis ratio itidem hæc eſt, qvod adagia ſeu proverbia aliqvid ſimilitudinis & comparationis habere ſolent. Et pari modo Arabes adagium مثل appellant; à radice مثل, quæ eiſdem *comparare*, *aſſimilare*, *unum cum altero conferre* ſignificat. Cùm igitur Græca vox παρα-

βολὴ Hebrææ משל ſignificatione *comparationis* & *aſſimilationis* reſponderet, factum fuit, ut altera qvoqve Hebrææ vocis ſignificatio, qva ſcilicet adagium ſeu proverbium ſignificat, eidem vocabulo Græco tribueretur. Atqve ejus generis voces in libris N. T. prorſus multæ ſunt; qvæ cùm unâ qvâdam ſignificatione Hebraicis reſponderent, earundem & alteram ſignificationem deinde receperunt. Ac de talibus deditâ operâ in Commentarii de Hebraiſmis N. T. capitibus prioribus egimus. Privatè autem de vocabulo παραβολὴ actum eſt in capite iſtius libri qvarto. Ibidem porrò monitum & hoc eſt, qvod, qvemadmodum παραβολὴ pro adagio & παροιμίᾳ uſurpatur, ita viciſſim παροιμία ponatur pro παραβολῇ. Ut Joh. X. 6. Ταύτην τὴν παροιμίαν εἶπεν αὐτοῖς Ἰησοῦς. Dixerat Dominus παραβολὴν, id eſt, comparationem, qvandam; cujus verba priora ſunt iſta: *Qvi non intrat in ovile per oſtium, is fur eſt & latro.* Eam igitur παραβολὴν ſeu comparationem, S. Johannes vocat παροιμίαν; occaſione itidem vocis Hebrææ משל qvam dixi; qvæ non tantùm *adagium*, ſed & qvamcunqve aliam *comparationem* ſignificat.

CAP.

CAP. VI.

De adagio τρίχα ἐκ τῆς κεφαλῆς τινὸς οὐ πεσεῖται. *A Joh. Kirchmanno diſſenſum.* נפל ארצה, *&* πίπτειν εἰς τὴν γῆν *quid ſit. Ellipſis vocis* אחר. *Adagia aliarum lingvarum, in qvibus Capillus nominatur. Adagium* τρίχα ἐκ τῆς κεφαλῆς τινὸς οὐκ ἀπολεῖται *eſſe idem quod ſuperius.*

PОrro de adagio θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς τινὸς οὐ πεσεῖται *capillum ex capite alicujus non caſurum eſſe* videamus. Exemplum ejus legitur Act. XXVII. 34. Οὐδενὸς ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. *Nullius veſtrum pilus ex capite cadet.* Ii qvos verbis iſtis compellans S. Paulus inducitur, qviqve eâdem, qvâ ille navi vehebantur, numerô ferme trecenti fuerunt, Atqve omnes illi difficulter evaſuri erant in terram; alii qvidem natando, alii verò tabulas & fragmenta navis apprehendendo: ſed evaſuri tamen, nec ullus eorum periturus in undis erat. Id igitur S. Paulus, aut qvi verba ejus conſignavit, S. Lucas expreſſit ſic, ut diceret, οὐδενὸς αὐτῶν θρὶξ ἐκ κεφαλῆς πεσεῖται *nullius eorum pilum ex capite caſurum eſſe.* Et ſenſus eſt, ut apparet, omnes illos incolumes fore, nec

 qven-

qvenqvam eorum periturum eſſe. Sed qvæ ῥήσεως iſtius eſt origo? Joh. Kirchmannus in lib. II. de fun. Rom. cap. XIV. ſcribit, S. Lucam alluſiſſe ſine dubio ad morem illum capillos radendi, qvem veteres, ſi naufragium feciſſent, aut alia de cauſa in luctu eſſent, uſurparint. Et ſanè ipſum radendi capillos morem Vir clariſſimus ſatis & abunde demonſtravit: verùm, qvod ad eum morem alluſiſſe putavit S. Lucam, planè falſus fuit. Ipſi illi homines, ex qvorum capitibus Apoſtolus nullum pilum caſurum dixit, etſi evaſerunt in terram, naufragium tamen fecerunt, & reculas ſuas amiſerunt. Qvare, ſi priſcum illum radendi capillos morem ſeqvi vellent, debuerunt utiqve radi: & Apoſtolus, cùm dixit, nullum pilum ex cujuſqvam capite caſurum, ſi voluiſſet, non facturos eos eſſe naufragium, adeoqve nec radi neceſſe habituros, omninò falſum dixiſſet. Ne igitur falſum dixiſſe videatur, verba ejus omnino aliter intelligendi erunt; & qvidem, ut dixi, omnes eos incolumes manſuros, nec qvemqvam eorum in undis periturum. Atqve ita ſanè & evenit. S. Lucas: Καὶ οὕτως ἐγένετο πάντας διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν. Ceterum origo phraſeos θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς τινὸς οὐ πεσεῖται *pilum ex capite alicujus non caſurum*, repetenda ab Hebræis eſt. Hebræi cùm aliqvem de ſalute, deqve vita ſecurum eſſe volunt, dicunt pilum ex capite ejus non caſurum eſſe in terram. Exemplum I Sam. XIV. 45. חי יהוה אם יפל משערת ראשו ארצה *Vivit Jehova, non cadet de capillo*

pillo capitis ejus in terram. Saulus rex filium Jonathanem depoſcebat tunc ad necem. Verùm auctoritate & interventu populi fiebat, ut periculum hic effugeret, ac in vivis maneret. Ceterùm qvòd populus Jonathanem incolumem volebat, id expreſſum eſt his verbis, *Non cadet de capillo capitis ejus in terràm.* Aliud ejus *ῥήσεως* exemplum viſitur 2 Sam. XIV. 11. חי יהוה אם יפל משערת בנך ארצה *Vivit Jehova, non cadet de capillo filii tui in terram.* Qveſta fuerat cum Rege, etſi non feriò, fœmina Thekoënſis, qvòd filius ſuus unicus, qvem ex duobus ſuperſtitem haberet, depoſceretur ad necem. Cùm igitur Rex ei confirmare vellet, filium ejus incolumem manſurum, neqve permiſſurum ſe vitâ eum privari, dixit, non caſurum de capillo filii ejus in terràm. Rurſus aliud ejuſdem *ῥήσεως* exemplum legitur I Reg. I. 51. *Si vir bonus fuerit,* לא יפל משערתו ארצה *non cadet de capillo ejus in terram*, id eſt, incolumis erit, nec vita ei adimetur. Sed ut de phraſi נפל ארצה *cadere in terram* ſeorſum dicamus, eſt illa idem qvòd *perire*, *interire*. Qvod apparet ex aliis ejus phraſeos uſibus. Ut qvòd 2 Reg. X. 10. legitur, לא יפל מדבר יהוה ארצה *Non cadet de verbo Jehovæ in terram*, id eſt, nullum verbum Jeh. interibit, eventu carebit. Sed vox ארצה in talibus & omittitur, ac modò ſubaudienda relinqvitur. Ut Joſ. XXIII. 14. לא נפל ממנו דבר אחד *non cecidit ex illo*

res ulla. Non mirum igitur, qvòd, cùm in alteris illis Hebraicis, vox ארצה adjiciatur, dicaturqve לא יפל משערתו ארצה *non cadet de capillo ejus in terram*, S. Lucas tamen Act. XXVII. 34. non adjecit εἰς τὴν γῆν, ſed eô ſubauditô modò ſcripſit, Οὐδενὸς ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. Sed eſt & alia levis diſcrepantia. In Hebraica ῥήσει nihil apparebat, qvod τῷ ἐκ τῆς γῆς reſponderet; niſi qvòd in uno ejus exemplo erat non qvidem מראשו *ex capite* vel *de capite ejus*, ſed ראשו *capitis ejus.* Deinde in Hebraica ῥήσει erat משערתו *de capillo ejus*; cùm in Græca non ſit ἐκ τριχὸς, vel ἀπὸ τριχὸς αὐτοῦ; ſed modò θρὶξ. Interpretes Græci V. T. cùm talia verterunt, voculam ἀπὸ adjecerunt; aut partitionem alio modô fecerunt. Ut 2. Sam. XIV. 11. Ζῇ κύριος, εἰ πεσεῖται ἀπὸ τῆς τριχὸς τοῦ υἱοῦ σου ἐπὶ τὴν γῆν. Item I Reg. I. 52. Ἐὰν γένηται εἰς υἱὸν δυνάμεως, οὐ πεσεῖται τῶν τριχῶν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. Qvâ qvidem ratione ſignificarunt illi, in talibus Hebraicis ſubaudiendam eſſe voculam אחד *unus*, ac ſimiliter in verſione eorum Græca, μία. Ut oratio plena ſit, לא יפל אחד משערת ראשו ארצה *non cadet unus ex capillis capitis ejus in terram*: & Græca ſimiliter, Οὐ πεσεῖται μία τῶν τριχῶν αὐτοῦ εἰς τὴν γῆν. De ellipſi vocis אחד in partitionibus faciendis egimus & in lib. de Hebraiſmis N. T. & hujus qvidem cap. XXVIII. Et qvoniam in his talibus ſingularis enuntiationes univerſales negativas formandi ratio apparet, de ea qvoqve in eodem

de

de Hebraiſmis N. T. libro, & qvidem capite ejus XXV. egimus. Iſtud igitur proximum ſuperius adagium habendum itidem in Hebraicis eſt. Qvippe lingvæ ceteræ iſtiuſmodi formulam non habent, ut, cùm ſignificandum eſt, aliqvem incolumem ac ſalvum futurum eſſe, dicatur, capillum ex capite ejus non caſurum eſſe. Sed habent tamen aliæ lingvæ non multum diverſa. Exempli gratia Germani, cum ſignificare volumus, proviſuros nos, ne qvid mali alicui obtingat, dicimus, *Es ſol ihm kein hahr gekrümmet werden.* Deinde Græci in adagiis vocem θρὶξ uſurpant, & qvidem de parte qvadam minima. Zacharias in Dialogo de Opificio mundi: Οὐδὲ τὴν τρίχα τῶν πονηρῶν καὶ ἀθέων δοξασμάτων, καὶ τῆς συγγενοῦς πλάνης, ἣν κατὰ τὴν ψυχὴν περιφέρετε, λήμην ὥσπερ τινὰ τῶν τῆς διανοίας ὀμμάτων, ἀποκεῖραι βούλεσθε. *Neqve pilum pravarum & impiarum, opinionum & cognati erroris, qvem in animo velut oculorum mentis lippitudinem circumfertis expurgare vultis.* Theocritus Idyll. XIV. Λασῶ δὲ μανεὶς ποκα. θρὶξ ἀνὰ μέσσον. *Vix pili intervallô abſum ab inſania. Parum abeſt qvin furore corripiar.* Scholiaſtes explicat: Ὀλίγε δέεται τὸ μεταξὺ τοῦ πάντη με μανῆναι. Eraſmus qvoqve iſtud Theocriti inter adagia recenſet; cumqve eo confert illud Plauti in Moſtellaria II. I. 60.

Pluma haud intereſt, patronus an, cliens probior fiet
Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.

Ante-

Anteqvam ad alia tranſeamus, proferendum etiam illud eſt qvod Luc. XXI. 18. legitur, Καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν ȣ̓ μὴ ἀπόληται, *pilus* vel *capillus ex capite veſtro non peribit*. Item qvod Matt. X. 30. & Luc. XII. 7. legitur, Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. *Veſtri qvoqve capilli omnes numerati ſunt*. Ubi ſubaudiendum eſt, *ut nullus eorum in terram cadere*, id eſt, perire, *ſine patre veſtro poſſit*. Præcedit enim proximè: Ἓν ἐξ αὐτῶν ȣ̓ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν ἄνευ τȣ̃ πατρὸς ὑμῶν. *Unus ex illis*, paſſerculis puta, *non cadet in terram*, id eſt, ut ſuprà monuimus, peribit, *ſine patre veſtro*. Illud igitur in capite XXI. Evangelii Lucæ adagium planè idem eſt qvod ſuprà ex libro ejusdem Lucæ altero produximus. Et ſenſus rurſus eſt, ſalvos nos & incolumes futuros, nec qvidqvam mali ſine nutu Patris cæleſtis nobis obtingere poſſe. Tantum hoc intereſt, qvod in Evangelio Lucæ eſt ἀπολέσθαι *periturum eſſe*, in Actis Apoſtolorum autem πεσεῖσθαι *caſurum eſſe*. Semel qvidem dicit, Οὐδενὸς ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται: deinde verò Θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν ȣ̓ μὴ ἀπόληται. Dictum autem jam eſt ſuprà, illud πεσεῖσθαι *caſurum eſſe*, nihil eſſe aliud qvam ἀπολέσθαι *periturum eſſe*; & ſubaudiendum eſſe εἰς τὴν γῆν. Phraſis Hebræa נפל ארצה *cadere in terram*, eo ſenſu in libris V. T. freqvens eſt. Græca autem ad eam formata πίπτειν ἐπὶ τὴν γῆν, apparebat paulò antè in verbis Matthæi cap. X. Ἓν ἐξ αὐτῶν ȣ̓ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν. *Unus ex illis*, paſſer-

paſſerculis puta, *non cadet in terram.* Qvod ergo dicitur *Capillus ex capite veſtro non peribit*, Hebraiſmus ſimplex eſt, & propter ſolum adagium, qvod dixi; qvòd, cùm ſignificandum eſt, aliqvem incolumen futurum, dicunt, capillum ex capite ejus non periturum. Qvod autem dicitur, *nullius veſtrum capillus ex capite cadet*, duplex Hebraiſmus eſt; & qvod ipſum illud, qvod, dixi adagium uſurpatur, & qvod πεσεῖσθαι *cadere*, ſubaudito εἰς τὴν γῆν *in terram*, ponitur pro ἀπολεῖσθαι *periturum eſſe*. Obſervo autem Interpretem qvoqve Syrum in verſione Act. XXVII. cum Hebraiſmo itidem duplici, qvomodo ipſe S. Lucas, uti poſſet, uſum eſſe modò ſimplici, & vertiſſe qvidem ſic:

ܡܢܬܐ ܡܢ ܪܫܐ ܕܚܕ ܡܢܟܘܢ
ܠܐ ܐܒܕܐ *Capillus ex capite ullius ex vobis non peribit.* Alteris qvoqve illis *Veſtri qvoqve capilli omnes numerati ſunt*, ad adagium qvod dixi Hebraicum alluſum eſſe, manifeſtum eſt. Subaudiendum enim, ut ex his, qvæ præcedunt, demonſtravimus, *ut nullus illorum in terram cadere poſſit ſine patre veſtro.*

CAP.

CAP. VII.

De adagio Ὅστις ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, καὶ τὰ ἑξ. *Qvam variis occaſionibus id uſurpaverit Dominus. A Franc. Junio diſſenſum. Ut verba diverſarum lingvarum adagium idem habeantur, ad id qvid reqviratur. Vocabulis Græcis* ὑψοῦν & ταπεινοῦν *qvæ Hebræa reſpondeant; qvæqve eorundem vis ſit.*

NOn ſemel, nec unâ occaſione, dixit Dominus, eum, qvi ſe exaltet, depreſſum; & qvi ſe deprimat, exaltatum iri. Et primò qvidem apud omnem populum illud protulit, cum ambitionem notaſſet Phariſæorum, primos accubitus affectantium, ac Rabbi appellari geſtientium; cumqve ſuos qvoqve diſcipulos commonuiſſet, ut qvi inter eos voluiſſet ſummus eſſe, is ceterorum eſſet miniſter. Hæc cùm in capite XXIII. Matthæi relata ita eſſent, additur, verſ. 12. Dominum ſubjeciſſe talia: Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται. καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. *Qvi exaltabit ſeipſum, deprimetur,* vel, ut vetus Interpres vertit, *humiliabitur: qvi verò deprimet,* vel, ut idem Interpres habet

bet, *humiliabit ſeipſum, exaltabitur.* Deinde cùm Dominus à Phariſæo qvodam ad cœnam vocatus eſſet, obſervaſſetqve hos, qvi invitati unà aderant, primos accubitus affectare, monuit convivas, ut, ſi à qvopiam ad cœnam vocarentur, poſtremum qvam primum locum occuparent; cumqve hujus moniti & rationem adjicere vellet, ait: Ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται. Qvæ qvidem in cap. XIV. Lucæ verſ. 11. ita leguntur. Deniqve cùm obſervaſſet qvosdam eſſe, qvi alios præ ſe contemnerent, ſeqve ipſos præ ceteris ſanctos eſſe crederent, parabolam propoſuit, qvæ nota eſt, de Phariſæo ac publicano unà in templum euntibus ad precandum: tandemqve eadem prædicta verba, tanqvam epiphonema, adjecit. Luc. XVIII. verſ. 14. Videnturqve omnino iſta, qvibus toties uſus eſt Dominus, verba pro adagio, & qvidem Hebræorum, habenda eſſe. Cumqve adagia, ut ſuprà in cap. I. monuimus, vel ſint integræ enuntiationes, vel phraſes nihil enuntiantes, illud qvod nunc verſandum ſuſcepimus, ad cenſum priorem referendum erit. Ait Cicero in lib. I. de Off. *in Græcorum proverbio ita eſſe, amicorum omnia eſſe communia.* Pari modo dici qvoqve poſſit, *in proverbio Hebræorum ita eſſe, eum qvi ſe exaltat, depreſſum; & qvi ſe deprimat, exaltatum iri.* Et qvemadmodum verba, qvæ apud Ciceronem ſunt, *Amicorum omnia ſunt communia*, integra ſunt enuntiatio, ſubjectô & prædicatô conſtans: ita verba Domini, *Omnis qvi ſe exaltabit, deprimetur*,

metur, & qvi ſe deprimet, exaltabitur, integra enunciatio, neqve ſimplex ea, ſed compoſita, ſunt. Sed Hebraicè iſtud adagium qvomodo prolatum putabimus? Franciſcus Junius in Notis ad verſionem verſionis Syriacæ Tremellii, & qvidem ad cap. XIV. Lucæ, ſcribit: *Moralis eſt ſententia ſæpe ab antiqvis Hebræis Doctoribus repetita. In Talmud, in volumine* סוטא*, id eſt, de ſuſpecta uxore, c.* המקנא *i. e. Zelotypus, his verbis legitur:* כל אדם שיש בו גסות רוח לסוף מתמעט *Omnis homo in qvo eſt tumor ſpiritus, in fine diminuitur.* Putat igitur ille, ſententiam ſive gnomen illam, qvam ex codice Sota citat, eſſe eandem illam, qvam Dominus Luc. XIV. pronuntians inducitur. Jam non nego ego, adagii, qvô Dominus uſus eſt, & verborum, qvæ ex codice Sota produxit Junius, ſententiam eandem eſſe: ſed non dicendum tamen videtur, adagium, qvô Dominus uſus eſt, & gnomen, qvæ ex Talmude citata eſt à Junio, planè idem eſſe. Ut adagium idem exiſtimetur, oportet ſingula verba ſingulis reſpondere; Hebræa exempli gratia Græcis, & Græca Hebræis. Alioqvi dici etiam poſſet, verba qvæ in cap. ſuperiore excuſſimus, *feſtucam videre in oculo alterius, trabem verò in ſuo ipſius oculo non videre: & papulas obſervare alienas; ipſum verò obſitum eſſe ulceribus*, adagium idem eſſe. Utrorumqve verborum eadem ſanè eſt ſententia; videlicet aliorum vitia obſervare ac temere reprehendere, neqve tamen, qvòd vitiis

vitiis, & qvidem majoribus, præditus ipſe ſis, agnoſcere. Qvemadmodum autem hæc proxima, qvamvis utrorumqve eadem ſit ſententia, pro adagio tamen non uno eodemqve haberi poſſunt: ita nec verba Domini *Qvi ſe exaltat, deprimetur* ſeu *humiliabitur*, & verba Talmudica *Omnis homo in qvo eſt tumor ſpiritus, in fine diminitur*, pro adagio aut gnome una eademqve habenda ſunt. Afferam igitur ex Talmude qvod paulò rectiùs huc qvadret. Et qvidem in Codice Talmudico Erubin, cap. I. leguntur talia: כל המשפיל את עצמו הקבה מגביהו וכל המגביה עצמו הקבה משפילו וכל המחזיר אחר הגדולה גדולה בורחת ממנו וכל הבורח מן הגדולה גדולה מחזרת עליו. *Qvi ſeipſum humilem facit, eum ſanctus benedictus ille exaltat: qvi verò ſeipſum exaltat, eum ſanctus benedictus ille humilem facit. Et qvi ſectatur dignitatem, eum dignitas fugit: qvi autem dignitatem fugit, ad eum dignitas revertitur.* Horum igitur priora cum verbis Domini, qvæ dixi, apprimè congruunt; adeò ut ad exprimenda verba Domini Hebræa, Evangeliſtæ iſtiuſmodi Græca uſurpare voluiſſe videantur, qvæ ipſorum qvoqve etymorum ſignificatione cum Hebraicis congruerent. Ut enim השפיל *humilem facere* eſt à שפל *humilis*: ita ταπεινοῦν *humilem facere* eſt à ταπεινὸς *humilis*. Satis autem intelligitur, vocabula

משפיל *humilem faciens* & מגביה *exaltans*, non propriè, ſed figuratè hîc uſurpari; & unum qvidem eorum uſurpari tum de eo, qvi humilem faciat alterum, tum de eo qvi humilem ſe ipſe præbeat, id eſt, ſubmiſsè ſe gerat: alterum verò uſurpari tum de eo, qvi ad honores aliqvem evehat, tum de eo, qvi honores ipſe affectet. Deus משפיל *humilem faciens* dicitur, qvia facit ut ii, qvi dignitatem & honores affectant, non conſeqvantur eos, ſed ignominia potiùs afficiantur: at homo משפיל עצמו *humilem faciens ſeipſum* dicitur, ſi ſubmiſsè ſe gerat, nec honores affectet. Deinde Deus מגביה *exaltans* vel *altum faciens* dicitur, qvia homines ad dignitatem & honores evehit: at homo מגביה עצמו *exaltans ſeipſum* dicitur, ſi honores affectet, & elatiùs ſe gerat. Qvodqve ea vocabulis ſubjecta ſit notio, id ex eorum, qvæ ex codice Talmudico Erubin proferebamus, poſterioribus apparet. Qvi enim מגביה עצמו *exaltans ſeipſum* dictus fuerat, is deinde dicitur מחזיר אחר הגדולה *ſectans* ſeu *affectans dignitatem*: & qvi משפיל את עצמו *humilem faciens ſeipſum* dictus fuerat, is deinde dicitur בורח מן הגדולה *fugiens dignitatem.* Jam eum, qvi dignitatem & honores affectat, ὑψῶντα ἑαυτὸν *exaltantem ſeipſum*; & eum, qvi dignitatem & honores fugit, ſubmiſſeqve ſe gerit, ταπεινοῦντα ἑαυτὸν *humilem facientem ſeipſum*, dici, id in Scriptoribus Græcis vulgaribus obſervatum,

credo,

credo, non eſt. Multò minus apud eoſdem Scriptores Græcos invenientur talia, qvalia leguntur in Evangeliis: Πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται, καὶ πᾶς ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται. Reperitur qvidem, qvod Deus ὑψῶν *exaltans* & ταπεινῶν *humilem faciens* dicatur: ſed alterum illud non item. Diogenes Laërtius auctor eſt, Æſopum à Chilone, ſeptem ſapientium Græciæ uno, interrogatum, qvid Deus faceret, reſpondiſſe: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινῶν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψῶν, *alta facere humilia, & humilia facere alta.* Qvibus verbis Deus qvidem ὑψῶν & ταπεινῶν appellatur: ipſi verò homines ὑψοῦντες καὶ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς *altos & humiles facientes ſeipſos* non dicuntur. Deinde verba illa Græca primus Æſopus ita concinnaſſe videtur: neqve conſtare poteſt, an eadem & in proverbium apud Græcos abierint. Illud conſtat, Scriptores Græcos alios ad eandem illam ſententiam exprimendam verba ac phraſes qvaſdam alias adhibere. Xenophon lib. VI. Ἑλληνικῶν ita: Ὁ Θεὸς πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιεῖν· τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς· *Deus ſæpe ex parvis magnos, & ex magnis parvos facit.* Heſiodi in lib. I. Ἐργ. in eam ſententiam verſiculi ſunt iſti:

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥεῖα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει.

Facilè enim extollit : facilè & elatum deprimit.
Facilè inſignem minuit , & obſcurum auget.
Facilè etiam corrigit curvum , & ſuperbum attenuat.

In his Xenophontis & Heſiodi verbis pro ταπεινοῦν , qvod in ſacris literis Deo tribuitur , varia alia uſurpantur ; utpote μικροὺς ποιεῖν , χαλέπτειν , μινύθειν , κάρφειν : & ſimiliter pro ὑψοῦν , qvod in ſacris literis Deo tribuitur , uſurpantur μεγάλους ποιεῖν , βριάειν , ἀέξειν. Ad Hebræa vocabula, ut redeamus , ad efferendam eam , qvam dixi , ſententiam plurimum ea uſurpata fuiſſe apparet qvoqve ex eo, qvod mater Domini in Cantico ſuo Luc. I.52. dicens inducitur: Καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων , καὶ ὕψωσε ταπεινούς. Eſt hic ipſum illud ὑψοῦν , qvod in verbis Domini apparebat : & uſa ſine dubio verbo Hebræo, הגביה ipſa qvoqve S. Maria eſt. Alteri Hebræo vocabulo השפיל reſpondet hic Græcum καθελεῖν ἀπὸ θρόνων. Sed & in codicibus V. T. ea notione vocabula uſurpata repeririuntur. Ut Ezech. XXI. 31. השפלה הגבה והגבה השפיל *humile exalta , & altum humile redde.* Qvibus verbis prædicitur futurum , ut Jechonias qvi tunc temporis humilis & depreſſus erat , ad honores eveheretur , inqve Regis Babyloniæ amicis eſſet ; Zedekias autem , qvi regem tunc agebat , regno exueretur. De adagio qvod Dominus uſurpavit , obſervandum adhuc , qvod non eodem ſemper ſenſu

ſenſu uſurpatum videatur. Semel qvidem atqve iterum in ipſam illam ſententiam uſurpatum eſt, qvam prædicta verba Talmudica efferunt; videlicet eum qvi dignitatem & honores affectat, ignominia effectum iri: qvi verò honores non affectat, ſed modeſtè ac ſubmiſſè ſe gerit, eum ad honores evectum iri. Cum cohortatus eſt Dominus, ut qvi ad cenam vocarentur, non affectarent πρωτοκλισίαν, ſed locum potiùs infimum capeſſerent, ſubjecit deniqve, hunc qvi ſe exaltet, humilem redditum; qvi vero humilem ſe faciat, exaltatum iri. At cum de Phariſæo & publicano parabolam protuliſſet, eadem verba in ſententiam paulo diverſam uſurpavit; & in hanc qvidem, qvòd qvi de peccatis ſuis doleat ac pœnitentiam agat, nec ſuper ſanctitate, qva ſe præditum putet, altos ſpiritus gerat, condonationem peccatorum, ipſamqve vitam æternam conſecuturus ſit: qvi vero peccata non agnoſcat, nec de iiſdem doleat ſed ſuper ſanctitate, qva ſe præditum putet, altos ſpiritus gerat, is condonationem peccatorum vitamqve æternam adepturus non ſit.

CAP. VIII.

De adagio Τῷ αὐτῷ μέτρῳ, ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *Deponentia qvandoqve & imperſonaliter uſurpari. Ex qvibus Hebraicis adagium iſtud ſit expreſſum, Mos Hebræorum tertiam perſ. pluralem ponendi pro verbo imperſonali; idque de rebus divinis. Menſura* πεπιεσμένη. *Superioris adagii uſus apud Marcum.*

PORrò inter Adagia N. T. numerandum qvoqve eſt illud Luc. VI. 38. Τῷ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *Eâdem menſurâ qva menſi fueritis, remetietur vobis.* Ita enim cum Interprete antiqvo vertere non dubito. Siqvidem exempla non deſunt, qvod verba deponentia in perſona tertia & imperſonaliter uſurpentur. Livius lib. XXV. *Cum tumultuatum in caſtris* (ſcil. eſſe) *ſciret.* Et lib. XXIV. *Secundum Hieronymi cædem tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat, vociferatumqve ferociter.* In qvibus manifeſtè *tumultuatum eſt* & *vociferatum eſt* imperſonaliter ſunt poſita. Et memini iſtiuſmodi varia adhuc alia obſervare. In cap. VII. Matthæi V. 2. vertit itidem Interpres, *in qva menſura menſi fue-*

fueritis, remetietur vobis. Græca verò ibi ſic habent: Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. In qvibus & Hebraiſmi qvippiam apparet, qvod in ſuperioribus Lucæ non apparebat; qvod videilcet ἐν ᾧ μέτρῳ ſcriptum eſt pro ᾧ μέτρῳ, ut alluderetur ad præfixum Hebræum ב, qvod in talibus uſurpari ſolet. Vide cap. VII. Commentarii de Hebraiſmis N. T. Ceterum adagium iſtud qvod noviſſimè ex N. T. produximus, & ipſum ſine dubio habendum pro Hebraico eſt. Habent ſanè & Græci locutiones, in qvibus mentio fit τοῦ μέτρου *menſuræ.* Exempli gratia, qvod Heſiodus hortatur.

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι,
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

Rectâ menſurâ mutuum accipe à vicino, & rectâ item redde: eâdem menſurâ (qva ſcil. accepiſti) *& amplius, ſi poſſis.* Qvod autem Græci qvoqve iſtiuſmodi adagium, qvale prædictum illud eſt, uſurpaverint, id non obſervatur. Qvod Evangeliſtæ illud perſcripſerunt, id fecerunt occaſione ſermonum Domini, qvos Hebraicè hic habuerat. Et ſanè conſtare ſatis poteſt, Hebræos adagium in eam ſententiam habuiſſe. Et Lud. qvidem Cappellus, qvi & ipſe locutionem παροιμιώδη hic agnoſcit, in Spicilegio ad cap. VII. Matth. ſcribit, exſtare eam in Codice Talmudico Beraqhot, ubi ſcriptum eſt, בכל מדה ומדה שהוא

מודד לך הוי מודה לי *Qvâcunqve menſurâ hic* (Deus) *metitur tibi*, *confitere ei*, vel *celebra eum*. Qvorum verborum ſenſus eſt, ut ibidem Cappellus ſcribit, ſive bono ſive malo Deus qvempiam afficiat, oportere illum celebrare, ipſiqve gratias agere. Verùm nihil hoc attinet ad noſtrum adagium, utpote qvo dicitur non, qvid nos facere debeamus, qvia aliqvid faciat Deus; ſed, qvid Deus faciat, ſi hoc vel illud nos fecerimus. Qva menſura metimur nos, ea Deum remetiri, vult Dominus. Eſt igitur aliud qvod paulo rectiùs huc qvadrat; qvodqve ſic habet: במדה שאדם מודד בה מודדין לו *Qvâ menſurâ homo metitur*, *eâ metiuntur ei*. Legitur hoc in Codice Talmudico Sota, cap. I. & variis exemplis ibidem illuſtratur. Sed qvod in Evangeliis verbo imperſonali ἀντιμετρηθήσεται effertur, id hic participio מודדין *metientes*, ſubaudito verbo ſubſtantivo tertiæ perſonæ pluralis numeri, exprimitur. Eſtqve freqvens hic non tantùm in Hebræa, ſed & in aliis lingvis imperſonalia exprimendi modus. Sed Hebræi tamen aliqvid hic peculiare habent; qvod, cum de ipſo Deo aliqvid enuntiant, hoc pacto illud faciunt. Exempli gratia in Pirke Avoth legitur: כל המחלל שם שמים בסתר נפרעין ממנו בגלוי *Qvicunqve profanat nomen Dei in occulto*; *de eo pœnas ſumunt in propatulo*. Illud *pœnas ſumere in propatulo*, utiqve ad Deum pertinere volunt; & tamen numero id plurali exprimunt. Cujus generis plura in

cap.

Digitized by Google

cap. XXX. Commentarii de Hebraiſmis N. T. congeſſimus: non modò ex codicibus Hebraicis, ſed & ex Græcis N. T. Ut qvod ſcriptum eſt Luc. XII. 48. Ὧ παρέθεντο πολὺ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν. *Apud qvem multum depoſuerunt, ab eo amplius repoſcent.* Qvis eſt qvi deponit, & qvi repoſcit, niſi ipſe Deus? Et tamen numero id plurali efferri videmus. Pari modo igitur qvod Hebræi dicunt. *Qvâ menſurâ metitur homo, eâ metiuntur ei*, id de ipſo Deo eſt intelligendum. Et apparet id qvoqve ex exemplis, qvæ in prædicto codice Talmudico Sota adjiciuntur: *Qvâ menſurâ metitur homo, eâ metiuntur ei. Iſta* (mulier) *ornat ſeipſam ad tranſgreſſionem: Deus deturpat eam. Iſta retegit ſeipſam ad tranſgreſſionem: Deus retegit ſuper illa femur, & poſteà ventrem: ac denique totum corpus non evadit.* (Alludi videtur ad hiſtoriam Levitæ in lib. Judicum c. XIX.) *Simſon ſeqvebatur oculos ſuos: idcirco Philiſtæi* (permittente Deo) *effoderunt oculos ejus.* Jud. XVI. *Abſalom ſuperbiebat capillis ſuis:* 2 Sam. XIV. 26. *idcirco ſuſpenſus eſt ex capillis ſuis.* 2 Sam. XVIII. 9. Vide ibidem id genus & alia. Qvemadmodum igitur ab Hebræis adagium numero plurali effertur, & tamen intelligitur de Deo: ita S. Lucas ſcribere potuiſſet, Τῷ αὐτῷ μέτρῳ, ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρῶσι vel ἀντιμετρήσουσιν ὑμῖν. *Eâdem menſurâ, qva metimini, viciſſim metiuntur,* vel *viciſſim metientur vobis*; & tamen de ipſo Deo intelligi id poſſet. Ita ſanè in cap. XII. ut paulò antè oſtendimus, id qvod de ipſo Deo intelligendum, numero plurali expreſſum

eſt. Imò in ipſo capite VI. verſ. 38. unde ſuperiora illa ſunt producta, ad eum modum ſcriptum eſt, *Menſuram bonam, preſſam, agitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Ubi *dabunt* eſt pro *dabitur*, *Deus dabit*. Sed ſcripſit tamen Lucas, & ſimiliter qvoqve Matthæus, ἀντιμετρηθήσεται *remetietur*, impersonaliter. Neqve aliter Marcus cap. IV. 24. ſed verbo tamen ſimplici, μετρηθήσεται. In Chaldaicis Gen. XXXVIII. 25, 26. itidem impersonaliter expreſſum video. במכילא דאינש מכיל בה מתכיל ליה בין מכילא טבא בין מכילא בישא *Quâ menſurâ homo metitur, menſuratur ei; ſive ſit menſura bona, ſive mala.* Vox Chaldaica מתכיל utiqve paſſiva eſt; & ut Græca μετρηθήσεται, & ἀντιμετρηθήσεται, impersonaliter poſita. In Targum Eſ. XXVII. 8. idem adagium expreſſum rurſus eſt numero plurali, & qvidem hoc modo, בסאתא דהוית כאל בה יכילון לך *Modiô, qvô menſus fueris, metientur tibi.* Apparet autem, qvantopere adagium iſtud freqventatum fuerit apud Orientales. Nec tantum in eo Talmudis loco, qvem demonſtravimus, id eſt, in cap. I. codicis Sota; ſed & in codicibus Schabbath & Sanhedrin obſervatur. Dicunt autem & brevius, מדה כנגד מדה *menſura pro menſura.* Et Chaldaice מכילא לקביל מכילא *menſura contra menſuram.* Vide Targum Gen. XXXVIII. 26. Illud qvoqve qvod de μέτρῳ πεπιεσμένῳ *menſura preſſa* Luc. VI. legitur, ab Hebræis originem trahit.

bit. In Cod. Talmudico Jebamoth f. 107. 2. legitur: במדה כפושה מדד לפיכך מדדו לו במדה כפושה *Menſurâ preſſâ menſus eſt: ideo menſurâ preſſâ & metiuntur ei.* Menſura liberalis in aridis, accumulata, preſſa, agitata, & deinde rurſus cumulata ac ſuperfluens eſt. Tali igitur menſurâ utitur Deus, ut S. qvoqve Lucas prædicto loco ait. Μέτρον καλὸν, inqvit, πεπιεσμένον, καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. *Menſuram bonam, preſſam, & agitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Eâdem menſurâ metitur Deus, qvâ metimur nos; & menſuram ille bonam atqve preſſam dat. Qvæ qvidem ratio metiendi cuncta Dei tum beneficia, tum pœnas comprehendit. Si judicaverimus & condemnaverimus nos: judicat & condemnat itidem Deus. Si dederimus & condonaverimus nos, dat & condonat itidem Deus. In capite IV. Marci collatio qvoqve majoris cujuſdam divinæ gratiæ gradus eo adagio exprimitur. Nimirum cùm Dominus hortatus eſſet, ut qvi verbum Dei audiunt, ſerio & cum cura illud audiant, ſubjicit deinde: *Qvâ menſurâ metimini, menſurabitur vobis; & adjicietur vobis audientibus.* Qvorum verborum poſteriora ἐξηγητικὰ ſunt priorum; qvod videlicet, ſi primâ gratiâ convertente homo rectè utatur, neqve rejiciat eam, Deus gratiam ei ampliorem largiatur. Qvæ ſententia ibidem & aliis verbis exprimitur: *Qvi habet, ei dabitur: qvi verò non habet, ab eo etiam id, qvod ha-*

bet

Digitized by Google

bet auferetur. Ergo qvi primâ gratiâ convertente rectè utitur, ac verbum Dei attentè audit, is Deo qvaſi metitur, & ad remetiendum, id eſt, ad gratiam ampliorem tribuendam ipſum invitat.

CAP. IX.

De adagio Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Τηρεῖν *inſidioſè obſervare. Ex qvibus Hebraicis adagium ſit expreſſum. Non eodem ſemper ſenſu illud uſurpatum eſſe. De adagio* Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

ILlud qvoqve inter Adagia refero qvod Matth. X. 24. legitur, Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut præceptor ejus, & ſervus, ut dominus ejus.* Et præcedunt in eandem ſententiam hæc qvoqve: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: neqve ſervus ſuper Dominum ſuum.* Seqvuntur item huc pertinentia, iſta: *Si Patrem familias Beelzebul vocarunt, qvanto magis domeſticos ejus.* A S. Luca in capite VI. verſ. 40. eadem ſententia expreſſa ſic eſt: Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. *Non erit diſcipulus*

ſupra magiſtrum ſuum ; perfectus autem erit omnis diſcipulus, ſi fuerit ut magiſter ſuus. Deniqve S. Johannes in cap. XIII. 16. idem ſic expreſſit : Οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. *Non eſt ſervus major domino ſuo : nec apoſtolus major eo qvi ipſum miſit.* Tantundem ferè & in cap. XV. 20. legitur. Et adduntur ibi ἐξηγήσεως cauſa talia : Εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσι· Εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσι. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſeqventur. Si meum ſermonem inſidioſè obſervârunt, & veſtrum inſidioſè obſervabunt.* Ita enim hæc proximà vertenda eſſe, & antecedentia & conſeqventia ſvadent. Eſtqve ſimplex τηρεῖν hic idem qvod Luc. XX. 26. compoſitum παρατηρεῖν : qvemadmodum Latinorum qvoqve ſimplex *ſervare* qvandoqve idem eſt qvod *obſervare.* Sed nunc & Hebraica videamus, ex qvibus proximum ſuperius adagium eſt expreſſum. Buxtorfius in Florilegio, tit. Αὐτάρκεια, habet iſta : דין לעבד להיות כרבו *Sufficiat ſervo, ut ſit ſicut Dominus ipſius.* Item : דיו לתלמיד שיהיה כרבו *Sufficiat diſcipulo, ſi ſit ſicut præceptor ipſius.* Sed loca codicum Hebræorum qvibus hæc legantur, Buxtorfius ibi non demonſtrat. Druſius autem in Adagiis Hebraicis citat prius ex Cod. Talmudico Berachot, cap. IX. Item ex libri Muſar cap. XX. & ex Commentario Ab. Eſræ in Hoſ. I. 2. Citatur qvoqve idem ex Midraſch in Pſ. X. ex Bereſchit Rabba Sect. 47. & ex appendice

libri שבילי תהו : qvo loco legatur qvoqve alterum illud , דיו לתלמיד שיהיה כרבו , *Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut præceptor ejus.* Ceterum prius & ſic effertur, דיו לעבד שיהא כרבו *Sufficit ſervo ut ſit ſicut Dominus ejus* : ut unius modò voculæ diſcrepantia ſit. Qvod autem adagiô Hebræô dicitur, diſcipulum non eſſe ſupra magiſtrum, & diſcipulo ſufficere, ſi ſit ut magiſter ejus, id non adverſum eſt ei, qvod freqventant Græci, πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες τῶν διδασκάλων. Qvippe verſiculus Græcus de iis agit qvi diſcipuli fuere: adagium Hebræum autem de iis qvi diſcipuli adhuc ſunt & manent; ſicut diſcipuli Chriſti nunqvam debebant deſinere diſcipuli ipſius eſſe. Ceterùm ut iſtud adagium, de qvo in proximo ſuperiore capite egimus, non eodem ſemper ſenſu uſurpatum eſt à Domino: ita nec hoc de qvo nunc agimus. Matth. X. 24. & Joh. XV. 20. uſurpatum eſt, ut ſignificaretur, eadem manere Chriſti diſcipulos, qvæ ipſi Chriſto obtigiſſent; odia ſcilicet, contumelias, perſecutiones. At Joh. XIII. 16. uſurpatum eſt, ut ſignificaretur, diſcipulos Chriſti debere inter ſe amare, nec qvemqvam eorum debere ſe elatiùs gerere, ſed potiùs ad alteri miniſtrandum paratum eſſe. Lucæ VI. 40. deniqve uſurpatum eſt, ut ſignificaretur, Phariſæos non debere ſibi nimium tribuere, neqve putare, ſe plus ſapere, qvam Chriſtum; ſed potiùs id operam dare, ut Chriſtum tanqvam magiſtrum ſeqvantur.

Porrò

Porrò inter Adagia referendum qvoqve videtur illud Matt. VI. 34. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς. *Sufficit diei calamitas ſua*, vel, *ærumna ſua*. Interpres antiqvus vertit, *Sufficit diei malitia ſua*; atqve ita vocabulo *malitia* novam qvandam ſignificationem tribuit: idqve exemplo vocabuli Græci κακία. Cùm enim *malitia* Latinis pravitatem, ac malam animi affectionem, ſignificet, uſus ille vocabulo eſt ad calamitatem & ærumnam ſignificandam. Alii non malè hic vocabulo *vexatio* utuntur. Altera illa verſio vetus ſanè eſt, & jam ante Hieronymum obtinuit. Cujus de ipſa illa judicium legere eſt in Epiſt. CXLVII. qvæ eſt ad Amandum. *Qvod autem adjicit*, inqvit, *Sufficit diei malitia ſua, hoc modò intellige, Sufficit nobis de præſentibus hujus ſeculi cogitare anguſtiis. Qvid neceſſe eſt ſenſum ad incerta & futura extendere, qvæ aut conſeqvi non poſſumus, aut citò inventa perdamus? Κακία enim, qvam Latinus vertit in malitiam, apud Græcos duo ſignificat, & malitiam, & afflictionem, qvam κάκωσιν Græci dicunt: & hic magis pro malitia transferri debuit afflictio. Qvod ſi contentioſè* (f. contentione) *qvis ducitur, nolens κακίαν afflictionem ſonare & anguſtias, ſed malitiam, illo ſenſu explicandum eſt, qvo mundus in maligno, hoc eſt, in malo poſitus ſit, & in Dominica oratione dicimus, Libera nos à malo; ut ſufficiat nobis contra malitiam hujus ſeculi præſens habere certamen.* Ex qvibus apparet, verſionem illam veterem ipſum nonprobare. Qvod autem putat, ſi vox *malitia* retineatur, eam de malo, qvod diſtinctionis

Digitized by Google

ctionis gratiâ malum *culpæ* , & malum *turpe* dici ſolet , intelligi oportere , id aliter ſe habet. Neqve enim novum eſt, in verſionibus novas vocabulis ſignificationes tribui , idqve exemplô vocum aliarum lingvarum. Qva ratione dici igitur poteſt, huic qvoqve vocabulo ſignificationem novam tributam eſſe ab Interprete, exemplô Græcæ vocis κακία : qvam vocem ipſe Hieronymus apud Græcos duo ſignificare , & malitiam , & afflictionem , ſcribit. Sic & Tertullianus lib. II. adv. Marc. cap. XXIV. *Apud Græcos* , inqvit , *interdum malitiæ* (alludit ſine dubio ad vocem κακία) *pro vexationibus & læſuris* , *non pro malignitatibus ponuntur*. Ego verò ipſi qvoqve Græcæ voci ſignificationem *vexationis* & *ærumnæ* novè tributam putem ; primum qvidem ab Interpretibus V. T. deinde & à S. Matthæo : idqve exemplo Hebrææ vocis רעה. Qva de re videſis & Gatakerum cap. XIII. de ſtylo N. T. Sed , ut ad Hebræa veniamus , ex qvibus proxima illa Græca ſunt expreſſa , videntur illa hæc eſſe , די ליום רעתו *Sufficit diei malum ſuum* , *ærumna ſua*. Qvæ non ipſa qvidem , ſed tamen his valde gemina reperiuntur in codice Talmudico Berachot fol. 9. 2. דייה לצרה בשעתה *Sufficiens eſt afflictio in hora ſua* , id eſt , ut moleſta ſit cum venit. Buxtorfius in Florilegio vertit , *Sufficit diei vexatio ſua*. Joh. Druſius in Præteritis ad cap. VI. Matthæi ex Miſchar happeninim citat :

citat: *Cur mœſtus es ob vexationem, quæ nondum advenit?* דייה צרה בשעתה *Sufficit vexatio in hora ſua.* Ubi legendum itidem videtur לצרה: ut verbum de verbo exprimendum ſit, ita: *Sufficientia eſt afflictionis in hora ſua.* ל enim nota hîc eſt caſus Genitivi: & reqviritur propter præcedens ſuffixum ה. Idem Druſius in calce Proverbiorum Ben Siræ, ex eodem libro Miſchar happeninim tanqvam ipſius Ben Siræ proverbium citat: אל תצר צרת מחר כי לא תדע מה ילד יום *Ne te cruciet ærumna diei craſtini: qvia neſcis qvid paritura ſit dies.* Verùm tam hoc Ben Siræ, qvàm illud alterum in librum illum ſelectarum gemmarum ex Talmude eſt collatum. In hujus enim codice Sanhedrin f. 100. 2. ut Cartwrightus obſervavit; inter alia Ben Siræ dicta legitur, אל תצר צרת מחר כי לא תדע מה ילד יום שמא למחר איננו ונמצא נצטער על עולם שאיננו שלו *Ne affligas te ob craſtinum, neſcis enim qvid dies paritura ſit. Fortaſſe cras* (homo) *non erit, & invenitur ſe affligens ob mundum qvi ad ipſum nihil attinet.*

CAP. X.

De adagio πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς ἐρημοῦται. *Verba quoque* πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, *vel adagium eſſe, vel iiſdem ad adagium alluſum eſſe. Verba* εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω, *an pro adagio habenda.*

IN proximis ſuperioribus capitibus aliqvot adagia expoſuimus, qvæ non ut alia qvædam phraſes nihil enuntiantes, ſed integræ enuntiationes ſunt. Ad ea refero qvoqve illud qvod Matth. XII. 25. legitur, πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς ἐρημοῦται. καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται. *Omne regnum diviſum contra ſeipſum*, id eſt, *diſſidens cum ſeipſo, vaſtatur: & omnis urbs aut domus diviſa contra ſeipſam*, id eſt, *diſſidens cum ſe ipſa, non conſiſtet.* Tantundem & Marc. III. 24, 25. & Luc. XI. 17. ſed verbis leviter diſcrepantibus, legitur. Et Grotius qvidem gnomen eam inter Hebræos notiſſimam fuiſſe ſcribit: ſed qvomodo Hebraicè prolata fuerit, & ubi reperire eam liceat, non adjicit. At Buxtorfius in Lexico majore ad rad. חרב ex Talmude profert: כל בית שיש בו מחלוקת

מחלוקת סופו ליחרב *Omnis domus, in qua eſt diſſenſio, tandem vaſtabitur.* Inter ſcriptores Latinos Cicero in eandem planè ſententiam ſcribit; ita qvidem, ut verbum de verbo efferre voluiſſe videri poſſit. Nimirùm in libro de Amicitia c. VII. verba ejus ſunt: *Quæ domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atqve diſſidiis funditus poſſit everti?* Nec multum diſcrepat illud Sophoclis:

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
Αὕτη πόλεις τ᾽ ὄλλυσιν, ἥδ᾽ ἀναστάτους
Οἴκους τίθησι. — — —

Ipſam ſententiam autem & Salluſtius B. J. c. X. exprimit his ſuis: *Concordiâ parvæ res creſcunt: diſcordiâ maximæ dilabuntur.*

Illud qvoqve qvod Matth. VII. 12. legitur, Πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. *Quæcumqve vultis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*, &, ut habet Lucas cap. VI. 31. Καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως. *Sicut vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*, illud qvoqve, inqvam, in adagiis numeraverim, vel certè habuerim pro tali, qvô ad adagium ſit alluſum. Certè Hebræi adagium habuerunt iſtiuſmodi, דעליך סני לחברך לא תעבד *Qvod tibi odioſum* ſive *exoſum eſt, alteri ne facias.* Codex Talmudicus Sabbath fol. 31. 1. לעולם יהא

 אדם

אדם ענוותן כהלל ואל יהא קפדן
כשמאי· מעשה בגוי אחד שבא לפני
שמאי· אמר ליה גיירני על מנת
שתלמדני כל התורה כולה כשאני עומד
על רגל אחת· דחפו באמת הבנין
שבידו: בא לפני הלל גייריה אמר ליה
דעליך סני לחברך לא תעבד· זו היא
כל התורה כולה ואידך פירושה הוא·
זיל גמור: *Semper homo manſvetus ſit ut Hillel; nec præceps & iracundus, ut Schammai. Hiſtoria eſt de gentili qvodam, qvi venit ad Schammai, eiqve dixit, Fac me proſelytum eâ conditione, ut totam legem doceas me, dum in uno pede ſto. Abegit eum* (Schammai) *decempedâ, qvam in manu habebat. Venit ad Hillelem. Iſqve proſelytum ipſum fecit, eiqve dixit. Qvod exoſum tibi eſt, alteri ne facias. Hæc tota lex eſt: cetera ſunt explicatio ejus. Abi perfectus.* Et memorabile eſt, qvòd, qvomodo Matth. VII. cùm prædicta illa poſita eſſent, additur, οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος *Hæc eſt lex*, ita & in verbis Hillelis apparet, זו היא כל התורה כולה *Hæc tota lex eſt.* Ceterùm, qvòd iſta verba, qvæ R. Hillel ei, qvi proſelytus fieri voluit, inculcavit, adagium ſeu proverbium apud Hebræos fuerit, id colligere eſt ex eo, qvod iſtiuſmodi verba ævo jam Tobiæ freqventata fuerunt. Etenim inter præcepta, qvæ Tobias filio ſuo dedit, etiam illud fuit: O μισεῖς, μηδενὶ ποιήσῃς.

σῃς. *Qvod odiſti, nemini facias.* Vide Tob. IV. 15. In textu Hebraico libri Tobiæ, qvem Munſterus edidit, legitur ita: אשר תשנב לנפשך לא תעשה לאחרים (leg. תשנא) Qvoniam igitur adagium habuerunt in hanc ſententiam, qvòd id, qvod nobis odio eſt, qvodqve nobis fieri nolumus, nec alteri facere debeamus: veriſimile eſt adagium & in hanc ſententiam fuiſſe, qvod id, qvod nobis fieri volumus, & alteri facere debeamus. Sinè qvod Dominus dixit, qvæcunqve volumus ut faciant nobis alii, ea & aliis facienda eſſe, ad id Tertullianus partem præcepti alteram ſubaudiendam cenſet. Verba ejus lib. IV. contra Marcionem cap. XVI. hæc ſunt: *Et ſicut vobis fieri vultis ab hominibus, ita & vos facite illis. In iſto præcepto utiqve alia pars ejus ſubauditur: Et ſicut vobis non vultis fieri ab hominibus, ita & vos ne faciatis illis.* Paulò pòſt ad eam præcepti Dominici partem pertinere ait præcepta Decalogi. *Proinde denuntians*, inqvit, *non occides, non adulterabis, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, docuit, ne faciam aliis quæ fieri mihi nolim.* Atqve ipſum illud negativum præceptum Ælius Lampridius Alexandrum Severum Imp. *à qvibuſdam ſive Judæis, ſive Chriſtianis audiviſſe* ſcribit. *Siqvis*, inqvit, *de via in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qvalitate loci aut fuſtibus ſubjiciebatur, in conſpectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut, ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, graviſſimis contumeliis, cùm diceret, Viſne hoc in agro tuo fieri qvod alteri*

facis?

facis? Clamabatqve ſæpius, qvod à qvibuſdam ſive Judæis ſive Chriſtianis audierat, & tenebat, idqve per præconem, cùm aliqvem emendaret, dici jubebat: Qvod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Qvam ſententiam uſqve adeò dilexit, ut & in palatio & in publicis operibus præſcribi juberet. Qvibus verbis Hugo Grotius non fruſtra adjici cenſet, *ſive Judæis*. Nam & illis in ore fuiſſe hoc dictum, ὃ μισεῖς, μηδενὶ ποιήσης; ut pateat ex Tob. IV. 16. Videſis Annotationes ejus ad Matth. VII.

Qvid porrò ſentiendum de eo, qvod S. Paulus 2 Theſſ. III. 10. ſcribit, Εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω. *Siqvis non vult operari, neqve edat?* Si Druſio credimus, hoc itidem inter Adagia, & qvidem Hebræorum, referendum erit. Is enim inter Adagia Hebraica, qvorum aliqvot Decurias collegit, refert, דאי לא לעי לא נגים *Qvi non laborat, non comedit*: qvod qvidem ex Bereſchit Rabba profert, dicitqve R. Salomonem F. Abrahami, in Ohel Moëd ita interpretari כל מי שאינו מתיגע אינו אוכל *Qviſqvis non laborat, non comedit.* Vide Decuriæ III. Adagium VIII. Verùm Joh. Buxtorfius in Lexico majore ad Rad. נגם monet, *in adducto loco ſententiam iſtam non afferri in abſtracto, qvaſi commune aliqvod proverbium, ſed dici in concreto, relationem ad hominem & ejus ſtatum ratione creationis habentem; nempe qvòd, ſi homo laboret, ad qvod creatus eſt, habeat, qvod edat: ſi non laboret, meritò ſuo careat neceſſariis vitæ* ali-

alimentis. Et ſanè ex Bereſchit Rabba Sect. 14. ſatis apparet, prædicta verba, non ut adagium, ſed tantùm explicationis gratia, afferri. Verba ſic habent: ויהי האדם לנפש חיה ר' הונא אמר עשאו עבד מכורן בפני עצמו דאי לא לעי לא נגים *Et fuit Adam in animam viventem* (Gen. II. 7.) *R. Huna dixit: Fecit ipſum ſervum mancipatum ſibi ipſi, ut, ſi non laboret, neqve comedat.* Et ſenſus eſt, Deum creaſſe hominem, ut ſuus ipſius ſervus ſit, in ſuam ipſius ſervitutem qvaſi venundatus, ut ſuo ſibi labore victum paret: qvod ſi non faciat, nihil qvoqve habeat qvod comedat. In Bereſchit Rabba pro מכורן legitur מחורר: verùm legendum eſſe מכורן, docet Buxtorfius ex Midraſch Coheleth cap. II. 17. & Echa rabba cap. I. 15. ubi planè eadem perſcripta ſunt. Vide Lexicon ejus magnum ad rad. הרר.

CAP. XI.

De adagio Ηὐλήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, καὶ τὰ ἑξ. *Item de adagiis* ὄρη μεθιστάναι, οὐχ ἱκανὸν εἶναι τὰ ὑποδήματα τινὸς βαστάσαι, *& aliis qvibusdam.*

AD adagia refero qvoqve qvód Matth. XI, 16. & Luc. VII, 32. legitur, Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. *Tibiâ cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentati vobis ſumus, & non planxiſtis.* Ea verba Salvator tribuit pueris ſedentibus in foro, qvi ludendo imitari ſolent, qvæ à majoribus natu ſeriò agi viderunt, & nunc nuptias celebrant, nunc funera deducunt, nunc aliud hujuſmodi agunt: neqve tamen qvoſdam, qvi moroſiores ſunt, movere poſſunt, ut & ipſi talibus operam navent. Utqve ea verba Salvator uſurparet, fecerunt mali mores Phariſæorum, qvibus nec Johannis Baptiſtæ durior ac ſeverior, neqve Salvatoris Chriſti liberior vita placebat. Nimirum Phariſæos ſimiles eſſe vult pueris iſtis moroſioribus, qvi nullis ſodalium ſtudiis delectantur, ſed ea omnia reſpuunt atqve refugiunt. Qvod enim prædictis locis dicitur, Phariſæos ipſis pueris ludentibus & ceteris acclamantibus ſimiles eſſe, obſervandum eſt qvod monet Grotius, *vim Dativi non eſſe ut denotet ipſum* com-

comparationis terminum, qvi plerumqve non proxin.â voce, ſed totâ inſeqventi narratione continetur: qva de re vide Annotationes ejus ad cap. XI. Matthæi. Ceterum ſcire licet, Hebræos adagium habuiſſe, ad qvod Dominus ipſis illis, qvæ pueris in foro ludentibus tribuit, verbis alluſerit. Reperitur id in Gemara Codicis Talmudici Sanhedrin, fol. 103. 1. & ſic habet: אמרי אינשי בכיי ליה למר דלא ידע חייכי ליה למר דלא ידע ווי ליה למר דלא ידע בין טב לביש: *Dicunt homines, plorant ei qui neſcit: arrident ei qui neſcit, væ illi qvi diſcernere neſcit inter bonum & malum.* Qvod adagium hoc fuerit, apparet ex verbis illis prioribus אמרי אינשי *dicunt homines*, qvæ in proverbiis citandis multùm uſurpantur. Senſus autem, ut Buxtorfius in Lexico majore ad vocem מר exponit, hic eſt, cum homine ſtolido nihil profici, ſed perinde eſſe, ſive qvis mitius cum eo agat, ſive aſperius. Occaſio autem hujus adagii proferendi hæc fuit, qvod illuſtrandus eſſet locus Prov. XXIX. 9. *Vir ſapiens diſceptat cum viro ſtulto; ſive iraſcatur, ſive rideat, non eſt reqvies.* Seqvuntur igitur in prædicto loco Talmudis iſta: *Dixit Deus S. B. Iratus fui Achaſo, & tradidi eum in manum regum Damaſci: at ille ſacrificavit & incenſum adolevit Diis Damaſci, qvi ipſum percuſſerant. Luſi cum Amazia, & dedi reges Edom in manum ejus. At ille adduxit Deos illorum, & incurvavit ſe illis. Ait R. Papa, Hoc eſt, qvod dicunt vulgo, Plorant ei qui*

 neſcit:

neſcit: arrident ei qvi neſcit (id eſt, ſive plorent, ſive arrideant ei qvi neſcit) *Væ ei, qvi bonum à malo diſcernere neſcit.*

Qvod Apoſtolus I. Cor. XIII, 2. utitur phraſi ὄρη μεθιστάνειν *montes transferre*, ſcribitqve, Ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ὠφελοῦμαι. *Si habeam omnem fidem; adeò ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum*, itidem ad adagium Hebraicum alluſum creditur. Hebræi ſanè freqventant phraſin עקר הרים *transferre montes*, cùm rem arduam & difficilem ſignificare volunt. Buxtorfius in Lexico majore ad rad. עקר ex codicibus Talmudicis Berachot & Horajoth citat, qvòd Doctores qvidam ob inſignem eruditionem hôc elogiô decorentur, ut dicantur עוקרי הרים *transferentes montes*; & qvòd in gloſſa marginali ad codicem Erubin de Ben Aſſai dicatur, לא היה בימיו עוקר הרים כמותו *Non fuit in diebus ejus transferens montes, ſicut ipſe.* Vox עקר propriè ſignificat *evellere, eradicare.* Qvoniam igitur ea, qvæ evelluntur, aliò transferri ac deportari ſolent, factum eſt, ut verbum iſtud non modò antecedens, ſed & ipſum conſeqvens, id eſt, *transferre*, ſignificaret.

Id qvoqve in adagiis numerandum videtur, qvòd, cùm S. Johannnes Baptiſta extenuare ſe, & Chriſtô multò minorem ſe eſſe dicere voluit, dixit, ſe non eſſe ἱκανὸν τὰ ὑποδήματα αὐτοῦ βαστάσαι *dignum qvi calceamenta ejus portet*,

nec

nec eſſe *ἱκανὸν κύψαντα λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ dignum, qvi incurvans ſe ſolvat corrigiam calceamenti ejus.* Vide Matth. III, 11. Marc. I, 7. Nondum qvidem ipſa illa phraſis, qvod qvidem ego ſciam, in codicibus Hebraicis reperta eſt; ſed conſtare tamen ex his poteſt, qvod ſolutio calceamenti inter miniſteria viliſſima fuerit. Chriſtoph. Cartwrightus in codice Talmudico Ketuboth obſervavit, qvod R. Joſua, filius Levi, dicens inducatur

כל מלאכות שהעבד עושה לרבו תלמיד עושה לרבו חוץ מהתרת לו מנעל

Omnia opera, ſive miniſteria, quæ ſervus præſtat hero ſuo, etiam diſcipulus præſtat præceptori ſuo, præter ſolutionem calcei ejus. Vide Mellificium Cartwrighti Hebraicum, qvod in magno illo opere Anglicano, qvô variorum S. Scripturæ Interpretum obſervationes continentur, repetire eſt.

In illis qvoqve verbis aliqvid *παροιμιῶδες* eſſe videtur, qvæ Salvator Matth. V, 18. dicens inducitur, *Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. Donec pereat cælum & terra, nullum Jota nec ullus apex peribit de lege, donec omnia fiant.* Dictum hic utiqve eſt, nullum י Jota, nullumqve apicem periturum eſſe de lege. Idqve factum ita, ut diceretur, nullum Jota nullumqve apicem de lege periturum eſſe, *donec pereat cælum & terra.* Nimirum qvia cælum & terra peritura non ſint, nullum item Jota, nullumqve apicem de lege

peri-

periturum eſſe intelligitur. S. Lucas cap. XVI. verſ. 17. Idem ſic expreſſit, Εὐκοπώτερόν ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν. *Facilius eſt cælum & terram perire, qvàm legis ullum apicem cadere*, in terram puta, id eſt, perire. De qva proxima phraſi, πεσεῖν εἰς τὴν γῆν puta, dictum ſuprà in cap. VI. Ceterùm ſenſus proximorum iſtorum eſt, non qvod cælum & terram perire facile ſit, & qvidem facilius, qvàm ullum apicem legis perire; ſed qvod perinde impoſſibile ſit, ullum apicem legis perire, atqve impoſſibile eſt cælum & terram perire. Eſtqve locutio hæc ſimilis illi qvæ Matth. XIX, 24. & Luc. XVIII, 25. legitur Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, qvàm divitem in regnum Dei intrare.* Et ſenſus itidem eſt, æqvè impoſſibile eſſe, divitem, talem puta, qvalem ibi intelligendum eſſe præcipuè ex Marco apparet, regnum Dei intrare, atqve impoſſibile eſt, camelum per foramen acus tranſire: qva de re pluribus dictum eſt ſuprà in cap. III. Conſiſtit igitur adagium in eo, qvod, cùm ſignificandum eſt, nunqvam futurum eſſe, aut factum iri aliqvid, dicitur, *non futurum illud eſſe, donec pereat cælum & terra.* Et ſimile ferè eſt illud Terentii Heaut. IV. 4. *Qvid ſi nunc cælum ruat.* Ludovicus Cappellus in Spicilegio ad cap. V. Matthæi, cùm dixiſſet, proverbialem loqvendi formulam eſſe, Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, qvâ id ſignificetur, qvod

qvod nunqvam ſuturum eſt, qvomodo ſi Latinè dicas, *Citius cælum ruet*, vel *Cælum terræ miſcebitur potiùs, qvàm ut id fiat*, ſubjicit deinde, ſimilem locutionem eſſe, qvæ eſt Pſ. LXXII. 5. *Timebunt te* עם שמש ולפני ירח *cum ſole & coram luna*, hoc eſt, qvamdiu ſol & luna erunt: & qvæ eſt Pſal. LXXXIX. 37. *Thronus ejus erit*, כשמש נגדי *ut ſol coram me*. Et ſanè his qvoqve locutionibus Hebraicis perpetuitas atqve æternitas ſignificatur. Sed hoc tamen intereſt, qvòd negatio hîc neqve diſertè poſita, neqve aliô vocabulô comprehenſa apparet. Si dictum eſſet, *Timebunt te, donec non ſit, vel donec perierit, luna*, foret id noſtrô planè geminum. Verùm non ita dictum eſt; ſed ſic potius, *Timebunt te cum ſole*, id eſt, Timebunt te, qvamdiu ſol erit, id eſt, ſemper, in æternum. Magis autem qvadrat, qvod Hugo Grotius in Notis ad cap. V. Matth. ex eodem illo Pſalmo v. 7. profert, & ſimilimum loqvendi genus eſſe ait; videlicet עד בלי ירח *donec non ſit luna*. Ait Pſaltes, *amplitudinem pacis*, Meſſiæ puta, *fore, donec non ſit luna*, id eſt, donec luna perierit, vel, ut verbis Græcis imitatione S. Matthæi utar, ἕως ἂν παρέλθῃ ἡ σελήνη. Diverſi omnino modi loqvendi ſunt, *Fiet hoc, qvamdiu erit luna*, & *Fiet hoc, donec perierit luna*. Sed ſenſus tamen unus idemqve eſt; videlicet ſemper & in æternum aliqvid factum iri; qvoniam in prioribus ſupponitur, lunam ſemper exſtituram; in poſterioribus autem, nunqvam eam perituram eſſe.

eſſe. Nam ſemper exiſtere, & nunqvam perire ἰσοδύναμα ſunt. Latinorum more hoc ita efferas, *Prius cœlum & terra pereat, prius ſol & luna pereat, qvàm hoc non fiat:* qvemadmodum Poëta:

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor:

Et alius,

Antè leves ergo paſcentur in æthere cervi, &c.

Hebraicis rurſus geminum eſt illud Gen. XLIX. 26. *Benedictiones patris tui validæ ſunt cum benedictionibus progenitorum meorum* עד תאות גבעות עולם *ad finem collium mundi*, id eſt, donec finiantur & deſinant colles mundi. Malo enim עולם hîc Latinâ voce *mundus* vertere, qvàm, ut alii, voce *ſeculum*, aut *ſempiternus.* Nam colles ſemper manſuros ex ipſâ illâ phraſi *ad finem collium* intelligitur.

Qvod in ſuperioribus verbis Domini de *Jota imo & apice uno* eſt, id qvoqve in adagiis habendum eſſe cenſet Grotius. *Certum eſt*, inqvit, *& hoc eſſe παροιμιῶδες, qvalia ſunt pleraqve in Domini noſtri ſermonibus de medio uſu ſumpta. Atqve neceſſe eſt, id adagium, ex ſcribendi ratione, qvæ tum vigebat, originem duxiſſe. Unde ſeqvitur, jam tum in lingva Hebraica Jod literam minus ſpatium occupaſſe, qvàm literas ceteras: ac proinde eos characteres, qvos ſtili præferunt, jam Chriſti tempore uſurpari deſiiſſe, & in uſu fuiſſe, qvas habemus*

mus Aſſyriacas, ab Eſdræ, ut creditur, temporibus ſcribi Hebræis cœptas; Κεραίας *autem nomen ad puncta vocalia à qvibuſdam trahitur: ſed idem eſt qvod apex Latinè. Apices literarum ipſos literarum ductus aut partes dixit Gellius: & hinc nata translatio, de juris apicibus diſputare. Etiam Ariſtides de Græcorum legibus agens, dixit* νόμου κεραίαν. *In gloſſis veteribus: Apex* κεραία, γράμματος ἄκρον. *Sed & apud Plutarchum, Dionem, Chryſoſtomum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, & in Pſeudoſibyllinis extat vox* κεραία *eo ſenſu.* Qvod ad vocem κεραία attinet, expreſſa hac videtur vox Hebræa קוץ, qvâ appellant cornicula literarum Hebraicarum; qvod ea ſpinas ac ſpinarum aculeos referunt. Propriè enim vox ea *ſpinas* & *ſpinarum aculeos* ſignificat. Lud. Cappellus in Spicilegio ex R. Meir Semitis fidei citat, ואל תתמה לחיותם דורשין כל אות ואות בפני עצמה שאפילו על כל קוץ וקוץ של כל אות ואות היו דורשין *Et ne mireris, qvod ſic excuſſerunt ſingulas ſeorſum literas. Nam & ſingulos literarum omnium apices pari ratione excuſſerunt.* Ceterum ſatis apparet, qvod Salvator dixit, nullum Jota, nullumqve apicem periturum eſſe de lege, ſententiam ejus hanc eſſe, qvod nulla legis periodus, nullum legis præceptum ſit, qvod non complementum ſit ſortiturum.

Fortaſſis & in illo aliqvid adagii eſt, qvod Matth. XXIII, 25. ſcriptum eſt, καθαρίζετε τὸ

τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, καὶ τῆς παροψίδος. ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκρασίας. *Purgatis exteriorem partem poculi & patinæ : intus verò plena ſunt rapinâ & intemperantiâ.* Certè Lud. Cappellus in Spicilegio ad eum locum citat verba R. Salomonis F. Gavirol in כתר מלכות, qvibus is de hypocritis agit : *Oſtentant animam puram & mundam : ſed ſub ea latet lepra. Similes ſunt vaſi pleno immunditie : extrinſecus loti ſunt aqvâ fraudis & aſtutiæ ; ſed qvicqvid intus eſt in medio eorum, immundum eſt & impurum.*

Deniqve & illud aliqvid adagii habere videtur qvod Luc. XXIII, 31. legitur, Εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται; *Si in viridi ligno hæc fiunt, qvid fiet in arido?* Certè Grotius ad hunc locum monet; genus hoc loqvendi fuiſſe proverbiale. Hebræos enim viros bonos *ligna viridia*, malos *arida* vocare. Et eſſe tritum apud eos adagium : *Si duo fuerint ligna arida, & unum viride, arida viride exurere.* Hebraicè ſic habet : חרי קיסי יבישי וחד רטיבא אוקידוך יבישי לרטיבא. Vide de hoc Druſium in Adagiis, citantem id ex Cod. Sanhedrin.

CAP.

CAP. XII.

De qvibusdam non ſatis liqvere poſſe, an in numerum Adagiorum referenda ſint. Adagium πρὸς κέντρα λακτίζειν *non Hebræorum proprium, ſed Græcis cum his commune videri. Idem & de Adagio,* ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων, *ſentiendum eſſe.*

PRæter ea, qvæ recenſuimus ſunt, fortaſſe nonnulla adhuc alia Adagia; ſed de qvibus non perinde ac de ſuperioribus liqvere poteſt; qvod vel non disertè adjectum ſit, adagia ea eſſe; vel in codicibus Hebraicis, qvod qvidem nos ſciamus, nondum ſunt obſervata; adeoqve nec ſciri poteſt, utrum à Salvatore Chriſto primum, an vero jam ante uſurpata ac in vulgus nota fuerint. Iſtiuſmodi nonnulla Andreas Schottus in Adagialibus ſacris N. T. qvæ vocat, recenſet. Eſtqve inter ea illud Matt. VI. 3. Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου. *Neſciat ſiniſtra tua, qvid faciat dextra tua.* Et illud IX. 12. Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. *Non iis, qvi valent, opus eſt medico; ſed iis, qvi malè habent.* Et illud X. 10. Ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστι. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et illud XII. 34. Ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. *Ex abundantia*

cordis os loqvitur. Et illud XIII. 57. Οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.* Et illud XV. 14. Ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. *Duces ſunt cœci cœcorum.* Sanè ſi conſtare poſſet, hæc, & id genus alia, perinde ut ſuperiora illa, freqventata apud Hebræos fuiſſe, poſſent & ipſa pro Adagiis haberi; æqvè ac illud, *Qvi ſe exaltat, humilis reddetur: & qvi ſe humilem facit, is exaltabitur.* Multa ſunt qvæ initio adagia non fuerunt, ſed freqventi uſu demum in proverbia abierunt. Ut verba illa Τὰ τῶν φίλων κοινὰ, cum à Pythagora primum proferrentur, adagium non fuerunt; ſed poſtea, cum vulgo in triviis jactarentur, id ipſum facta ſunt; ut Cicero in lib. I. Off. ſcripſerit, *amicorum omnia eſſe communia, in Græcorum proverbio eſſe.*

Sed qvid habendum de eo qvod Dominus, cùm Paulo in via apparuit, eidem dicens inducitur, Act. IX. 5. Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. *Durum tibi adverſus ſtimulos calcitrare.* Eſtne & illud pro adagio habendum; & qvidem, ut ſuperiora illa, pro adagio Hebræorum? Sanè locutus tunc eſt Dominus Hebraicè, ut Act. XXVI. 14. disertè ſcriptum eſt. Phraſin πρὸς κέντρα λακτίζειν autem non in codice ſacro tantùm, qvi Acta Apoſtolorum inſcribitur, ſed & in diverſis τῶν ἔξω ſcriptis reperitur. Euripides Bacch. verſ. 794.

- - - - Θυμούμενος

Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν, θεῷ.

Irâ percitus contra ſtimulos calcitrarem, cùm mortalis ſim, in Deum. Idem in Peliaſi apud Sto-

Stobæum Serm. III. n. 28. Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σε. *Contra ſtimulos ne calcitres in eos qvi poteſtatem in te habent.* Æſchylus Prometh. verſ. 322.

Οὔκουν ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ
Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς, ὁρῶν ὅτι
Τραχὺς μόναρχος, οὐδ᾽ ὑπεύθυνος, κρατεῖ.

Non, ſi me magiſtrô uti velis, adverſus ſtimulos membrum extendes, ſi videas, qvòd Rex aſper, nec legibus obnoxius, imperium teneat. Pindarus Pyth. Od. II.

- - - ποτὶ κέντρον δέ τοι
Λακτιζέμεν τελέθει
Ὀλισθηρὸς οἶμος.

Contra ſtimulum calcitrare eſt lubrica via. Et manifeſtè inter proverbia referunt Zenobius & Diogenianus: qvorum ille & Euripidem & Æſchylum laudat. Alluſerunt & Scriptores Latini: & inter alios Terentius Phorm. I. II. 28. qvod ſcribit, *Inſcitiam eſſe, adverſum ſtimulum calces* ſc. jactare. Qvoniam igitur tot Scriptores Græci phraſin πρὸς κέντρα λακτίζειν uſurpârunt, non pro adagio Hebræorum proprio, ſed pro adagio Græcis cum Hebræis communi illa habenda videtur. Sed Hebræi qvomodo eam expreſſerunt? Uſi ſine dubio ſunt verbo בעט: videnturqve dixiſſe בעט על מלמד, vel בעט את מלמד *calcitrare contra ſtimulum.*

Qvod de adagio πρὸς κέντρα λακτίζειν diximus, idem fortaſſis & de eo dicendum, qvod Joh. IV. 37. legitur, Ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος

ἄλλος ὁ θερίζων. *Alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit.* Hæc verba ibidem appellantur λόγος: qvô vocabulô, ut ſuprà in cap. V. monuimus, Græci & adagium notare ſolent. Salvator enim ſic loqvens inducitur: Ἐν τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινός. *In hoc verbum verum eſt*, id eſt, verè de vobis diſcipulis meis uſurpari poteſt adagium, *Alius eſt qui ſerit, & alius eſt qui metit.* Qvod igitur adagium iſtiuſmodi Hebræi habuerint, de eo dubitare nos non ſinit ipſius aſſeveratio Domini. Sed videntur tamen & Græci talia uſurpâſſe. Sanè Ariſtophanes in Eqvit. Act. I. Sc. III. habet, Τ' ἀλλότριον ἀμῶν θέρος. *Alienam meſſem metis*, id eſt, cum alius ſeminaverit, atqve adeò & metere debeat, tu metis. Andreas Schottus in Adagialibus, qvæ vocat Novi Teſtamenti, tanqvam Græcorum & hoc affert: Ἄλλοι μὲν σπείρουσι, ἄλλοι δ' αὖ ἀμήσονται. *Alii ſerunt, alii metunt.* Qvod ſanè iis, qvæ protulit Dominus, perqvam ſimile eſt. Idem ibidem multa qvoqve alia profert, qvorum eadem qvidem ſententia eſt, ſed qvæ non iiſdem tamen, ſed aliis verbis ſunt contexta. Ex ſacris literis, & ex ipſius verbis Domini, huc adhuc pertinet, qvod Matth. XXV. 24. & Luc. XIX. 2. legitur, θερίζων, ὅπου οὐκ ἔσπειρας. *Metens, ubi non ſeminaſti.* Item qvod ejusdem planè ſententiæ eſt, Συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισας. Colligens, *ubi non ſparſiſti*, & Αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας. *Tollis qvod non poſuiſti.* Qvæ qvidem & ipſa Adagium ſapere videri poſſunt.

EMUN-

VII.

EMUNDI MERILLII,

JURIS CONSULTI CONSILIARII REGII

Anteceſſoris in Academia Biturigum Primicerii.

NOTÆ PHILOLOGICÆ In Paſſionem Chriſti.

Digitized by Google

Illuſ. Ampliſſ. Viro

CAROLO ALBASPINO, MARCHIONI DE CHASTEAU-NEUF

Procancellario & Regiorum Ordinum Cancellario,

EMUNDUS MERILLIUS.

HAUD *ſemper errat fama, aliqvando & eligit.* Dudum percrebuerat fama, te ad illum ſummum apicem dignitatum evectum iri: famæ auſpicatius judicium Regis acceſſit, & te evectum vidimus. Non errabat fama, cum te eligebat hominem cordatum, Regi fidum, obeundis Regni negotiis innutritum, & firmatum ob plurimas legationes feliciter geſtas, exteris gratioſum. Inde cogitabam aliqvod de noſtris ἀπανθισμὸν mittere. Næ aliter inofficioſus eſſem haud uno tuorum beneficiô adſtrictus. Siqvidem me parens tuus illu-

illuſtriſſimus Regii conſiſtorii aſſeſſor primicerius, & Regiorum ordinum Cancellarius, ex Academia Cadurcenſi evocatum in hancce Bituricenſem mandatô Regis introduxerat, tuusqve frater Aurelianenſis Epiſcopus, magno mei deſiderio (ſed heu magno Eccleſiaſticarum obſervationum damno) nuper vivis ereptus, amici ſui nomine dignabatur, qvod & ſcriptis perpetuò victuris teſtari voluit. Erat ille ἐργοδιώκτης meus, cùm aliqvando in præclariſſimam hujus civitatis veſtram domum ſtudiorum cauſâ ſecederet, movebat ſagacis vir ingenii, pleraqvè in ſacris codicibus Novi Teſtamenti ex legibus & majoribus populi Romani lucem poſſe mutuari; idqve à me præſtari oportere contendebat; qvod ſeculares diſciplinæ omnes uni dominæ Theologiæ ancillari, & divinis rebus adminiculari debeant; tantumqve hortatu ſuô effecerat, ut Notas Philologicas in narrationem paſſionis dominicæ ſcriptas, paulo ante exceſſum viderit. Habe igitur illas, qvales emitti voluit. Vererer te tanta negotia ſuſtinentem; vel minimô lectionis avocamentô diſtringere: nî talis eſſet, qvæ tibi & aliis qvantàvis dignitate præfulgentibus, ſæpe ac ſæpius in memoriam revocata prodeſſe poſſit: qvæqve lectoris operam non levi aliqvâ delectatione, ſed ingentis æterniqve præmii muneratione ſit penſatura. Vale. Avarici Biturigum. Pridie Calend. Apriles, Anno M. DC. XXXI.

APPRO-

APPROBATIO

Doct. S. Theolog. Facult.

NOS infrà ſubſcripti Doctores in ſacra Facultate Theologiæ notum teſtatumque eſſe deſideravimus hâc præſenti ſchedulâ opus aureolum, cui titulus eſt, Emundi Merillii, Rectoris, Conſiliarii Regii, Anteceſſoris in Academia Bituricenſi, Notæ Philologicæ in Paſſionem Chriſti, *à nobis diligenter & magna cum delectatione fuiſſe perlectum, & nihil in eo contineri, quod tantillùm adverſetur doctrinæ orthodoxæ & Catholicæ: imo verò, quia permulta exſtant repetita tum ex Jure civili, tum ex hiſtoria Romana, quæ mirificè illuſtrant contextum* Evangelicum *Paſſionis Dominicæ, judicavimus digniſſimum eſſe, quod in lucem proferatur, tanquam* Minerva illa *Phidiæ. In cujus rei teſtificationem, ſyngrapham huic tabellæ adjecimus die 7 menſis Januarii, anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſecundi.*

DAULTRUY.

MAQVERAY.

LE-

LECTORI S.

Monet vel ipſa Notarum Philologicarum inſcriptio, qvænam fuerit mens ſcribentis: non ut plurima, quæ ab aliis obſervata ſunt, accerſeret; ſed ut locis qvibuſdam ex jure Romano aliiſve ſcriptoribus lumen interpretationemqve afferret. Nec verò ex ipſo jure adverſus Juriſconſultum interdicto contendi oportere exiſtimes, qvi ſe in alienam poſſeſſionem induxerit. Nam qvà contermina eſt Theologiæ Juriſprudentia, ſi non latifundium ingredi, ſaltem communes fines ambire licuit. Sacrarum literarum Myſtæ ac pii Aſcetæ, crebras eaſqve ſolertiſſimas in profundiſſimo iſto myſteriorum meditationes hauriunt. Liceat Jureconſultis Philologis ſuô modô, & pingvius meditari, ut narratio Evangelica vel Porphyrio fidem faceret: adeò mirè illorum temporum hiſtoriæ conſonat. Tu, Lector, inter anxias Philologici ſtudii diſqviſitiones, ſubinde te in iſtam revoca, ſi Chriſtum ſciveris & hunc crucifixum: illud ſummum erit totius eruditionis incrementum. Vale.

EMUN-

EMUNDI MERILLI

NOTÆ PHILOLOGICÆ In Paſſionem Chriſti.

Ad Cap. XVIII. Joan. v. 3. & 12.

Judas ergo cùm accepiſſet cohortem. I.

Cohors fuit prætoria, quam habebant Præſides in provinciis, ſeu legati Cæſaris. Adeòne verò parata erat illa cohors Judæ, ut poſt acceptum traditionis & indicinæ præmium, ſtatim tot milites ex cohorte congregari ipſiqve adeſſe potuerint? Joſephus lib. II. cap. VIII. de bello Judaico ait: Conveniente multitudine ad diem feſtum Azymorum in Hieroſolymam, ſtetiſſe Romanam cohortem ſuper porticum templi, & ſubjicit: ἔνοπλοι τὰς ἑορτὰς παραφυλάττουσιν ὡς μή τι νεωτερίζοι τὸ πλῆθος συνηθροισμένον, id eſt, *milites in armis feſtos dies cuſtodiebant, ne quid novi moliretur multitudo conveniens.* Idem lib. VI. cap. VI. καθῆτο γὰρ ἀεὶ ἐπ' αὐτῆς τάγμα Ῥωμαίων, καὶ διϊστάμενοι περὶ τὰς στοὰς μετὰ τῶν ὅπλων,

ὅπλων, ἐν ταῖς ἑορταῖς τὸν δῆμον ὡς μὴ τι νεωτερισθείη, παρεφύλαττον. *Stabat enim ſemper in ipſa* (Antonia) *cohors Romanorum : & diſpoſiti milites per porticum cum armis, diebus feſtis, populum, ne quid novaretur, obſervabant.* Actorum cap. XXI. 3. Cohors ex templo ad ſeditionem coërcendam accurrit. Videntur ergo Principes Judæorum, poſt conſilium habitum, qvomodo Jeſum tenerent & occiderent, per miniſtros & officiales jure â Pilato Præſide petiiſſe cohortem, ut Jeſum ſeditionis aucorem, cum diſcipulis & ſectatoribus, prehenderent. Prius ergo Judas acceperat à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, deinde à Pilato Tribunum χιλίαρχον, cohortem. Et eam qvidem Judæi adjici voluerant, ne ſi tantùm miniſtri Judæorum Chriſtum ducerent, populus eum eriperet. Auguſtinus tractatu CXII. in Joannem : *Cohors non Judæorum, ſed militum fuit, à Præſide. Itaqve intelligitur accepta, tanqvam ad tenendum reum, ſervatô ordine legitimæ poteſtatis, ut nullus tenentibus auderet obſiſtere.* Aliis locis, ubi Præſides non agebant, magiſtratus municipales, licet non haberent poteſtatem animadvertendi in facinoroſos homines, nihilominus habebant prehenſionem, eoſqvè prehenſos & vinctos ad Præſidem tranſmittebant., l. ne qvis X. D. de cuſtod. & exhibit. reorum. Paulus l. V. ſentent. tit. VII. in Collatione legis Moſaicæ cum lege Romana.

V. 16. Dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. II.

Ancillæ Oſtiariæ, ſeu janitrices, ut Rhode ancilla in Actibus Apoſtolorum cap. XII. 3. παιδίσκην malim vertere ancillam qvàm puellam: ſiqvidem ancillæ anus potius qvàm puellæ huic miniſterio addictæ. Anus illa oſtiaria apud Petronium in Satyrico, qvæ canem ingentis magnitudinis inſtigat in Eumolpum. Plautus in Curculione I. I. 76. *Anus hîc ſolet cubitare, cuſtos, janitrix.*

V. 19. Pontifex interrogavit Jeſum de Diſcipulis ſuis. III.

Ex mandatis Principum, rei adprehenſi interrogari debent de ſociis & receptatoribus, l. VI. D. de Cuſtod.

V. 22. Unus miniſtrorum dedit alapam Jeſu. IV.

Alapæ ſervorum caſtigationes injurioſæ, ῥαπίσματα ſalapittæ, qvæ & in manumiſſionibus impingebantur. Cæſarius dial. III. ait, Chriſtum alapis cæſum fuiſſe, ut nos à ſervitute diaboli in libertatem aſſereret; qvia ῥαπισμῷ γὰρ ἐλευθεροῦσι τοὺς οἰκέτας οἱ κύριοι.

κὸνειν. Alapâ enim manumittunt ſervos domini. Chriſtus formam ſervi acceperat. Paulus ad Philippenſes cap. II: 7. igitur ut ſervus hîc alapâ cæditur, ac deinde ut ſervus ſuppliciô crucis afficitur, qvô & humiliòris abjectiorisve conditionis homines ſolebant affici. Lact. lib. IV. Inſt. cap. XXVI.

V. *V. 28. Erat autem manè.*

Romani magiſtratus à lucifero jus dicebant, cognoſcebant. Juvenalis: Sat. XIII. 157.

> *Hæc qvota pars ſcelerum, qvæ cuſtos Gallicus urbis,*
> *Uſqve à Lucifero, donec lux occidat, audit?*

Ideò ſtatim diluculô factô Judas Pilatum adiverat. Matthæi cap. XXVII. v. 1: 2. & Marci cap. XV. 1.

VI. *V. 29. Qvam accuſationem affertis adverſus hominem hunc?*

Accuſatio interrogationem & cognitionem præcedere debuit. Feſtus Actor. XXV. 16. *Non eſt conſvetudo Romanis dare aliqvem hominem ad perditionem, priusqvam accuſatus habeat in conſpectu accuſatorem.* Vulcatius Gallicanus refert ex epiſtola qva-

qvadam M. Aurelij: *Non poſſe reum facere, qvem nullus accuſat.* Marcus Tullius in Orat. pro Cluentio: *Eſt ſapientis judicis animadvertere, qvâ lege reus citetur, de qvo reo cognoſcat, qvæ res in qvæſtione verſetur.* Et hæc tria Pilatus Romani Juris ſciens obſervat. *Qvâ lege reus citetur*: Qvam occaſionem affertis adverſus hominem hunc? *De qvone reo cognoſcat.* Tu es Rex Judæorum? *Qvæ res in qvæſtione verſetur*; Qvid feciſti?

V. 31. Secundùm legem veſtram judicate eum. VII.

Romani devictis gentibus plerumqve permittebant, ut ſuis legibus uterentur. M. Tullius de Siculis Verrin. II. *ut cives inter ſe ſuis legibus agerent.* Pauſanias lib. IV. Trajanus Cæſar Mothonæis conceſſit ut cum liberis populis cenſerentur, & ſuis legibus uterentur. Μοθωναίοις δὲ βασιλεὺς μὲν Τραϊανὸς ἔδωκεν, ἐλευθέρους ὄντας ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι. Ita Julius Cæſar primum Hircano, Pontifici Judæorum, conceſſerat, ut ſi qva controverſia oriretur de Judaica diſciplina, judicium penes ipſum eſſet. Joſephus lib. XIV. Antiqvitat. cap. XVII. Qvod & aliis deinceps Pontificibus conceſſum fuiſſe videtur. Nam Titus Judæis exprobrat qvòd leges patrias Romanis ſervaſſet lib. VII. de Bello Judaic. cap. XIII.

XIII. Βασιλεῖς ὁμοφύλους ἐπεστήσαμεν, ἔπειτα τοὺς πατρίους νόμους ἐτηρήσαμεν. *Reges ex gente impoſuimus, deinde patrias leges ſervavimus.*

VIII. *V. 31. Nobis non licet interficere qvemqvam.*

Vexatus locus diverſis interpretationibus. Auguſtinus tractatu CXIV. in Joannem: *Intelligendum eſt eos dixiſſe, non ſibi licere interficere qvemqvam propter diei feſti ſanctitatem, qvem celebrare jam cœperant, propter qvem de ingreſſu etiam Prætorii contaminari metuebant.* Idem Chryſoſtomus. Cyrillus Alexandrinus aliam rationem affert: μάλιστα μὲν τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν καὶ τῆς ἐξουσίας ὑπετέτμητο, λοιπὸν ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων; qvod cùm in Romanorum ditionem veniſſent, maximâ parte dominationis & poteſtatis privati fuiſſent: & qvidem magiſtratibus municipalibus, ſecundum leges Romanas, ne de ſervo qvidem ſupplicium ſumere licuit *l. magiſtratibus* XII. *D. de juriſdictione.* Habebant ſecures innocuas & purum tribunal ſangvine, ut Auſonius Eidillio IX.

— *Qvos*

—— Qvos Curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumqve Senatum:
Qviqve ſuas rexêre urbes, purumqve tribunal
Sangvine, & innocuas illuſtravêre ſecures.

Subactis igitur Judæis, illis jus vitæ & necis ademptum fuiſſe pleriqve exiſtimant, idqve ex libris Talmudicis probant & Rabbinis; qvi ſcribunt jus vitæ & necis Judæis ademptum fuiſſe ante everſionem urbis. Veruntamen Judæi, etiam ſecundùm leges patrias ad religionem pertinentes, poterant aliqvem interficere: ut lapidatione blaſphemos, mulieres in adulterio deprehenſas; atqve ita mulierem adulteram, & Chriſtum ipſum, lapidare tentaverant, & Stephanum poſteà lapidârunt. Titus apud Joſephum *lib. VII. de Bello Judaic. cap. IV.* Judæis expreſſè conceſſum fuiſſe refert, ut poſſent eum, qvi ſepta templi tranſiret, licet Romanum, impune occidere; idqve jam à temporibus Tiberii, ad tempora uſqve Titi, conceſſum fuerat. Et qvorſum Romani Patriæ leges ad religionem pertinentes illibatas reliqviſſent, niſi ut violatæ religionis reos iſtis legibus vindicarent? Deniqve Pilatus non dixiſſet: *Accipite eum vos & ſecundùm legem veſtram judicate*, niſi & Judæi ſecundùm legem ſuam

judicare punireve potuiſſent. At cùm reſponderunt Pilato : *Nobis non licet interficere qvemqvam*, intelligebant de eo genere ſupplicii, cui Chriſtum addici poſtulabant, videlicet, ſuppliciô crucis Judaicis legibus incognito. Eam mentem Judæorum fuiſſe, his ſeqventibus verbis Joannis verſ. 32. deprehenditur, neqve aliter voluiſſe Chriſtum occidi qvam ſuppliciô crucis: *ut ſermo Jeſu impleretur, qvem dixerat, ſignificans, qva morte eſſet moriturus*. Iſtud genus mortis ſibi futurum Chriſtus prædixerat ſupra Joannis cap. XII: 32. qvod & præ cæteris crudeliſſimum optaverat. Gregorius Nyſſenus orat. prima in Reſurrectionem Chriſti: *propterea Judæi non aliô qvàm crucis ſuppliciô Chriſtum affici volebant, tamen aliô potuiſſent*. Nec solùm Judæi Chriſtum, ut blaſphemum, aut violatæ religionis reum, accuſabant; ſed etiam ut ſeditioſum, ut turbas concitantem, & prohibentem dare tributa Cæſari. At ſecundùm leges Romanas, *pœna ſeditioſorum fuit crux* Paul. lib. V. ſenten. tit. XXII. *Authores ſeditionis & tumultus concitatô populô, pro qvalitate dignitatis aut in crucem tolluntur, aut beſtiis ſubjiciuntur.* Hac igitur pœna Chriſtum volebant affici, ſed ipſi afficere non poterant.

V. 39.

V. 39. Eſt autem conſvetudo vobis. IX.

Titus Boſtrorum Epiſcopus ad caput XXIII. Lucæ tom. II. Biblioth. PP. Græcorum, probabile eſſe exiſtimat; hanc conſvetudinem Romanos ſecundùm leges patrias reliqviſſe; ut Præſes unum vinctum populo per diem feſtum dimitteret, veluti Saul Jonatham ad populi petitionem vitâ donaverat, εἰκὸς ἄρα ὑποσπόνδων γενομένων Ῥωμαίοις Ἰουδαίων ὅπερ πάτριον ἦν αὐτοῖς, παρέχειν τινὰ τῷ λαῷ, διατηρεῖν Ῥωμαῖοι τοῦτο. Vel ea conſvetudo fuerat in memoriam populi Judaici ſervitute Ægyptiorum liberati.

Ad Cap. XIX. Joan. V. 1.

Apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit, ἐμαστίγωσε. Matthæus XXVI: 26. φραγελλώσας. X.

FLagra; ſeu flagella; erant ſervilia verbera *l. ſed eſt* 9. §. *penult.* D. *de injuriis.* loræ; habenæ *l.* 1. §. *impuberi* 33. D. *de Senatuſconſulto Silanian.* liberi fuſtibus cædebantur *l. in ſervorum* 10. *l. capitalium* 28. §. *non omnibus D. de pœn. vel ult. ff. de injuriis.* Eamqve differentiam obſervat Philo Judæus in Flaccum: τῶν μαστίγων ἦν διαφορὰ διακεκριμένη κατὰ

τὴν πόλιν πρὸς τὰ τῶν τύπτεσθαι μελλόντων ἀξιώματα. *Verberum ſunt differentiæ diſcretæ in civitate (Alexandria) ſecundùm reorum dignitatem qvi verberantur.* Et poſtea: ταῖς ἐλευθεριωτέραις καὶ πολιτικωτέραις μάστιξιν, liberalioribus & civilioribus flagris; ubi intelligit fuſtium caſtigationem. Honeſtior enim fuit caſtigatio fuſtium qvàm flagellorum. Macer J. C. indict. l. in ſervorum 10. D. de pœnis: *In ſervorum perſona ita obſervatur; ut exemplo humiliorum puniantur; & in qvibus cauſis liber fuſtibus cæditur; in his ſervus flagellis cædi, & domino reddi, jubetur.* Atrocior etiam fuit pœna flagellorum qvàm fuſtium. Admonitio eſt fuſtium, caſtigatio flagellorum. *l. veluti 7. D. eod. tit. De pœnis.* Unde & Pilatus Chriſtum flagellis caſtigatum atqve emendatum dimittere voluit. Pleriqve exiſtimant moris Romani fuiſſe, ut qvi crucis ſuppliciô afficiendi eſſent, prius virgis flagelliſve cæderentur; eoqve more Pilatum juſſiſſe, ut Chriſtus flagellaretur, anteqvam crucifigeretur. Hieronymus in cap. XXVII. Matthæi: *Sciendum eſt enim Pilatum Romanis legibus miniſtrâſſe, qvibus ſancitum erat; ut qvi crucifigeretur prius flagellis verberaretur.* Joſeph. ſcribit II. de bello Judaic. cap. XIV. Florum qvoſdam nobiles Judæos, cives Romanos, verberibus cæſos in crucem ſuſtuliſſe: & lib. VI. cap. XII. Judæos à Tito poſt pugnam captos, verberibus cæſos, & in crucem actos fuiſſe.

fuiſſe. Hoc qvidem verum eſt, & ita ſvadere videntur verba Matthæi cap. XXVII. 26. *Jeſum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur.* Et Marc. cap. XV. 15. *Et tradidit Jeſum flagellis cæſum, ut crucifigeretur,* qvaſi prævia fuerit illa flagellatio, ut poſtea ſupplicium crucis ſeqveretur. Aliam tamen Pilati mentem fuiſſe deprehenditur; ideo Chriſtum flagellâſſe, ut voluntati Judæorum qvodammodo ſatisfaceret, eumqve caſtigatum dimitteret. Lucas cap. XXIII. 16. παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω *Caſtigans ergo dimittam:* vulgata verſio, *Emendatum ergo illum dimittam*; qvaſi tantùm flagellis caſtigare vellet, & poſtea dimittere. Id etiam ex hoc capite Joannis manifeſtum deprehenditur: ubi, cùm Pilatus Jeſum flagellaſſet, poſtea eum adduxit foras, & nullam ſe in eo cauſam invenire dicit, ut crucifigeretur: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis, qvia in eo nullam invenio cauſam.* Qvando autem Pilatus Jeſum flagellari juſſit, non ſedit pro tribunali, ut in eod. cap. Joannis, verſ. 13. cùm morti addicere voluit: ſi qvidem moris Romani fuit iſtam verberum flagellorumve pœnam, non pro tribunali, ſed de plano irrogari. Ulpianus in l. nec qvicqvam 5. de plano 3. ff. D. de offic. proconſul. & legat. *Poterit de plano ſimiliter & libertum non obſeqventem emendare, aut verbis aut fuſtium caſtigatione.* Idem Ulp. in leg. levia 6. D. accuſat. & inſcriptionib. *Levia*

crimina audire & diſcutere de plano Proconſulem oportet : & , vel liberare eos qvibus objiciuntur , vel fuſtibus caſtigare , vel flagellis ſervos verberare. Nec obſtat qvod Joſephus ſcribit , Florum , *lib. II. de bello Judaico dicto cap. 2. ſub finem* nobiles iſtos Judæos verberaſſe , πρὸ τοῦ βήματος *pro tribunali.* Id enim ita intelligendum eſt , non ut Florus pro tribunali ſederet , ſed ad tribunal , aut prope tribunal verberari eos juſſerit , aut qvia non tantùm verberaverit , ſed etiam poſtea crucifigi juſſerit. Qvod ergo eam mentem Pilati fuiſſe ſatis conſtet ; ut cùm Chriſtum flagellari juſſerit , morti addicere noluerit : qvidam exiſtimârunt Chriſtum bis flagellatum fuiſſe , primùm cùm de eo morti tradendo Pilatus non cogitavit , ut hoc capite Joannis : iterùm verò cùm eum morti addixit , Matthæi cap. XXVII. At verum eſt , Jeſum ſemel flagellatum fuiſſe ; tùm ut feſtinantiùs , ſecundùm voluntatem Judæorum , ad ſupplicium duceretur , *Chryſoſtomus homilia LXXXIII. in Joannem* ; tum , qvia flagellatio , qvæ præceſſerat emendationis gratiâ , mori Romano ſatiſfacere potuit : cùm milites vel impulſu Judæorum , vel laſciviâ militari , graviùs , & præter mentem Pilati , Chriſtum verberâſſent. Matthæus & Marcus ita rem narrant , ut poſt flagellationem mox ſententiâ Pilati Chriſtus cruci addictus fuerit : ſed tamen dicendum eſt , flagellationem præceſſiſſe , ut & antea

Chri-

Chriſtum coronatum ſpinis & veſte purpureâ indutum fuiſſe: qvod ſecundùm illos eodem tempore factum diceretur. Porrò Chriſtum ad columnam verberatum fuiſſe jam perſvaſum eſt, licet Evangeliſtæ non docuerint. Alii Chriſtum columnæ alligatum fuiſſe exiſtimant, facie ad columnam verſâ, ut tergo cederetur idqve Prudentius in Enchiridio veteris ac novi Teſtamenti innuere voluit: IX.

— — — Atqve columnæ
Adnexus tergum dedit ut ſervile flagellis.

Sed veſtigia cruoris, qvæ ſunt in ſindone ſacra, ut expreſſa ſunt à Philiberto Pingonio, teſtantur, Chriſtum non tantùm à tergo, aut non tantùm averſum, ſed & adverſum verberatum fuiſſe, qvod ſignum utiqve conjecturis prævalet. Alii Chriſtum columnæ longiori alligatum fuiſſe exiſtimant; ſed ut hinc & inde cæderetur, ſolvi debuit, & iterum alligari, præſertim ſi craſſior columna fuerit, ut qvæ Eccleſiæ porticum poſtea ſuſtinuerit. Probabilius eſt, breviorem fuiſſe columnam, aut certè minùs craſſam; ut faciliùs, hinc & inde Chriſtus verberari poſſet: qvomodo verberatum fuiſſe ſignant ſindonis veſtigia.

XI. *V. 2. Et plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus.*

Corona, qvam milites capiti, Chriſti impoſuerunt; fuit ex ſpinarum, ruborum, ſentiumve genere. Joannes hic ἐξ ἀκανθῶν, *ex ſpinis.* Clemens Alexandrinus lib. II. pædag. cap. VIII. ἀπὸ βάτου *ex rubo.* Pleriqve exiſtimant ex rhamno fuiſſe contextam, idqve probabile eſt: tùm qvia ſpina illa, qvæ vulgò Hieroſolymis naſcitur, obvia eſſe potuerit; tum quia milites eam ſpinam potius eligere voluerint, qvæ magis pungeret, ut eſt rhamnus. Plinius lib. XXIV. cap. XIV. *Inter genera ruborum rhamnos appellatur à Græcis candidior & fruticoſior: is floret ramos ſpargens rectis aculeis, non ut cæteri aduncis, foliis majoribus.* Hieronymus cap. II. Aggæi de rhamno, *ſpinoſus frutex, & arbuſcula, ſentibus urticiſqve contexta, qvæ teneat qvidqvid attigerit & retentum vulneret, & vulneratorum ſangvine delectetur.* Milites coronam ſpineam capiti Chriſti impoſuerunt, ut moleſtiam facerent; & qvidem moleſtum magis, ſpinis qvàm urticis coronari; qvod pro rei cujuſdam moleſtæ perpeſſione retulit Suidas ex Pherecrate in verbo ἀκαλήφη, ἀκαλήφαις στεφανοῦσθαι, *urticis coronari.* Magnum verò myſterium in corona Chriſti contexta ex ſpinis latuit: nam ſpinæ peccata referunt.

Sui-

Suidas; ἄκανθα ἡ ἁμαρτία. Δαβὶδ ὡς ἄχρηστον βλάστημα, καὶ κεντεῖν πεφυκός. ait: *David, peccata per ſpinas intellexiſſe, veluti ſtirpem inutilem, & pungere ſolitam.* Eo reſpicere voluit Hieronymus. *lib.* II. *Epiſt.* XVIII. Jeſus ſpinis coronatus eſt, & delicta noſtra portavit. Milites qvidem eô animô coronam ſpineam capiti Chriſti non impoſuerant, ut id ſignare vellent: verùm, ut in aliis, quæ milites fecerunt in Paſſione Chriſti, myſterium deprehenditur: veluti cùm acetum ori obtulerunt, cùm veſtem Chriſti diviſerunt, & in iſta coronæ ſpinæ impoſitione deprehendi poteſt. Hieronymus in cap. XXVII. Matthæi: *Qvomodo Caiphas prophetavit neſciens qvid diceret, ſic & milites qvæcunqve fecerunt, licet alia mens fuerit, nobis, qvi credimus, ſacramenta tribuerunt.*

Qvidam putant coronam Chriſti non fuiſſe in modum circuli, ſed in modum pilei & diadematis; ut & illam papyraceam, qvam Judæos, in deriſionem Agrippæ, Carabæ cujuſdam inſani capiti impoſuiſſe, ἀντὶ διαδήματος pro diademate refert Philo Judæus in Flaccum: & pro paludamento ſtoream corpori induiſſe, & pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum præ manibus dediſſe. Ita milites dederunt ſpineam coronam pro diademate, chlamydem purpuream pro paludamento, arundinem pro ſceptro. Tertullianus de coron. milit. cap. IX. ait, *Romanorum militum com-*

mentum fuiſſe ex uſu rei ſecularis, qvod ita Reges coronam geſtent, purpurâ induantur, ſceptrum præ manibus habeant.

XII. *V.* 2. *Et veſte purpureâ circumdederunt eum*, Matth. cap. XXVII. 28. *circumdederunt ei chlamydem coccineam.*

Coccum, ut propriè appellatur, à purpura diſtingvitur, *l. ſi cui* 70. *§. ult. & l. qvæſitum eſt* 78. *§. coccum* 5. *D. de legat.* 3. Ideo Ambroſius in cap. XXIII. Lucæ, Tunicâ purpureâ Chriſtum indutum fuiſſe exiſtimat, & deinde chlamide coccineâ circumdatum. Promiſcuè tamen coccum & purpura dicitur; *coccum Imperatoriis dicatum paludamentis*, Plinius lib. XXII. cap. II. Lampridius in Alexandro Severo: *Hoc ſolum Imperatorium habens, qvòd lacernam coccineam accipiebat*, id eſt, chlamydem. Paul. Diaconus lib. X. *Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat.* Ita coccum & purpura confunditur propter ſimilitudinem. Auguſtin. lib. III. de conſenſ. Evangeliſtar. cap. IX. *Eſt rubra qvædam purpura, cocco ſimilis.* Coccinea Imperatorum veſtis, purpurea militum. Vopiſcus in Aureliano: *Paragaudas veſtes ipſe primus militibus dedit, qvùm ante non niſi rectas purpureas accepiſſent.* Aut, niſi purpureæ eſſent

ſent veſtes, pannus purpureus chlamydi aſſuebatur. Dorotheus præter aliorum in eam rem probationes doct. 1. tom. P. Biblioth. PP. Græcorum, ἐπειδὴ γὰρ ὁ βασιλεὺς πορφύραν φέρει, πάντες οἱ στρατευόμενοι αὐτῷ βάλλουσιν πορφύραν εἰς τὸ χλαμύδιον αὐτῶν· τοῦτο ἐστι τὸ βασιλικὸν ἔνδυμα· ἵνα διὰ τούτου δείξωσιν, ὅτι τοῦ βασιλέως εἰσί, καὶ ὅτι αὐτοῦ στρατεύονται. *Ex qvo enim Imperator purpuram fert, omnes ipſi militantes purpuram pallio imponunt; qvod eſt Imperatorum indumentum: ut ex hoc oſtendant, qvod ſint Imperatoris, & ipſi militent.* Probabile eſt igitur chlamydem illam, qvâ Chriſtum milites induerunt, fuiſſe aliqvod pallium militare purpureum, uniqve militum detractum fuiſſe, ut eô Chriſtus indueretur ſeu circumdaretur. Verſio vulgata rectè *circumdederunt*: nam chlamys pallium militare fuit rotundum, non qvadrangulum; ita ut milites non tam operiret, qvam circumdaret. Etymologicum magnum, χλαμὺς δὲ τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς, *qvid rotundum & circulare.* Porrò Marcus cap. XV. 17. ſcribit, καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν: vulgata rectè vertit *purpuram*, id eſt chlamydem, ſeu veſtem purpuream. Πορφύρα Græcis eſt chlamys ſeu veſtis purpurea. Heſychius, χλαμὺς πορφύρα ἢ χιτών ut Latinis purpura. *l. ſi cui* 70. §. *verſicoloribus* 12. *D. de legat.* 30. Indumentum iſtud deriſoriè milites dederunt Chriſto, ut Judæi Garabæ ſtoream, pro paludamento ſeu chlamyde Imperatoria,

apud

apud Philonem Judæum in Flaccum : χαμαιστρώτῳ δὲ τὸ σῶμα περιβάλλουσιν ἀντὶ χλαμύδος. *Stoream corpori induunt pro chlamide.*

XIII. *V. 3. Ave, Rex Judæorum.*

More Romanô Imperatores ſalutabantur nomine Imperatoris, vel Domini, vel aliô nomine adulatoriô. Ita pſittacus Cæſarem ſalutat. Martial. lib. XIV. Epigr. LXXIII. 2.

Hoc didici per me dicere, Cæſar, ave.

Ita corvi ſalutare Auguſtum docti. *Ave, Cæſar, victor Imperator. Macrobius, l. II. Statarnal. cap. IV.* Alexander Severus ſuô nomine ſalutari voluit. Lampridius in Alexandro Severo : *Salutabatur nomine, hoc eſt, Ave Alexander.* Igitur ex hoc more milites Romani Chriſtum Regem per deriſionem ſalutârunt, ut & Judæi Carabam regiô habitu ornatum ſalutârunt magnâ voce *Marin* appellantes, qvod ſignificat Syris Dominum, *Philo Judæus in Flaccum.*

XIV. *V. 3. Et dabant ei alapas.*

Matthæus cap. XXVII. 30. *& percutiebant caput ejus.* Marcus cap. XV. 19. *& percu-*

percutiebant caput ejus arundine. Græca lectio apud Joannem habet, καὶ ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα Matthæus cap. XXVI. 67. καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν. οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν. ῥάπις virgula, fuſtis, crepida. Heſychius, ῥαπίδες, ὑποδήματα, *Calceamenta, ſoleas.* Ibi igitur apud Matthæum cap. XXVI. qvidam intelligunt Chriſtum fuiſſe ſolearum ictu percuſſum: at hîc Marcus expreſſit cap. XV. caput Chriſti arundine percuſſum fuiſſe: qvod & ῥάπισμα ſignificat, non minus qvàm palmâ verberatum depalmatumve fuiſſe.

V. 10. *Mihi non loqveris.* XV.

Reus ad objecta crimina reſpondere debuit, eaqve diluere, ſecundùm leges Romanas, *Actor. XXV.* 10. *ſ.* Cùm autem Chriſtus non reſponderet, voluit Pilatus Chriſto dicere, qvod alias Comicus:

An qviſqvam judex eſt, qvi poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas.

V. 10. *Neſcis qvia poteſtatem habeo crucifigere te.* XVI.

Vulgata rectè *poteſtatem*, qvô verbo jus animadvertendi continetur, *l.* 3. *D. de juriſdiction.* Legati qvidem Cæſaris primùm in Provincias nondum pacatas miſſi fue-

Digitized by Google

fuerunt ab Auguſto cum jure gladii, ſeu poteſtate animadvertendi; *Dio lib. LIII.* ut provinciales coërcerent. Procuratores autem Cæſaris jus gladii non habuerunt, *Tacitus lib. IV. Annal. Dio lib. LVIII.* ac ne vix qvidem juriſdictionem; niſi inter fiſcum & privatos, *lib. I. Cod. de juriſdiction. om. judic.* patrimonium Cæſaris adminiſtrabant; tributa in provinciis colligebant. Qvomodo igitur Procurator Tiberii Cæſaris in Judæa habuit imperium merum, ſeu jus animadvertendi? Præterea, Præſides, qvi univerſas provincias regebant, id eſt, integras & non diviſas, habebant qvidem jus gladii, *l. illicitas 6. §. qvi univerſas D. de offic. Præſidis*; at Præſides, qvi minores provincias regebant, ſuberant aliis Præſidibus, nec habebant majorem animadverſionem, *l. ex divi. 4. C. de locat. & conduct.* nec bonorum publicationem, ſeu jus confiſcandi, *l. unic. Cod. de ne ſine juſſ. Principis certis judicibus liceat confiſcare.* At Pilatus Judæam tantùm procurabat. Tacitus lib. XV. Annal. XLIV. 4. *Chriſtus qvi Tiberiô imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Qvomodo ergo Pilatus qvi erat tantum procurator Cæſaris habuit poteſtatem animadvertendi? Tertullianus cùm videret Pilatum jus animadvertendi habuiſſe, putavit Pilatum Syriam procurâſſe. Tertul. apologet. cap. XXI. *Ut poſtremò oblatum Pontiò Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti; violentiâ ſuffra-*

ſuffragiorum in crucem Jeſum ſibi dedi extorſerint. Lactant. lib. IV. divin. Inſtitut. cap. XVIII. *Pontio Pilato, qvi tum legatus Syriam regebat, oblatum cruci affigi poſtulaverunt.* Idem Cyprianus. Verùm Pilatus non erat legatus Cæſaris in Syria; Judæam tantùm procurabat, & ſuberat Syriæ præſidi; & ideò cùm Samaritanos qvosdam tumultuantes occidiſſet, cædis reus poſtulatus fuit apud Vitellium Syriæ præſidem, *Joſeph. lib. XVIII. Antiqvitat, cap. V.* Procuratores Cęſaris, qvi Prężidis partibus in provincia fungebantur, habebant majorem animadverſſionem, & de criminibus cognoſcebant, ut de lege Fabia, de plagiariis. Ulpianus libro IX. de Officio proconſulis in Collat. leg. Moſaic. cum leg. Rom. tit. XIV. de Plagiariis: *Nec aliter procuratori Cæſaris hæc cognitio injungitur, qvàm Præſidis partibus in provincia fungatur.* Imperat. Gordianus in l. IV. Cod. ad leg. Fab. de Plagiar. *Non valet procuratoris ſententia, ſi vicem præſidis non tueatur: qvi legi Fabiæ locum eſſe pronunciavit; cùm ejus diſceptatio ad Præſidis provinciæ pertineat notionem.* At Pilatus non erat Præſes provinciæ, qvi ſuberat tunc præſidi: nec partibus Præſidis in Judæa fungebatur, cùm tunc Sillanus eſſet Præſes Syriæ, *Joſephus, lib. XVIII. Antiq. c. III.* aut Vitellius, *Joſeph. ejuſd. lib. XVIII. c. V.* Matthæus qvidem vocat Præſidem cap. XXVII. 2. παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πι-

λάτῳ

Digitized by Google

λάτῳ τῷ ἡγεμόνι. Vulgata verſio *Pontio Pilato Præſidi*, rectè; qvia Præſidis nomen generale eſt, & pertinet ad omnes provinciarum rectores: ſive ſint proconſules, ſive legati Cæſaris, ſive qvô aliô titulô provinciam adminiſtrent, l. 1. D. de offic. Præſid. Ex hoc loco tamen conſtat Pilatum poteſtatem animadvertendi habuiſſe, ſummum ſupplicium inferendi, atqve etiam crucifigendi. Eqvidem Legati primum ab Auguſto miſſi fuerant cum exercitu, & cum imperio mero, ſeu jure gladij, in provincias nondum pacatas ut eas provincias pacarent, *Dio lib. LIII.* Sic igitur Pilato, licet tantùm procuratorem in Judæa ageret, imperium merum ſeu poteſtatem animadvertendi cùm exercitu & copiis militaribus à Tyberio Cæſare datam exiſtimo, ut Judæos aſſiduè tumultuantes vel tributa Cæſari dare detrectantes compeſceret. Ideò etiam Pilatus ſigna Romana & Cæſaris effigiem, præter conſvetudinem ad contumeliam legis Judaicæ, Hieroſolymam intulerat, ut ita Judæos ad Cæſaris venerationem adigeret, *Joſephus d. lib. XVIII. Antiqvitat. cap. IV.*

XVII. *V. 10.* ***Et poteſtatem habeo abſolvere te.***

Paulus in l. III. D. de re judicat. *Qui damnare poteſt, is abſolvendi qvoqve poteſtatem*

tem habet. Ulpian. in l. Nemo XXXVII. D. de regulis Juris: *Nemo qvi condemnare poteſt, abſolvere non poteſt.* Contra: *Is non habet jus liberandi reos, apud qvem accuſari non poſſunt.* l. ſolen. 6. D. de offic. proconſ. & legat.

V. 12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. XVIII.

His verbis Judæi vel ſimpliciter minantur Pilato, qvod amicitiâ Tiberii caſurus ſit; vel præterea, qvod Tiberius ei procurationem Judææ ſit ademturus. Siqvidem Legati, Præſides, Præfecti, amici Imperatoris dicebantur. Trajanus apud Plinium, lib. X. epiſt. XXII. *Ad Pompejum Plantam præfectum Ægypti, amicum meum.* Idqve paſſim occurrit in libris Juris Civilis, *l. ult. D. de off. præſid. l. p. §. ſi quis. D. de appell. l. p. Cod. ſi mancipium ita venierit. l. IV. C. de jur. & fact. ignorant. l. IV. Cod. de mutil. ſtip.* Judæi igitur ita Pilato volunt metum amittendæ poteſtatis injicere, qvod eâ ademptâ Cæſaris amicus non dicetur.

V. 12. Omnis qvi ſe Regem facit contradicit Cæſari. XIX.

Temporibus Tiberii lex Julia majeſtatis acriter & ſeverè exercebatur. Lucius Se-

neca lib. III. de benefic. cap. XXVI. *Sub Tiberio Cæſare fuit accuſandi frequens & pene publica rabies, quæ omni civili bellô gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebrio-rum ſermo, ſimplicitas jocantium, nihil erat tutum.* Svetonius in Tiberio cap. LVIII. 1. *Sub idem tempus, conſulente Prætore, an judicia majeſtatis cogi juberet? exercendas eſſe leges, reſpondit, & atrociſſimè exercuit.* Tacitus III. Annal. XXXVIII: 1. *Additô majeſtatis crimine, quod tum omnium accuſationum complementum erat.* Alius eô tempore majeſtatis accuſatus, qvòd annulum, in qvo ſculpta erat effigies Cæſaris, matulæ vel obſcœnis admoviſſet. *Senec lib. III. de benef. cap. XXVI.* Alius, qvòd Tiberii effigiem annulo impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſet *Svetonius in Tiberio cap. LVIII.* Alius, qvòd effigiem Principis promiſcuum adusum argenti vertiſſet: *Tacitus lib. III. Annal, LXX. 2.* Alius, qvòd ſervum verberâſſet, qvi drachmam argenteam Tiberii imagine ſignatam geſtabat, Philoſtratus *lib. 1. de vit. Apollonii.* Judæi igitur cùm ſcirent illis temporibus ob res leviores crimen majeſtatis intendi, idqve Tiberium velle vindicari, gravius crimen majeſtatis intenderunt Chriſto, qvòd ſe regem facere voluiſſet, ut Pilatus eum, tanti criminis accuſatum, timeret dimittere, & Tiberii offenſam incurrere. Theophilus Antiochenus, lib. [illegible] ad Autolycum, tom. [illegible] Biblioth. PP. Græcorum [illegible]

[illegible]

πεπηγμένους ὁ βούλεται βασιλεῖς καλεῖσθαι· τὸ γὰρ βασιλεὺς αὐτοῦ ἐστιν ὄνομα, καὶ οὐκ ἄλλῳ ἐξὸν ἐπὶ τούτῳ καλεῖσθαι. *Perſicus habet ſibi ſubditos non vult reges vocari; nam regis nomen ipſius eſt, nec licet alium hôc nomine vocari.*

V. 13. Sedit pro tribunali. XX.

Magiſtratus Romani de gravioribus cauſis cognoſcentes ſedebant pro tribunali: ut de reſtitutionibus in integrum, de liberalibus judiciis, de cauſis alimentorum, & ubicunqve cauſæ cognitio vertebatur, ut in danda bonorum poſſeſſione, *Decretal. l. 2. §. dies D. qvis ord. in poſſeſſ. ſervet:* multo magis cum de criminibus cognoſcerent; ubi major cauſæ cognitio reqviritur. Alias de plano, non pro tribunali cuſtodiæ ex levioribus delictis audiebantur, *l. minai 18. §. ult. D. de quæſtionib. l. Levia 6. D. de accuſationibus.*

V. 13. In loco, qvi dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. XXI.

Lithoſtrata cœptavêre jam ſub Sylla. *Plinius lib. XXXVI. natur. hiſt. cap. XXV.* Erat igitur pavimentum, vel cameratio illius loci, ſeu ex opere muſivario facta, puta cruſtis aut teſſellis; vel ſolum tribunalis ita factum erat, qvod ſvadet Hebr. vox *Gabbatha*; id eſt, excelſus locus, qvaſi

tribunal Lithoſtrotum Græcè dictum fuerit, eò qvòd teſſellatum: Gabbatha Hebraice, eò qvòd excelſum; & ut Hebraica vox ad tribunal tantùm pertinet non ad totum locum, ita & vox Græca ad tribunal tantùm referenda videatur. Meliùs autem verteretur, εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, in *locum, qvi dicitur Lithoſtroton,* qvàm, ut vulgata habet *Lithoſtrotos.* Plinius enim ſuprà Lithoſtrota.

XXII. *V.* 15. ***Illi autem clamabant, Tolle, Tolle.***

Vulgus noxios clamoribus ad pœnam poſcebat, ut ad ignem *Apulejus lib.* II. *Mileſiar.* ad Leonem, *Tertullianus Apologetici cap.* X. *Cyprianus epiſt.* III. idqve Judæos factitâſſe conſtat, Actor. cap. XXI. 36. *Seqvebatur multitudo populi clamans, tolle eum,* atqve etiam ex Joſepho *lib. III. de bello Judaico cap. XIV.* ubi multitudo incondita Joſephum qvemdam ad ſupplicium poſcit. Qvod Veſpaſianus habuit inſuper, & poſteriorum Impp. conſtitutiones prohibuerunt, ne in pœnis decernendis vanæ voces populi audirentur; l. Decurionum 12. Cod. de pœnis. *Cùmqve à populo acclamatum eſſet, iterum dixerunt (Impp. Dioclet. & Maximian.) vanæ voces populi non ſunt audiendæ: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium*

xium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.

V. 15. Crucifige eum. XXIII.

Judæi Chriſtum accuſaverant ut ſeditioſum, ut turbas concitantem, ut prohibentem dare tributa Cæſari, regnum affectantem: ideò ad crucem poſcunt, qvia Crux pœna ſeditioſorum. Paulus lib. V. ſent. tit. XXII. de ſeditioſ. *Auctores ſeditionum, & tumultus populô concitatô, pro qvalitate conditionis, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur.* Ita Qvintilius Varus Syriæ Præſes Judæos ſeditioſos cruci affixit. *Joſephus lib. II. de Bell. Judaico.* Et Florus qvoqve Syriæ Præſes *Joſeph. eod. lib. II. de bello Judaico cap. XIV.* Adeò verò id perſvaſum erat, Chriſtum tumultus & ſeditiones concitâſſe, ut longô poſt tempore, Judæos, impulſore Chriſtô aſſiduè Romæ tumultuantes fuiſſe, ſcripſerit Svetonius in Claudio cap. XXV. *Judæos impulſore Chriſtô, aſſiduè tumultuantes Româ expulit.*

V. 16. Tunc ergo tradidit illum, ut crucifigeretur. XXIV.

Qvidam exiſtimant Pilatum, cùm tàm citò de Chriſto ſupplicium ſumpſerit, commiſiſſe in Senatuſconſultum illud tempori-

bus Tiberii factum, qvô pœna damnatorum in decimum ſemper diem differri debuit, *Svetonius in Tiberio cap. LXXV. Senec. de tranqvillit. vitæ cap. XIV.* vel in trigeſimum diem, ut Sidonius Apoll. retulit. *lib. I. Epiſt. VII.* Sed non advertunt, Senatuſconſulto tantum locum fuiſſe, cùm qvis aut à Senatu, aut à Principe damnatus eſſet, ordine judiciorum ſervato: at non pertinebat Senatuſc. ad ſeditioſos & famoſos latrones, qvos mandata Principum ſtatim & extra ordinem puniri voluerunt. Ulpianus in l. ſi qvis 6. §. qvid tamen 9. D. de injuſt. rupt. & irret. fact. teſtament. *Niſi fortè latro manifeſtus, vel ſeditio prærupta, factioqve cruenta, vel alia juſta cauſa: tunc enim punire permittitur, & deinde ſcribere.* Modeſtinus in l. Conſtitutiones XVI. de appellationibus: *Conſtitutiones quæ de recipiendis, nec non appellationibus loqvuntur, ut nihil novi fiat, locum non habent in eorum perſona, qvos damnatos ſtatim puniri intereſt: ut ſunt inſignes latrones, vel ſeditionum concitatores, vel duces factionum.* Mandata primùm dederat Auguſtus Legatis ſuis, qvæ & alii Principes ſemper dare ſolebant Præſidibus ad provinciarum adminiſtrationem proficiſcentibus. Lucianus pro eo, qvod inter ſalutandum ἐντολῶν βιβλίῳ ὃ ἀεὶ καὶ παρὰ βασιλέως λαμβάνεται, *in mandatorum libro, qvod ſemper ab Imperatore accipitur.* His mandatis continebatur, qvomodo ſontes punirent, & pro dignitate vel con-

conditione perſonarum, vel pro qvalitate delicti, multæ dictione *l. aliud eſt 131. §. p. D. de verb. ſignif.* vel capitali pœnâ, vel vinculis. *l. Divi 27. §. 1. & 2. & l. mandatis 35. de pœn.* vel gladiô. Tertullianus ad Scapulam cap. IV. *ſed gladiô tenus, ſicut à primordio mandatum eſt, animadverti in hujuſmodi.* Iiſdem mandatis cavebatur, ut curarent præſides malis hominibus provincias purgare, *l. III. D. de offic. Præſidis.* Perſecutiones Præſidum ἐντολὰς vocat Euſebius, qvòd ſecundùm mandata Principum Chriſtianos perſeqverentur. Caput etiam mandatorum videtur fuiſſe, ut ſeditionum & factionum authores ſtatim punire poſſent: qvod colligitur ex verbis *d. l. VI. §. 9. D. de injuſt. rupt. & irrit. fact. teſtament. Tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere;* puta, mandatis permittitur. Pilatus igitur ſecundùm mandata hujuſmodi Chriſtum ſeditionis, factionis, affectati regni accuſatum, Judæis inſtantibus, punit: & ſecundùm eadem mandata ſcripſit Tiberio. Tertullian. in apologet. cap. XXI. *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nuntiavit. Euſebius lib. II. hiſt. Eccl. cap. II. Ex Tertull.* ſed tantùm qvinqve annis à Paſſione Chriſti. Flavius Dexter in Chronico ad annum Chriſti XXXIV. *Pilatus Chriſti mortem & miracula ſcribere ſtatuit Tiberio.* Igitur Pilatus in eo leges Romanas

prætergreſſus non eſt, qvòd de Chriſto ſtatim ſupplicium ſumpſerit: ſed qvòd accuſatoribus crimina objecta Chriſto non probantibus, ad petitionem Judæorum, Chriſtum innocentem (ut ipſe ſemper teſtatus eſt) morti addixerit. Leo magnus ſermon. VIII. de Paſſion. Domini. *Nec ipſe evaſit reatum, qvi cooperatus ſeditioſis, reliqvit judicium proprium, & in crimen tranſivit alienum.*

XXV. *V. 17. Bajulans crucem ſuam.*

Damnati ad crucem ipſi crucem ſuam ferebant. *Plutarchus in lib. de ſera numinis vindicta; Artemidor. lib.* II. ὀνειροκριτικ. *cap. LXXI.* qvod jam à pleriſqve obſervatum eſt, at id ex more Romano fuiſſe, probat Plautus Carbonariâ apud Non. Marcellum de indiſcret. generib. *Patibulum ferat per urbem: deinde affigatur cruci.* Milites igitur ex more Romano crucem ferendam Chriſto impoſuerunt: &, ut in aliis ſuprà oſtendimus, ita ut in eo prophetiæ impletæ fuerint. Tertullianus lib. III. adverſus Marcionem. *Solus novus rex novorum ævorum Chriſtus Jeſus, novæ gloriæ & poteſtatem & ſublimitatem ſuam humerô extulit, crucem ſcilicet: ut ſecundùm ſuperiorem prophetiam exinde Dominus regnaret à ligno.* Leo Magnus ad aliam prophetiam reſpiciens, ſer. VIII. de Paſſione Domini: *Traditus Dominus ſævientium voluntati, ad* irri-

irriſionem regiæ dignitatis ſupplicii ſui juſſus eſt eſſe geſtator; ut impleretur, qvod Iſaias propheta prædixerat, dicens: Ecce natus eſt puer, cujus imperium ſuper humerum ejus. Qvod verò exiſtimant nonnulli, ex verbis Lucæ cap. XXIII. 26. Simonem crucem portâſſe poſt Jeſum, ita ut Chriſtus anteriorem partem crucis geſtans præiret, Simon autem poſtremam geſtans ſeqveretur: Probabilius eſt ſecundum morem Romanum totam crucem ferendam Chriſto ſoli impoſitam fuiſſe: At cum timerent milites, Chriſtum jam multis cruciatum modis in via deficere, crucem à Chriſto in Simonem tranſtuliſſe: ut Hieronymus in cap. XXVII. Matthæi verſ. 32. Auguſt. lib. III. de conſenſ. Evangeliſt. cap. X.

V. 18. Et cum eo alios duos, hinc & hinc: medium autem Jeſum. XXVI.

Crux ſupplicium ſicariorum, latronum, ſervorum, & infimæ conditionis hominum. *Paulus lib. V. ſent. tit.* XXII. *de ſeditioſis.* Firmicus lib. VI. cap. XXXI. *Homicidam, latronem efficiet, iſtis fac moribus comprehenſus, patibulo, ſuffixus in crucem, & crudeliter erigitur.* Lactantius lib. divinar. inſtitut. cap. XXVI. *Eo genere afficiendus fuit, qvô humiles & infimi ſolent.* Verum autem videtur, Chriſtum & latrones duos magis cruci erectæ qvam jacenti adfixos fu-

 iſſe,

iſſe, & ut Chriſtum, ita latrones qvoqve duos clavis cruci affixos fuiſſe: non funibus ſive reſtibus.

XXVII. *V. 19. Scripſit & titulum Pilatus.*

Pilatus ante ſcripſerat ſententiam, more Romanô. Neqve enim putandum eſt, Pilatum ſententiam voce pronunciâſſe abſqve ſcriptura, ſed eam ſcriptam ex tabella recitâſſe ex periculo, ſeu indiculo, ut moris Romani fuit. Seneca de morte Claudii: *Ista ex tabella recitavit.* Svetonius in Claudio. Tertullianus apologetic. cap. II. *Quod de tabella recitatis illum Chriſtianum.* In actis Paſſionis B. Cyprian. *Decretum ex tabella recitatur, Thaſcium Cyprianum gladiô animadverti placet.* Cùm igitur anteà Pilatus ſcripſiſſet ſententiam, innuit eundem Pilatum ſcripſiſſe & titulum. Qvaſi poſt ſententiam & titulum ſcripſerit: idqve etiam more Romanô, qvô crucifixus per forum traducebatur cum literis mortis cauſſam indicantibus. Dio lib. LIII. μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων. αἰτίαν Dio, ut Matthæus cap. XXVII, 37. τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην *cauſam ipſius ſcriptam.* Marous cap. XV, 26. ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας, ut titulus cauſæ, Qvintil. declamat. CCII. *productus ſub titulo cauſæ.* Titulus & cauſa Latinis promiſcuè. Ita interpretatur literas iſtas ſingula-

gulares Paulus Diaconus C. P. id eſt *cauſam poſuit.* Videtur autem ſecundùm verſionem Latinam Joannis, qvòd Chriſtô jam crucifixô Pilatus titulum ſcripſerit; ſed tamen ſecundùm verſionem Græcam *ſcripſerat & titulum Pilatus.* Probabile eſt ſtatim poſt ſententiam eum ſcripſiſſe & titulum, atqve etiam cruci appoſitum, & à Chriſto ſimul cum cruce latum fuiſſe; ſed dum ferretur in via, plurimis concurrentibus, titulum à Judæis non ita facilè deprehendi legive potuiſſe; ut tunc Pilatum de eo mutando interpellarent, veluti cùm cruci ſuperpoſitus fuit. Putarem nihilominus titulum non ipſi cruci, ſed tabella à cruce ſeparata inſcriptum, & poſteà cruci adjunctum fuiſſe. Sicqve Helenam titulum à cruce ſeparatum reperiſſe ſcribit Ruffinus *lib. p. hiſt. Eccleſiaſt. cap. XXVII.* Latronum autem cruces titulum non habuiſſe refert Chryſoſtomus *homil. LXXXIV. in Joannem*, & Theophylactus in *cap. XIX. Joannis.*

V. 19, 20. Erat autem ſcriptum, Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum. XXVIII.

Alii ſcriptores Evangelici fuiſſe ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè; qvi titulum Chriſti Romæ viderunt, eum ordinem lingvarum in titulo Chriſti fuiſſe referunt, ut ſupe-

ſuperior poſita fuerit Hebraica, media fuerit Græca, & tertia Latina, eumqve ordinem Prudentius agnovit in apotheoſi. v. 383. ſ.

Fronte crucis: titulus ſit triplex, triplice lingvâ.
Agnoſcat Judæa legens, & Græcia nôrit,
Et venerata Deum percenſeat aurea Roma.

Et qvidem cùm pleriqve ex Græcis Latiniſqve Hieroſolymam convenirent, tribus iſtis lingvis titulum ſcribi oportuit, ut ab omnibus legi poſſet. Capitolinus in Gordiano Juniore refert, milites titulum Gordiani inſcripſiſſe *Græcis & Latinis, Perſicis, & Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur.* Illi etiam qvi viderunt titulum, referunt, tres lingvas in titulo Chriſti poſitas fuiſſe, ut à dextra in ſiniſtram legeretur: fortè, quòd cùm Hebræa primò locô ſcripta fuiſſet, ita & duæ aliæ lingvæ poſteà ſcriptæ fuerunt. Qvamvis autem titulus tribus lingvis ſcriptus fuerit, ſententia Latinis litteris tantùm ſcripta fuerat: neqve enim patiebatur dignitas Romani Imperii, ut aliâ lingvâ præſides in ſententiis uterentur. *Claudius ſplendidum virum, Græciæqve provinciæ principem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albô judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Svetonius in Claudio cap. XVI. Dio lib. LXVI.* Judex enim eſſe non poterat, qvi

qvi Latini ſermonis ignarus erat. Sententiæ & decreta, id eſt, qvæcunqve fiunt adhibitâ cauſæ cognitione, *Latine à prætoribus interponi debent.* l. decreta 48. D. de re judicata. Præco cauſſam pœnæ ſuperdicens aliâ lingvâ uti potuit, ut in reſcripto illo Imperatorum Severi & Antonini, qvo eum qvi temerè juraverat, fuſtibus caſtigari, atqve à præcone ſuperdici voluerint, προπετῶς μὴ ὄμνυε. *Temerè ne juraveris*, l. ſi duo 13. §. ult. D. de jurejurand. Ita qvidem præconem Græcè loqvi oportuit, ut in Græciâ audiretur: & titulus Chriſti tribus lingvis ſcribi, ut à pluribus advenis legeretur. Tandem poſterioribus temporibus, tranſlatô in Græciam Imperiô, Arcadius & Honorius, judices tam Latinâ qvàm Græcâ lingvâ ſententias proferre permiſerunt, *l. judices 12. Cod. de ſent. & interlocut. omn. jud.*

V. 22. Qvod ſcripſi ſcripſi. XXIX.

Secundùm leges Romanas, ſententia ſemel dicta à magiſtratu, ſeu judice, ſeu qvolibet alio juriſdictioni præeunte, mutari non poterat. *Svetonius in Julio cap. XIV. Marcus Seneca lib. II. controverſ. III. & lib. VII. controverſ. VIII. Tertullianus de Pudicitia cap. XIV.* ut ne littera qvidem mutari poſſet. Apulejus lib. 1. Floridor. *Proconſulis autem tabella ſententia eſt, qvæ ſemel lecta, neqve augeri litterâ, neqve minui poteſt,*

poteſt, ſed utcunqve recitata, ita provinciæ inſtrumentô refertur. Pilatus igitur ſententiam mutare non poterat, ut nec pœnam ampliare vel minuere *l. acta 45. §. p. D. de re judicata*, ſed titulum mutare poterat Judæis poſtulantibus: nam licet ſententia mutari non poſſet, tamen ea, qvæ ad conſeqventiam ſtatutorum pertinebant, eôdem die ſuppleri potuerant, *l. Paulus 42. D. eod. tit. de re judicat.* Verùm Pilatus erat homo pervicax & iracundus, qvalem deſcribit Philo Judæus de legation. Cajum, ἦν γὰρ τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ αὐθάδους ἀμείλικτος, *erat enim naturâ inflexibilis, & per arrogantiam durus*, & poſtea βαρύμηνις ἄνθρωπος, *iracundus homo.* Ita non facilè adduci potuit Pilatus, ut titulum, qvem ſcripſerat, mutaret.

XXX. *V. 23. Milites cùm crucifixiſſent.*

Milites, qvi præſidi apparebant, & cuſtodiam agebant; puta ſpiculatores, ſatellites, ſtipatores: nam Matthæus cap. XXVII. 35. refert, poſt ſententiam à Pilato latam, ut Chriſtus crucifigeretur, milites Præſidis Chriſtum ſuſcepiſſe, & univerſam cohortem congregâſſe. Unde iſtos, qvi erant in ſatellitio Præſidis, ipſiqve apparebant, Chriſtum crucifixiſſe exiſtimarem. Milites in caſtris, & in urbe, juſſu Imperatoris, & in provinciis, juſſu Præſidum damnatos ſuppliciô afficiebant. Che-

reas

reas apud Joſephum lib. XIX. Antiqvitatum, cap. I. Ἀξιχειρόμεθα δορυφόροι καὶ δήμιοι καθεστηκότες ἀντὶ στρατιωτῶν. *Miniſtrantes ſatellites & carnifices conſtituti pro militibus.* Tertull. de coron. milit. cap. X. *Et vincula, & crucem, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum.* Atqve etiam Tribunus ipſe & Centuriones de damnatis ſumebant ſupplicia, ut à pleriſqve jam fuit obſervatum, & ſtationarii milites Chriſtianos torqvebant, ſupplicium inferebant, ut in qvibuſdam Actis Martyrum.

V. 23. Acceperunt veſtimenta ejus. XXXI.

More Romanō ſpeculatores, qvi de damnatis ſupplicium ſumebant, veſtes eorum capiebant, & pannicularia eorum; nec primùm id permiſit Adrianus, ſed reſcriptô ſuô expreſſit, qvid pannicularia appellatione contineretur. *L. Divus 6. de bonis damnat.* Ulpianus poſt reſcriptum Adriani ſubjicit: *Pannicularia ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit; ſpolia quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit.* Pannicularia habebant ſpeculatores: at commentarienſes alias res damnatorum retinebant, qvarum & rationes faciebant. Legitur in Pandectis Florent. *Neque ſpecula-*

latores ultro ſibi vindicent. Mendum eſſe unius litterulæ, & legendum *ultra*, optimâ ratione alibi obſervavimus, *lib. III. obſer. cap. p.* Scilicet, ut ſpeculatores nihil ultra ſibi vindicent; præter panniculeria, & optiones ſeu commentarienſes alias res retineant.

XXXII. ***V. 23. Et fecerunt qvatuor partes, unicuiqve militi partem.***

Igitur qvatuor ſolùm milites Chriſtum crucifixerunt, cùm, diviſâ veſte Chriſti in qvatuor partes, qviſqve ſuam haberet. Inde qvidam pallium Chriſti qvadrangulum fuiſſe exiſtimant, & ex qvatuor angulis ſibi feciſſe milites qvatuor partes. Alii verò non ideò in qvatuor partes diviſum fuiſſe, qvòd eſſet qvadrangulum, ſed qvòd eſſent qvatuor milites, ut cuiqve pars ſua tribueretur.

XXXIII. ***V. 23. Erat autem tunica inconſutilis.***

Chriſtus geſtabat tantùm veſtem, pallium, ſeu veſtem exteriorem, & tunicam, ſeu veſtem interiorem è lana: milites qvidem pallium dividere poterant, ut veſtem ampliorem & latiorem; non tunicam ſubſtrictiorem & breviorem: aut qvia erat *ἄῤῥαφος*, inconſutilis, ſive inconſuta, ad diffe-

differentiam tunicarum conſutarum ex diverſis pannis, aut commiſſarum fibulis. Iſidorus Peluſiota epiſtola LXXIV. putat, fuiſſe ex genere qvodam textrinæ Galilæorum. Milites igitur tunicam Chriſti non diviſerunt, ſed ſuper eam miſerunt ſortem; qvòd commodè dividi non poſſet; aut propter brevitatem, aut propter genus ipſum textrinæ.

V. 23. Deſuper contexta per totum. XXXIV.

Tunica Chriſti non erat conſuta opere ſutoriô, ſed contexta opere textoriô: qvod tamen qvâ arte fieri potuerit ſatis obſcurum eſt, præſertim ſi manicas haberet, qvî enim fieri potuit, ut ſutor unam tunicam manuleatam texeret? Patres Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus, Iſidorus tentant exponere, & poſt illos Philologici nuperi; ſed ab his non tantum lucis, ut locus illuſtretur.

V. 24. Sortiamur de illa, cujus erit. XXXV.

More Romanô ſortibus in plerisqve utebantur. Sortitò dabantur Provinciæ, *l. un. D. de offic. qvæſt.* legationes, Tacitus lib. IV. Hiſt. VIII. 1. *Secundùm vetera exempla, qvæ ſortem legationibus poſuiſſent.*

ſuiſſent. Sortiti judices ex decuriis legabantur, puta ſcriptis nominibus judicum, & in urnam ſortitò miſſis, ut Aſconius in Divinationem. Sed & legibus Romanis pluribus de ea re contendentibus ſorte res diſcernebatur, *l. ſed cùm ambo* 14. *D. de Judic. l. generaliter* 24. §. *quid ergo* 17. *D. de fideicommiſſ. libertatib.* Milites igitur eô more ſuper veſtem Chriſti miſerunt ſortem. Non qvidem ſuper veſtem exteriorem, qvod Marci verba cap. XV. 20. 24. ſvadere videntur; ſed interiorem, ſcilicet tunicam, qvæ commodè dividi non poterat, ut hîc Joannes expreſſit & Lucas cap. XXIII. 34. Uterqve attigit diviſionem pallii, & ſortitionem tunicæ. Qvomodo verò milites ſortem jecerunt? an nominibus qvatuor militum in urnam jactis, ut illius tunica eſſet, cujus nomen prius exiiſſet? Talem ſortitionem inter milites, ſed longô poſt tempore factam, reperio. Cùm eqvum in prælio captum non poſſent inter ſe dividere apud Vopiſcum in Probo. *In urnam militares juſſit nomen ſuum mittere, ut aliqvis eum ſorte ductus acciperet*, puta is, cujus nomen prius urnâ emerſiſſet, ut poſtea ſubjicit Vopiſcus. Ita igitur milites tunicam Chriſti ſortiti ſunt, nominibus ſeu ſorticulis in urnam ſeu ſitellam jactis: aut ſi milites urnam non habuerunt paratam eô loco, ubi Chriſtum crucifixerunt, in galeam, ſeu caſſidem, more militari ſortes jecerunt. Virgilius lib. V. Æneid. verſ. 490. — *de-*

—— dejectamqve aerea ſortem
Accepit galea, ——
Statius lib. VI. Thebaid. v. 389.
—— Sortitus Protheus verſarat ahena
Caſſide ——

Id qvidem magis admittendum, qvàm milites ſortem jeciſſe teſſeris aleatoriis; aliud enim ſors, aliud alea.

V. 29. Vas ergo erat poſitum acetô plenum. XXXVI.

Ad qvid vas hic poſitum erat, acetum, & hyſſopus, & ſpongia, & calamus? Pleriqve exiſtimant id ex more factum eſſe, qvaſi mos fuerit ita cruciariis parari acetum, & ſpongiam, ad vulnera reſtringenda: alii ad mortem accelerandam parari: alii acetum ad potionem parari. At vix eſt, ut milites Romani, qvi Chriſtum crucifixerunt, morem iſtum Judæorum obſervare voluerint, eôqve animô acetum in vaſe, & ſpongiam, & hyſſopum, & arundinem ſecum tulerint. Eqvidem vas acetô plenum ad reſtringenda vulnera poſitum non fuiſſe, argumentum eſt; qvia diu jam Chriſtus & latrones crucifixi fuerant, multumqve ſangvinis è vulneribus crucifixorum fluere potuerat; & vas ipſis reſtringendis exhauſtum eſſe, qvod tamen erat ple-

plenum. Vas iſtud igitur poſitum fuerat ad bibendum, idqve milites ſecum attulerant: non ut ex eo potum Chriſto darent, ſed potiùs ut ſibi ex eo potum ſumerent. Siqvidem acetum tenuioribus in potu fuit *l.* 25. *D. de option. vel elect. legat. l. penult. & l. ſi qvis* 9. §. *ſi acetum D. de tritico, vino, vel ol. legat.* Perſius ſat. IV.

Pannoſam fæcem ſorbens morientis aceti.

Acetum qvoqve potus militum fuit. Impp. in l. p. C. de erogat. milit. annon. Spartianus in Peſcennio Nigro: *Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed acetô univerſos eſſe contentos.* Erat potus ille aceti in Palæſtina tenuioribus qvoqve non inſolitus Ruth. cap. II. 14. *Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Exiſtimarem igitur, milites vas iſtud plenum acetô, ſui cauſsâ, poſitum habuiſſe; ut ex eo biberent: nam qvia debebant crucifigere, & poſt crucifixionem manere, donec crucifixi morerentur; incerti an diu manſuri, potum ſecum attulerant. Ut & miles ille, qvi latrones cruciarios ſervabat, cœnulam ſuam ſecum tulerat. *Potionem, cibum,* apud Petronium in Satyric.

V. 29. *Illi*

V. 29. Illi verò implentes ſpongiam acetô, & hyſſopô circumponentes, obtulerunt ori ejus. XXXVII.

Scriptores Evangelici locum iſtum variè retulerunt: ideo qvidam exiſtimant acetum hyſſopo fuiſſe circumpoſitum, id eſt permixtum, & ſpongiam hujuſmodi acetô imbutam arundini adfixam fuiſſe, datamqve Chriſto ad bibendum. Alii ex verbis Joannis colligunt, hyſſopum fuiſſe aptatum ſpongiæ, ut hôc modô potus Chriſto porrigeretur. Qvaſi genus illud hyſſopi in Judæa fuerit qvædam arbuſcula, calamo & arundini ſimilis. Idqve ſvadent verba Joannis καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, *& hyſſopo circumponentes.* Matthæus verò, cap. XXVII. 34. ait milites impleviſſe ſpongiam acetô, eamqve non hyſſopo, ſed arundini circumpoſuiſſe, ut ita Chriſto porrigeretur: alii, milites hyſſopum arundini circumligaſſe, & hyſſopo ſpongiam qvoqve circumpoſuiſſe, & ſimul hyſſopum & ſpongiam acetô imbutam, ut utrumqve ori Chriſti ingratum admoverent, atqve ei ita illuderent; qvod verius eſt. Sed adhuc qværi poteſt, qvâ mente milites, ea ſecum haberent; ſpongiam, calamum, ſeu arundinem, hyſſopum? Fortuitò illa omnia occurriſſe exiſtimo, & ſpongiam

fortè arundini non fuiſſe aptatam, ſed arundinem ſimul cum ſpongia inventam. Cæſarius tom. p. Biblioth. PP. GG. interrogatione LXXXV. ὁ δὲ κάλαμος καρποφορεῖ, τὴν μὲν κόμην εἰς σπόγγους, τὸ δὲ καὶ λοιπὸν εἰς γραφίδας. *Arundo fructum fert. Comam quidem ad ſpongiam, & reliquum ad pennas.* Sed ſi talis arundo fuit, qvi in coma haberet ſpongiam, non debuit aptari circumponive arundini ſpongia, cui ipſa adhærebat.

XXXVIII. *V. 31. Ergo Judæi, ut non remanerent in cruce corpora ſabbatô.*

More Romanô cruciarii à militibus cuſtodiebantur, etiam poſt mortem, ne qvis corpora detraheret. Petronius in Satyrico: *Miles, qvi cruces aſſervabat, ne qvis ad ſepulturam corpora detraheret.* Cruciariis crux fuit ſepulchrum. Plautus in Milit. glorioſ. *Scio crucem futuram mihi ſepulchrum.* In cruce paſcebant corvos, & in ſepulturam ſuam defluebant, ut Lucius Seneca. More Judæorum, poſt lapidationem patibulo expoſiti, ſub occaſum ſolis tollebantur, & ſepulturæ tradebantur, *Deuteronomii cap. XXI. 23. Joſeph. lib. IV. de Bello Judaico cap. ult. Tertullianus adverſus Judæos cap. X.* Chriſtus & Latrones more Romanô crucifixi, in cruce remanere debuerant: ſed Judæi, propter magnum

gnum diem Sabbati, rogaverunt Pilatum ut corpora eorum in cruce non remanerent, ſed tollerentur. Philo Judæus in Flaccum refert, & qvoſdam cruci affixos à Romanis, inſtante aliqvô ſolemni die, veluti natali Imperatoris, de cruce depoſitos; & ad ſepulturam cognatis redditos fuiſſe.

V. 31. *Ut frangerentur eorum crura.* XXXIX.

Crurifragium id ex more Romanorum, non Hebræorum: nam cùm qvidam vivaciores in cruce manerent, crurifragiô mortem accelerabant. Lactantius lib. IV. inſtit. cap. XXVI. *Suffixus itaqve Chriſtus, cùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putaverunt oſſa ejus ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Qvæ verba referri debent, non ad morem Hebræorum, ſed ad morem Romanorum, qvi Chriſtum crucifixerant. Auguſtinus in Pſal. XXXIII. *Crura latronibus in cruce fregerunt, ut per ipſum dolorem compendiô mortis ab ipſo cruciatu liberarentur, qvomodo ſolebat crucifixis fieri.* Iſidorus lib. V. orig. c. ult. *Patibuli minor pœna qvàm crucis; nam patibulum appenſos ſtatim exanimat, crux autem ſuffixos diu cruciat. Unde & in Evangeliô latronibus, ut morerentur, & de ligno ante ſabbatum deponerentur, crura confracta ſunt: qvia de ligno ſuſpenſi cito mori non poterant.*

XL. *V.* 34. ***Et unus militum lanceâ ejus latus aperuit.***

Milites ſpiculatores erant cum lanceis. Svetonius in Claudio cap. XXXV. 2. *Neqve convivia inire auſus eſt, niſi ut ſpiculatores cum lanceis circumſtarent.* Et ita Veſpaſianus habuit λογχοφόρους apud Joſepho lib. III. de bello Judaico cap. VIII. *lanceam ferentes, ſeu Lancearios.* Cùm igitur ſatellites iſti de damnatis ſupplicium ſumebant, lanceas geſtabant, & crucifixorum latus lanceâ fodiebant, ut citiùs morerentur: vel ut deprehenderent, an crucifixi eſſent mortui. *Eumqve morem Romanum fuiſſe*, refert Origenes tractat. XXXV. in Matthæum. Porrò non improbabiliter dicetur, militem iſtum, qvi lanceâ latus Chriſti aperuit, fuiſſe Centurionem. Nam cùm Centurio, ex more, recitare deberet Pilato, factum eſſe qvod imperâſſet: [Tacitus lib. I. annal. VI: 5. *Nuncianti Centurioni, ut mos militiæ, factum eſſe, qvod imperâſſet*] renunciare debuit mortem, cui Chriſtus addictus fuerat, ſecutam eſſe. Anteqvàm id renuntiaret, certò ſcire debuit, Chriſtum eſſe mortuum. Qvod ut exploraret, lanceâ latus aperuit; ſive eam geſtaret, ſive ab alio geſtatam acciperet.

V. 38.

V. 38. *Rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathia.* XLI.

Lege Majeſtatis damnati, *publicatis bonis, ſepulturâ prohibebantur. Tacitus lib. VI. Annalium* XXIX: 2. *& l. p. D. de Cadaverib. punit.* Pilatus Chriſtum, ut regnum affectantem, ut turbas concitantem, ut ſeditioſum, ſuppliciô crucis affecerat. Non fruſtrà ergo dictum, qvod Joſephus in illa trepidatione & metu Pilatum audacter adiverit. τολμήσας, ut Marcus cap. XV: 43. *audens fidens. Hieronymus ad cap.* XXVII. *Matthæi*, ideo ait Joſephum veniſſe audacter ad Pilatum, qvia dives erat: *Nec pauperis & ignoti erat ad Pilatum Præſidem Romanæ poteſtatis accedere, & crucifixi corpus impetrare.* Eandemqve rationem affert Auguſtinus lib. III. de conſenſ. Evangeliſt. cap. XXII. An qvia Joſephus erat Decurio, ſeu Senator, ut Marcus, cap. XV: 43. eoqve nomine gratiam apud Pilatum mereri potuit? An qvia Joſephus Senator Legum Romanarum non inſcius erat, qvibus corpora animadverſorum ad ſepulturam cognatis non negabantur jam à temporibus Auguſti; ut ipſe Auguſtus lib. X. de vita ſua ſcripſerat. Ulpianus d. l. p. D. de Cadaveribus punitor.: *Corpora eorum, qvi capite damnantur, cognatis ipſorum neganda non ſunt:*

ſunt: Et id ſe obſervâſſe etiam D. Auguſtinus lib. X. de vita ſua ſcribit: *Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora, non aliter ſepeliuntur, qvàm ſi fuerit petitum & permiſſum: ut nonnunqvam non permittitur, maximè majeſtatis cauſâ damnatorum.* Eâ igitur ratione audacter Joſephus Pilatum adivit; qvòd, cùm Chriſtus majeſtatis damnatus eſſet, non timuerit, corpus Chriſti à Pilato petens; vel, qvòd ſperaret ſe poſſe impetrare.

XLII. *V. 38. Et permiſit Pilatus.*

Supra Ulpianus in d. l. p. D. de Cadaveribus punitor. *Eorum, in qvos animadvertitur, corpora, non aliter ſepeliuntur, qvàm ſi fuerit petitum & permiſſum.* Permiſit Pilatus, ut homini diviti, ut Decurioni. Primùm cognatis tantùm conceſſa punitorum cadavera. *Ulp. ſup.* Philo Judæus in Flaccum τοῖς συγγενέσιν ἐπὶ τῆς ταφῆς ἀξιωθῆναι ἀποδοθέντας. *Qvoſdam cognatis ad honorem ſepulturæ redditos.* Tandem verò corpora animadverſorum qvibuslibet petentibus ad ſepulturam data ſunt, *l. III. D. eod. tit. de Cadaverib. punitor.* Marcus Fab. Qvintil. declamat. VI. *Cruces ſucciduntur, percuſſos ſepeliri carnifex non vetat.* Et poſtea: *Neminem non mortalium favere hominis ſepulturæ convenit; qvia hæc una res eſt, cujus exemplum ad omnes pertineat: ideo-*

qve

qve non niſi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam ſi qua ſunt jura, quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occiſione (al: occaſione) contenta eſt.

V. 40. Et ligaverunt illud linteis. XLIII.

Matthæus & Marcus involutum fuiſſe ſindone mundâ. Auguſtinus lib. III. de conſenſ. Evangeliſtar. cap. XXIII. *Licet Joſeph involverit in ſindone: propterea non prohibetur intelligere, quod & alia lintea poſtea addita fuerunt à Nicodemo; videlicet ſudarium, quod capiti adhibebatur, & inſitæ quibus totum corpus alligatum eſt; unde etſi una ſindon fuit, veriſſimè dici potuit* Ligaverunt eum linteis: *Lintea quippe generaliter, quia linô texuntur.* Cùm igitur corpus Chriſti ſindone aliiſqve linteis involutum fuerit, inde contigit, ut plura Chriſti ſudaria in diverſis locis reperiantur. Sudarium capiti Chriſti adhibitum Cadurci Aqvitanorum religioſiſſimè aſſervatur, in qvo & cruoris veſtigia hodiè conſtant; ſed non ſatis apparet, qvô genere textrinæ confectum ſit.

XLIV. *V. 40. Sicut mos eſt Judæis ſepelire.*

Cum aromatum conditura: vel condere terrâ ſecundùm morem Judæorum, non cremari ſecundùm morem Romanorum, *qvô igni dare mortuos honor habebatur.* Macrob. lib. VII. Saturn. cap. VII. Tacitus lib. V. hiſtor. V: 7. de Judæis. *Corpora condere qvàm cremare, è more Ægyptio.* Idqve vult Tacitus, Judæos magis terrâ condidiſſe, qvàm cremâſſe ſecundùm morem Romanorum. Plinius lib. VII. nat. hiſt. cap. LIV. *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terrâ condebantur.* Minutius Felix in Octavio, de Chriſtianis; *veterem & meliorem humandi conſvetudinem retinemus.*

NOTÆ

NOTÆ AD MATTHÆI

CAP. XXVI. v. 15.

At illi conſtituerunt triginta argenteos. I.

NOn numerârunt diffidentes, ſed conſtituerunt ad præmium indicinæ traditionis; ut acciperet, cùm Chriſtum, eô locô, ubi ſvetus erat convenire, prehendendum indicâſſet. *Conſtituerunt*, id eſt promiſerunt, ut Juriſconſultis conſtituta pecunia, id eſt, promiſſa.

V. 49. Et oſculatus eſt eum. II.

Mos ille oſculandi apud Judæos *Lucæ cap. VII. 45.* Romanis, & aliis gentibus uſitatus, ut advenientes, & obvios oſculô exciperent.

V. 53. Et exhibebit mihi pluſquàm duodecim legiones. III.

Reſpicit ad numerum duodecim Apoſtolorum, ut ſingulis Apoſtolis qvæqve legio reſpondeat.

V. 65.

IV. *V. 65. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua.*

Mos Judæis, ut ſi qvid audirent contumelioſum & ingratum auribus, veſtimenta ſua ſcinderent: *Numer. cap. XIV.* 6. at nihil blaſphemiâ in Deum contumelioſius audiri potuit, igitur eâ auditâ veſtimenta ſcindebant *lib.* 4. *Reg. cap. XVIII.* 37. XIX. 1. *Eſdræ cap.* IX. 3. *Actor. cap. XIV.* 14. Thalmudici libri referunt id præceptum fuiſſe Judæis ex qvadam traditione. At magis receptum videtur ex more, qvi & aliis gentibus, Græcis, Romaniſqve non incognitus. Iidem vero libri Thalmudici referunt Pontificem Maximum aliter à ceteris veſtimenta ſua ſcindere debuiſſe, non ſurſum ex humeris aut ad ſinum, ſed deorſum ad pedes & inferiores partes veſtimenti.

V. *V. 67. Et colaphis eum ceciderunt.*

Vid not. ad Joan. num. IV.

VI. *V. 69. Acceſſit ad eum una ancilla.*

Not. ad Joann. num. II.

Ad Cap. XXVII. Matthæi.

V. 2. *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.* VII.

PRiùs Chriſtus vinctus fuerat, cùm eum prehenderant, Joannis capite XVIII. 12. *Comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.* Hic autem Matthæus & Marcus, cap. XV. 1. primùm vincula injecta fuiſſe innuunt, cùm eum â domo Caiphæ ad Pilatum abducere voluerunt. Græcè, καὶ δήσαντες αὐτὸν ἀπήγαγον: *Et ligantes ipſum adduxerunt.* Quidam putant, Chriſto exempta fuiſſe vincula cùm in domum Caiphæ veniſſet, neqve ex vinculis interrogatum fuiſſe: Magis videtur, Chriſtum priùs vinctum fuiſſe à turbis ut reum: deinde verò in domo Caiphæ aliter vinctum fuiſſe aliiſve vinculis ut confeſſum criminis & damnatum morti. Venulejus in l. 5. D. de cuſtod. & exhibit. reor. *Si confeſſus fuerit reus donec de eo pronuntietur, in vincula publica conjiciendus eſt.* Judæi Chriſtum ut confeſſum, reum mortis pronuntiaverant & damnaverant. Matthæus infra. verſ. 5. *Videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet.* Igitur Judæi Chriſtum in domo Caiphæ, jam non ut reum, ſed ut confeſſum & damnatum iterùm

rùm vinxerunt. Hieronymus hîc: *Habebant hunc morem, ut qvem adjudicâſſent morti, ligatum judici traderent.*

VIII. *V. 6. Non licet mittere eos in corbonam.*

Sacer Theſaurus. Joſeph. lib. XVIII. Antiqvit. cap. IV. & lib. II. de bello Jud. cap. XVIII. ἱερὸς θησαυρὸς καλεῖται δὲ κορβανᾶς. *Sacer Theſaurus vocatur autem Corbona.*

IX. *V. 7. Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.*

Ut peregrini proprium haberent locum ſepulturæ nec cum Judæis miſcerentur. Religioſum Romanis ut peregrini in civitate non ſepelirentur, adeô ut deportati (qvos deportationis pœna civitate exemerat, & ad peregrinitatem reduxerat *l. ſed etſi* 10. *§. ſed etſi per pœnam* 6. *D. de in jus vocand.*) mortui in civitatem non referrentur, niſi ex indulgentia Principali, ut apud Tacitum lib. XIV. Annal. Non habebant mortui communionem juris Romani, qvam vivi non habuerant. Eâdem religione Chriſtiani Paganos in Cœmeteriis ſuis humari non patiebantur; nec hæretici in ſuis Orthodoxos, ut Donatiſtæ apud Optatum Milevitanum lib. VI.

V. 15.

V. 15. *Per autem diem ſolemnem conſveverat præſes populo dimittere unum vinctum, qvem voluiſſet.* X.

Videtur Pilatus conſvetudinem jam ab antiqvo ſervatam magis retinuiſſe, qvàm de novo indulſiſſe: & id fuerat inter alia qvæ Romani, Judæis ſubactis, ex legib. & moribus patriis ſervarant. vide Not. ad Joann. numer. VII. & IX.

V. 19. *Miſit ad eum uxor ejus.* XI.

Pilati uxor fuit *Claudia Procula.* Flavius Dexter in Chronico: *circa illa tempora Severus Cæcinna cenſuerat in Senatu, Ne qvem magiſtratum, cui Provincia obveniſſet, uxor comitaretur.* Inter alias rationes qvibus ſuam firmabat ſententiam, apud Tacitum lib. III. Annal. XXXIII. 6. *His ſtatim adhæreſcere deterrimum qvemqve Provincialium: ab his negotia ſuſcipi, tranſigi: duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria.* Sententia tamen Cæcinnæ in Senatu eluſa eſt; & Legati Cæſaris, ſeu Præſides Provinciarum ſecum uxores in provincias duxerunt. At melius tamen facturos ait Ulpianus, ſi ſine uxore proficiſcantur, licet habere poſſint *l.* 4. §. 2. *D. de offic. Proconſ. & Legati.* Pilatus ſecum uxorem in Judæam duxerat: ſed obſerva, ut Pilatum pro tribunali ſedentem interpellare non dubitârit.

târit. Suggeſtionem vocat uſpiam Auguſtinus. Propriè, nam *ſuggerere* Juriſconſultis eſt monere judicem, dum cognoſcit *l.* 2. §. 2. *D. ubi pupill. educar. vel. mor. deb. l.* 1. §. *ſi curatorem D. de Magiſtrat. conveniend. l. Aufidius* 97. *D. de legat.* 3. *l. ult. D. de Jur. fiſci.*

XII. *V.* 24. *Acceptâ aqvâ lavit manus coram populo.*

Pleroſqve haud qvaqvam indoctos exiſtimâſſe video, morem hunc Judæorum fuiſſe, ut lotione manuum ſe innocentes oſtenderent, & ex eo more Pilatum manus laviſſe. Ex antiqvioribus Origenes hîc, & alii ſcriptores nuperi. Sed vix probabile eſt, Pilatum, hominem Romanum, mores Judæorum ſeqvi voluiſſe. Mos qvidem Judæorum iſte fuit, & parœmia forte Judæorum, cùm ſe innocentes teſtari vellent ἐνιψάμην ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου, ἀντὶ τοῦ, ἀθῷον ἐμαυτὸν ἐτήρησα, οὐκ ἐκοινώνησα τοῦ κακοῦ. *Lavi inter innocentes manus meas, pro eo, innocentem me ſervavi non communicavi malo.* Suidas in verbo ἀθῷος, ex Pſal. XXVI. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas:* Sed & aliarum gentium mos iſte fuit, ut Græcorum. Scholiaſtes Sophoclis in Ajace maſtigophoro, Ἔθος ἦν παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίζειν τὰς χεῖρας, εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. *Mos erat antiqvus, qvando cædem hominis, vel alias mactationes fecerant, aqvâ lavare manus ad expiationem pollu-*

pollutionis. Fuit etiam mos Romanorum, qvem à Græcis acceperant, *Dionyſ. Halicarnaſſæus l. VII. Origin.* Servius ad XII. Æneidos ex Plinio: *Inde magiſtratus & ſacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant.* Præterea Clemens Romanus ſcribit *lib. II. cap. LII.* Judices ſententiam mortis laturos, manibus in ſolem ſublatis innocentiam ſuam teſtari ſolitos: & tunc probabile eſt manus abluiſſe, ut puriores manus in cœlum tollerent. Eum igitur morem Romanum Pilatus ſecutus videtur, cum acceptâ aqvâ manus lavit. Qvod ſi verum eſt, *mantile lineum,* qvo manus deterſit ex more Romano (ut refert Servius) inter alia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta referri debuit, ſicut aqviminale χειρόνιπτρον.

V. 26. Jeſum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur. XIII.

Vid. not. ad Joann. num. X.

V. 28. Circumdederunt ei chlamydem coccineam. XIV.

Vid. not. ad Joan. num. XII.

V. 32. Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Jeſu. XV.

Angariare vox Perſica, Suidas in verbo ἄγγαρος, qvâ & Latini utuntur. Gloſſæ Iſidori *angario*, cogo. Et Juriſconſultis

etiam angariari naves dicuntur *l. viæ. 14. D. de Veteran.* Id eſt, cogi ad navigationem ſuſcipiendam, ut homines angariantur, id eſt, coguntur ad iter ſuſcipiendum. Proprie igitur Interpres vertit, ut & ſup. Matthæi cap. V. 41. Vide not. ad Joann. numer. XXIV.

XVI. *V. 34. Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.*

Græce ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, Acetum cum felle mixtum. Sed & qvædam exemplaria habent οἶνον, qvibus reſpondet verſio Latina. Marcus cap. XV. 23. *& dabant ei bibere vinum myrrhatum.* Unde qvæſitum eſt, an eadem fuerit potio vini myrrhati & vini cum felle mixti, vel diverſa. Utramqve ſententiam attigit Auguſtinus lib. III. de conſenſ. Evangeliſt. cap. XI. *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum; & non accepit.* Hoc *intelligendum eſt Matthæum dixiſſe cum felle mixtum. Fel qvippe pro amaritudine poſuit; myrrhatum enim vinum amariſſimum eſt, qvamqvàm fieri poſſit, ut fel & myrrha vinum amariſſimum redderent.* Amaritudo etiam acetô augetur. Utrumqve junxit Plautus in Rudente: *Corda in felle ſunt ſita atqve acerbo aceto.* Vid. Not. ad cap. XV. Marci. n. IV.

XVII. *V. 35. Diviſerunt veſtimenta ejus.*

Vid. Not. ad Joann. n. XXXI.

V. 45. *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* XVIII.

Phlegon Trallianus libertus Adriani Hiſtoricus ſcripſerat, tenebras ſuper univerſam terram eô tempore contigiſſe: *Origenes hîc*, ut & ex hoc Hiſtoriæ Evangelicæ fides habeatur, qvam Porphyrius & alii Ethnici minuere contendebant, ut referunt Hieronymus *ad Pſalmum* LXXVII. & Auguſtinus *lib.* III. *de Conſenſ. Evang. cap.* VII. Phlegon ille Hiſtoricus res Judaicas attigerat: Suidas in Φλέγων. Vide Not. ad cap. XV. Marci. n. VII.

V. 48. *Unus ex eis acceptam ſpongiam implens acetô.* XIX.

Unus non ex Judæis, ſed militibus Romanis, qvi Chriſtum crucifixerant & crucifixum ſervabant. Neqve milites acetum obtulerunt ex more qvodam Judæorum, ſed qvia Chriſtus vocem illam *Sitio* emiſerat. Vid. Not. ad Joann. numer. XXXV.

V. 54. *Centurio & qvi cum eo erant cuſtodientes Jeſum.* XX.

More Romanô Centurio præponebatur, dum ſupplicium damnatis inferretur, L. Seneca lib. I. de Ira, cap. XVII. *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpiculatorum jubet.* At ſi damnatô Chriſtô ad eum cohors univerſa congregata fuit (ut ſupra Matthæus) non unus tantum Centurio

ſed plures cohortis Centuriones fuerunt. Chriſtô autem crucifixô unus Centurio manſiſſe videtur cum militibus, ut Chriſtum & latrones cuſtodirent, donec ſpiritum emitteret; vel ne qvis ad ſepulturam corpora detraheret eô mortuô. Petronius in Satyrico: *Miles qvi cruces aſſervabat, ne qvis ad ſepulturam corpora detraheret.* Idem iſte fuit Centurio, qvem Pilatus accerſivit, ut ſciret ab eo, an Chriſtus eſſet mortuus, anteqvam permitteret tolli corpus, *Marci capit. XV.* 44.

XXI. *V. 63. Recordati ſumus, qvia ſeductor ille dixit.*

Græce πλάνος impoſtor. Joann. cap. VII. 12. πλανᾷ τὸν ὄχλον *ſeducit turbam* Lucæ cap. XXIII. 2. εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος *invenimus ſubvertentem gentem.* Eoqve nomine potiſſimum accuſatus, & damnatus, ut ſeductor, ut ſeditioſus.

XXII. *V. 65. Habetis Cuſtodiam.*

An totam cohortem, qvæ ad Chriſti prehenſionem ex templo acceſſerat, qvæqve ad Chriſtum damnatum congregata fuerat? An potius *cuſtodiam* intelligere debemus cuſtodes, qvi relicti fuerant ut Chriſtum cuſtodirent? Qvod magis videtur; & ideo ſecundum verſionem Latinam τὸ ἔχετε magis accipiendum indicativè qvàm imperativè, qvia jam cuſtodes Chriſto crucifixo dati fuerant.

V. 66.

V. 66. Signantes lapidem cum cuſtodibus. XXIII.

Puta qvod Judæi ſimul lapidem cum cuſtodibus ſignaverint, vel in præſentia cuſtodum: vel qvod Judæi poſitis cuſtodibus lapidem ſignaverint. Cuſtodes Chriſto crucifixo dati, vigilias ex diſciplina militari per tria horarum ſpatia obſervabant; ideo qvidam ex cuſtodia, veniſſe dicuntur in urbem, & nunciâſſe Principibus Sacerdotum omnia qvæ facta erant, Matt. c. XXVIII. II. *Qvidam ex cuſtodia.* Non omnes cuſtodes, ſed qvidam ſolùm ex cuſtodia, id eſt, qvi vigilias per noctem obiverant, & omnia, uti erant facta, obſervaverant.

NOTÆ AD MARCI

CAP. XIV. v. 3.

Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi. I.

GRæcè μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Qvidam interpretantur nardum piſticam, id eſt, potabilem & liqvidam, ἀπὸ τοῦ πιεῖν. Sed aliud eſt πιστὸν, aliud

πιϛικὴ; & ἀπὸ τὸ πιεῖν rectè qvidem πιϛή; non tamen rectè πιϛικὴ diceretur. Alii piſticam accipiunt ſpicatam, qvòd ex ſpicis nardi ungventum pretioſum conficeretur, idqve ex corrupto Græco exemplari. Sed verius eſt, nardum πιϛικὴν dici, id eſt *fidelem*, *probatam*, non adulteratam, à ſeplaſiariis: ut argentarii homines πιϛικοὶ à fide.

II. *V. 56. Convenientia teſtimonia non erant.*

Græce ἴσαι, *paria*. In hoc autem non conveniebant; qvòd apud Matthæum accuſarent Chriſtum dixiſſe, poſſum templum deſtruere & aliud reſtituere; Hîc verò apud Marcum, qvòd minatus eſſet, ſe templum deſtructurum, & intra triduum illud ipſum reſtituturum. Aliud eſt, qvod qvis ſe poſſe facere, aliud, qvod qvis ſe facturum, dixerit: iſtud poſtremum voluntatem arguit, qvæ in delictis gravioribus punitur ſecundùm leges Romanas. Servius ad VI. Æneid. *Dixit autem ſecundùm ritum Romanum, in qvo non tantum exitus, ſed voluntas punitur.* Calliſtratus in l. Divus 14. D. ad l. Cornel. de ſicar. *Divus Hadrianus in hæc verba reſcripſit: in maleficiis voluntas ſpectatur non exitus.* Idqve etiam ſecundùm leges Judaicas. Philo Judæus in libro; *Qvòd deterior potiori inſidietur* ita legem interpretatur, *maledictum eſſe homicidam.* Non ex qvo homici-

micidium fecerit, ſed ex qvo facere voluerit: *τῆς γνώμης ἴσον τῷ τελείῳ δυναμένης, qvaſi voluntas pro facto habenda ſit.* Idem Philo Judæus in *lib. de confuſ. lingvar.* ait, reum eſſe homicidii ex lege, ſi conatus fuerit occidere, licet non occiderit.

V. 65. Et miniſtri alapis eum cædebant. III.

Græce *ῥαπίσμασιν*; colaphis, vel bacillis, feſtucis. Et hoc poteſt ita intelligi, ut cùm alii colaphos Chriſto infligerent, miniſtri Judæorum bacillis, qvos geſtabant, etiam Chriſtum ceciderint. Vid. not. ad Joan. num. IV.

AD CAP. XV. v. 23.

Et dabant ei bibere vinum myrrhatum. IV.

ANxiè qvæſitum à ſcriptoribus ætatis noſtræ pluribus; qvidnam fuerit illud vinum myrrhatum, & cur Chriſto oblatum fuerit. Græca lectio ſic habet *ἐσμυρνισμένον οἶνον*, id eſt myrrha conditum, non in vaſe myrrhino poſitum. Et vinum qvidem illud amariſſimum fuiſſe, ſcripſit Auguſt. lib. III. de conſ. Evangeliſt. cap. XI. Romanis tamen myrrhata potio ſumptuoſa, ut qvæ XII. Tab. vetita: &

 grati

grati ſaporis, & lautiſſima, ut Plinius *lib. XIV. cap. XIII.* Sed aliud vinum iſtud myrrhatum Chriſto oblatum fuiſſe, viri docti ſuſpicantur, nempe ſoporiferum, qvod vinum conſopiens Hieronymus dixit *in Pſ. LIX.* & vinum myrrhatum Chriſto datum fuiſſe, ut conſopiretur, idem Hieronymus innuit *in Matthæi cap. XXVII.* Vinum autem hujuſmodi ex more Judæorum, eaqve de cauſa ſupplicium paſſuris offerri ſolitum, Rabbini ſcribunt ex *c. ult. Proverb.* 6.7. non tamen myrrhâ ſed thure conditum, qvia ſcilicet thus pro myrrha acceperint. Et hoc qvidem facilè probarem; ſed & vinum myrrhatum Chriſto oblatum felle & acetô mixtum fuiſſe, ut ſuprà oſtendimus in Notis ad Matthæi c. XXVII. ita ut Matthæus ſuppleverit, qvod hic apud Marcum deeſt. Mulieres fortè; vel alii Chriſtum ſeqventes vinum myrrhatum Chriſto offerendum militibus dederant, aut ſoporiferum, ut dare ſolitum erat, & illud qvidem ſvave: milites vero per laſciviam, vel impellentibus Judæis, myrrhato vino fel & acetum miſcuerunt, ut amaritudinem injicerent, atqve ita acetum felle mixtum juxta Matthæum, & vinum etiam myrrhatum juxta Marcum, non diverſis temporibus, ſed ſimul eôdemqve tempore Chriſto oblatum fuerit. Vide Victorem Antiochenum ad hoc *cap. XV. Marci* in *Biblioth. PP. Latinor.*

V. 25. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. V.

Locus difficilis propter eam, qvæ videtur eſſe inter Marcum & Joannem pugnantiam. Nam Joannes *cap.* XIX. 14. refert Pilatum morti addixiſſe, & poſteà ſubjicit: *Erat autem paraſceve hora qvaſi ſexta.* Hieronymus *ad Pſal. LXXVII.* putat hîc apud Marcum mendum eſſe librarii ex nota numeri: aliter tamen in commentariis in Marcum, ubi lectionem vulgatam Marci agnoſcit ut veram & propriam. Ex qvo apparet, commentarios illos male tribui Hieronymo, alioqvi à ſeipſo diſſideret. Theophylactus putat eſſe mendum, non apud Marcum, ſed apud Joannem; & ita legendum: *Erat autem paraſceve, Paſchæ hora qvaſi tertia.* Nonnus in paraphraſi metrica Joan. cap. XIX. horam tertiam ponit, & ita legiſſe videtur apud Joannem, etſi verum eſt, qvod ex Petro Alexandrino refertur in tractatu de Paſchate, autographum manu propriâ Joannis deſcriptum, qvod in Eccleſia Epheſina ſervabatur, ita ſcriptum habuiſſe: ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, *hora erat qvaſi tertia.* Nihil dubitationis ſupereſt, qvin Joannis locus in vulgata editione potiùs qvàm Marci mendum habeat. Magis videretur, Chriſtum horâ ſextâ, aut ferè ſextâ crucifixum fuiſſe, qvàm horâ tertiâ, qvia ductus fuit è domo Caiphæ ad Pilati prætorium,

rium, mane factô, jam albeſcente cælô; & in eo Matthæus, Marcus, & Joannes conſentiunt. At ductio illa Chriſti ad Pilatum cum turbis & militibus, interrogationes Pilati toties repetitæ, teſtium auditio, illuſiones Chriſto factæ, coronæ ſpineæ impoſitio, flagellatio, veſtium mutatio, ductio ad Herodem & reductio ad Pilatum, ſeſſiones pro tribunali, ſententiæ & tituli ſcriptio, manuum ablutio, ductio ad ſupplicium extra civitatem, Chriſti ex pœnarum inflictione & crucis pondere tardigrada proceſſio, myrrhati vini oblatio, apparatus ſupplicii, crucifixio, iſta omnia vix tribus horis peragi potuerunt: maximè cùm Pilatus freqventes moras innecteret, & ſententiam de morte Chriſti ferre cunctaretur. Deinde conjicitur, Chriſtum poſt crucifixionem citò mortuum fuiſſe: idqve miratus eſt Pilatus *Marc. cap. XV.* qvod ita miratus non fuiſſet, ſi ab hora tertia Chriſtus ad nonam pependiſſet. Non deſunt aliæ conciliandi rationes, ut Marcus & Joannes in concordiam adducantur; ſcilicet Marcum non reſpexiſſe ad vulgarem horarum computationem, ſed ad diviſionem diei in qvatuor partes, ut nox dividebatur in qvatuor vigilias. Secundùm iſtam computationem qvælibet pars diei tribus horis conſtabit, prima hora ad tertiam, tertia ad ſextam, ſexta ad nonam, nona ad veſperam protendebatur. Ita igitur Marcus diceret, Chriſtum fuiſſe crucifixum horâ ter-

râ tertiâ, Joannes horâ qvaſi ſextâ: puta tertiâ jam præcipitante, & ad ſextam accedente. Qvod & fortaſſe Nonnus expreſſim ſignare voluit.

Ἦν δὲ πεπταμένη τρίτη θανατηφόρος ὥρη:
Erat autem extenſa tertia mortifera hora.

Et qvidem erat extenſa tertia, qvæ ad ſextam accedebat. Hanc computationem horarum qvadrantariam verba Marci non patiuntur: qvi ſimpliciter dixit, *Erat hora tertia*, id eſt tertia hora diei, ut *Act. c.* II. 15. Auguſtinus *lib. III. de conſenſ. Evangeliſt. c. XIII, & tractat. in Joan. c. CXVII.* alias rationes comminiſcitur; ita tamen ut alias adhuc qværendas non diffiteatur. Sed & qvidam apud D. Marcum horam tertiam diei intelligunt, quæ eſt hora ſexta ante Paraſceven apud Joannem, ſiquidem paraſceve incipiebat horâ nonâ. *Joſeph. l. XVI. antiqvit. cap.* X. Ita igitur tertia hora diei, qvô crucifixus eſt Chriſtus, eſſet ſexta hora ante paraſceven, ſeu horam nonam. Semper tamen magis probarem, Chriſtum horâ ſextâ, aut ferè ſextâ potiùs, qvàm tertiâ crucifixum.

V. 26. *Et erat titulus cauſæ ejus inſcriptus.* VI.

Vide Not. ad Joann. num. XXVII.

VII. *V.* 33. ***Factâ horâ ſextâ tenebræ factæ ſunt per totam terram.***

Si Chriſtus fuit damnatus ſententiâ Pilati horâ ſextâ, aut ferè ſextâ, ut refert Joannes *cap.* XIX. 14. tenebræ horâ ſextâ factæ non ſunt, ut hîc Marcus. Nam inter damnationem Chriſti, ductionem ad ſupplicium, crucifixionem, & alias res geſtas donec tenebræ fierent, tempus aliqvod nec parvum interjectum eſſe debuit. Dici poteſt, Joannem intelligendum de hora ſexta futura; Marcum de præterita, ut ipſa verba Marci indicant *factâ horâ ſextâ.*

VIII. *V.* 36. ***Currens autem unus & implens ſpongiam acetô.***

Vide Not. ad Joann. num. XXXVI.

IX. *V.* 43. ***Joſeph ab Arimathia nobilis decurio***

Græcè *βυλευτὴς*, & apud Lucam *cap.* XXIII. 50. id eſt ſenator. Buleutæ ex ſenatu, *Plinius lib.* X. *Epiſt.* CX*V.* Rectè tamen interpres vertit *Decurio*; nam decuriones in provinciis erant ſenatores, *Proprius ſenatus*, Auſonius Eidyllio IX. *minor ſenatus*. Caſſiodorus l. VI. variar. Ep. III.

NOTÆ

NOTÆ AD LUCAM

AD CAP. XXII. v. 61.

QUID adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus. I.

JUdæi Chriſtum damnârunt ut manifeſtæ impietatis reum, & confeſſum: *quòd Filium Dei ſe feciſſet*: & ideo damnârunt, anteqvam ad Pilatum ducerent *Matthæi cap. XXVII.* Scilicet ut confeſſum. Tertullianus *Apologetic. cap. II. leges confeſſos damnari præſcribunt: hoc ſenatus conſulta, hoc Principium placita definiunt.*

AD CAP. XXIII.

V. 2. Prohibentem dare tributa Cæſari. II.

PRocuratorum Cæſaris id munus potiſſimum fuit, ut tributa in provinciis colligerent: & Pilatus procurator Tiberii in Judæa ideo imperium merum in ea provincia videtur habuiſſe, ut Judæos pervicaces, & tributa ſolvere detrectantes puniret. Vid. not. ad Joan. num. XVI. Poſt id temporis, Præfectis prætorio conſtitutis, eorum munus fuit: *Zoſimus lib. IV.* Deinde etiam Comitum ſacrarum largitionum. *Macarius Ægyptius homilia X.* Ἔπαρχοι καὶ κόμητες

φόρους

φόρους διδόασι τῷ βασιλεῖ. *Præfecti & comites tributa dant Regi* ſeu imperatori; id eſt, curant ut dentur, aut qvæ data ſunt inferunt.

III. *V. 7. Et ut cognovit qvod de poteſtate Herodis eſſet, remiſit eum ad Herodem.*

I. Præſides poterant jure poteſtatis ſuæ noxios punire, ex qvacunqve eſſent provincia: ſed qvidam obſervabant, ut remitterent ad Præſidem provinciæ, ex qva rei oriundi eſſent. Celſus in lege non dubium. X. de cuſtod. & exhibit. reor. *Non eſt dubium, qvin cujuscumqve provinciæ eſt homo, qvi ex cuſtodia producitur, cognoſcere debeat is, qvi provinciæ præeſt, in qva provincia agitur. Illud autem à qvibusdam obſervari ſolet, ut cùm cognovit & conſtituit, remittat illum cum elogio ad eum, qvi provinciæ præeſt, unde is homo eſt; qvod ex cauſa faciendum eſt.*

II. Pilatus qvidem de Chriſto cognovit, ſed anteqvam conſtitueret & ſententiam ferret ad Herodem remiſit: ſcilicet ut majorem ab Herode iniret gratiam. Ita Veſpaſianus cum imperio agens in Judæa, poſtqvam Tarichæas civitatem, qvæ à Romanis defecerat, expugnavit, pluribus punitis, permiſit Agrippæ facere qvod vellet his, qvi ex regno ipſius eſſent. *Joſeph. lib. III. de bell. Judaic. cap. ult.*

Supplendæ ſunt Notæ ad Matthæum, Marcum, & Lucam ex Notis Joannis, qvæ ſunt præpoſitæ ut pleniores.

VIII.

VIII.

JOHANNIS-JACOBI WISSENBACHI

D. & Profeſſoris Juris Franekerani

NOTÆ

Nomico-Philologicæ

IN

PASSIONEM JESU CHRISTI

Servatoris noſtri.

Digitized by Google

L E C T O R I

S.

Tuebor me vel Præſcriptione Tituli, adverſus eum, qui Interdictô mecum, quaſi alienam turbem poſſeſſionem, experiri velit. Non enim hoc meum fuit inſtitutum, ut, qvæ Theologi in hanc rem, peculiarî modô ſunt commentati, huc, Spartæ meæ deſertor, munerisqve ſecurus, operoſè comportarem, ſed ut nonnulla Textûs Euangelici, de Paſſione Dominicâ, loca, ex Legibus, & Moribus Romanis, inſtitutâ collatione harmonicâ illuſtrarem; unde vel Porphyrio ingeneretur fides: quod alibi ex Gentilium ſcriptis ſatis abundéqve Philippus Mornæus præſtitit. Tu, Lector, inter anxias Philologici ſtudii diſqviſitiones ſubinde te in hanc revoca: CHRISTUM bene nôſſe, eumqve Crucifixum, ſummus eſt Eruditionis ac Felicitatis apex. Vale & Salve. Scripſi Franekeræ, ipſis Nonis Januar. Anni χεισογονιας, M. DC. XLIII. qvem nobis Votivum decurrere etiam atque etiam opto.

N O-

NOTÆ
Nomico-Philologicæ.
AD CAP. XXVI.
MATTH. EVANGEL.

VERS. 2.

Scitis poſt biduum Paſcha fore.

HOC ſermone, *poſt decimum diem Kalendarum*, non ſignificatur dies undecimus, ſed decimus tantùm, more loqvendi Romanô. *l. anniculus.* 132. *D. de V. S.* Qyomodo, ante *diem tertium*, pro, *nudius tertius* accipitur. Hinc Gellius ait *XV. noct. Attic. XXVIII.* Ciceronem natum eſſe *ante diem tertium Nonas Januarias*, Q. Cæpione & Q. Serrano Coſſ. qvem conſtat, *tertiô Nonas* natum eſſe, ut ipſe Cicero de ſe ſcribit *lib VII. epiſtol. ad Atticum.* Similiter apud Livium *lib.* XXX. *c.* XXI. Hannibal poſt ſextum decimum annum Italiâ diſceſſiſſe dicitur: qvi tamen diſceſſit annô decimô ſextô, eôdem *Liviô* auctore *lib.* XXX. *cap.* XXVIII. * Pari ratione in Evangelio, μετὰ τρεῖς ἡμέρας,

Zz 2 poſt

* Vide Glaſſii Philolog. librô III. Tractatu VI. Can. XI. p. 770. edit: Françof. & Hamburgenſ. M. DC. LIII. Bertramum in citat. Matthæi locum.

poſt tres dies, ſive, poſt tertium diem, *Matth.* XXVII. *verſ.* 63. *Marc.* VIII. *verſ.* 31. non eſt, die qvartô, ſed tertiô; non exactô, ſed exortô tantùm. Sic & his verbis, μετὰ δύο ἡμέρας, poſt duos dies, *hoc cap.* XXVI. *Matth. verſ.* 2. non tres, ſed duo tantùm dies ſignificantur: unus expletus, alter inchoatus, ut, poſt duos dies, ſit, poſtqvàm venerit ſecundus dies: ſicut poſt tres dies, poſtqvàm venerit tertius dies. Et apud Evangeliſtam Lucam cap. II. v. 21. dicitur Chriſtus fuiſſe circumciſus ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, (*poſtqvàm conſummati ſunt dies octo*) qvamvis ipſô die octavô id factum fuerit, ſecundùm ſanctionem expreſſam legis *Levit.* c. XII. *verſ.* 3. Confer Actor. c. II. verſ. 1. ubi dicitur factum ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. qvod tamen factum ineunte die *Pentecoſtes.* Et Jerem. XXV. v. 12. Judæi dicuntur liberandi, completîs ſeptuaginta annîs, quod tamen factum ipsô ſeptuageſimô anno. Vide notas Bezæ *ad d. cap.* II. *Actor.*

V e r s. 7.

Venerat ad eum mulier, habens alabaſtrum ungventi gravis pretii.

Apud Marcum *cap.* XIV. *v.* 3. eſt, ungventi, nardi πιστικῆς, id eſt, probatæ, non adulteratæ à pantapolis, ſeplaſiariis. *l. in argento.* 21. §. 1. *D. de aur. & arg. leg.* qvam & Theophylactus in Interpretatione ejuſd. cap. XIV. vocat ἄδολον

καὶ

καὶ μετὰ πίςεως κατασκευασθεῖσαν: & Gloſſæ veteres, *nardum piſticam*, *balſamum ſine impoſtura*, teſte Cujaciô *tractatu VIII. ad Africanum*, *in explic. l. ult. D. de exercit. act.* Qvam nardum neutrô genere Tibullus * in hoc verſiculo vocat puram: *Illius purô diſtillent tempora nardô* †. Eâdem ferè etiam ratione, Magiſter navis Græcè dicitur πιςικὸς, ἀπὸ τῆς πίςεως, quòd ejus fidei committatur cura totius navis. Alii alias hujus vocis *piſticæ* originationes indagare ſatagunt.

V E R S. 12.

Qvod enim hæc unguentum hoc injecit corpori meo, ad funerandum me fecit.

‡ Funeris cauſſâ ſumtus etiam hic factus dicitur, qvi fit ad ungendum corpus, & commundandum. *l. & ſi quis.* 14. §. *funeris.* 3. *& ſeq. D. de relig. & ſunt. fum.* Sic enim rectiùs ibi videtur legendum, qvam, *commendandum*. Ennius: *Tarqvinii corpus bona fœmina lavit & unxit.*

V E R S. 26.

Hoc eſt corpus meum.

Teſtatores non ſemper propriis nominibus, ac

* Lib. II. El. II. 7.

† Et l. III. El. VII. 31. *Jam dudum Tyriô madefactus tempora nardô.*

‡ Vide Fulv. Urſin. in Append. ad Ciacconium.

vocabulis utuntur, ſed plerumqve abuſivè loqvuntur, ait JCtus Marcellus in *l. non aliter. 69.* §. 1. *D. de legat.* 3. Atqve hanc locutionem, *Panis eſt corpus Chriſti*, non propriam eſſe, ſed tropicam, liqvidò conſtat ex collatione *Gen.* XVII. 10. *Exod.* XII. 11. qvam Apoſtolus explicat 1. *Cor.* X. 16. *Panis, qvem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?* Panis Euchariſticus eſt corpus Chriſti, metonymicè, ſacramentaliter, i. e, eâ ſignificationis ſpecie, quâ res ſignificatæ non minùs verè præbentur, fide ſpiritualiter ſumendæ, qvàm ſymbola ipſa organis percipienda traduntur. Qvæ metonymia non modò in Sacris literis paſſim eſt obvia, verùm etiam ab Homero (communi videlicet loqvendi conſvetudine) uſurpata. Sic enim ille, ubi mentionem fecit federis inter Græcos & Trojanos multis cerimoniis ſanciti, *lib. Iliad.* γ. Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ. ἄρνε δύω καὶ οἶνον εὔφρονα καρπὸν ἀρούρης Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ: ubi agnis & vino, qvæ duntaxat erant federis ſymbola, tribuit ipſam federis appellationem. Sed & *ſignatum* non rarò ponitur pro *ſigno*, ut apud Thucydidem *lib.* III. ubi ſcribit, Meſſenios Athenienſibus ſe dedidiſſe ὁμήρους γε δόντας, καὶ τὰ ἄλλα πιστὰ παρέχοντας, i. e. *obſides dantes, & alia fidelia præbentes.* πιστά, *fidelia*, i. e. pignora in argumentum fidelitatis.

VERS. 62.

Nihil reſpondes? Quid eſt quod iſti adverſum te teſtificantur?

Teſtium productio & examinatio non debet fieri μονομερῶς, ſed utrâqve parte præſente. *l. pen. C. de teſtib. l.* 18. *C. de fide. inſtrum.* N. 90. *c. ult. Auth. ſed & ſi quis. C. d. t. Fac. l. ſi poſtulaverit.* 27. §. 7. *D. ad L. Jul. de adult.* Uſu fori vocandi ſunt litigatores, ut videant jurare teſtes, interrogari verò & examinari teſtes ſecretò debent.

VERS. 67.

Colaphos ei inflixerunt, alii verò bacillis eum ceciderunt.

Alapæ, ſervorum caſtigationes injurioſæ; itemqve rhapiſmata, id eſt, ictus vindictæ, ſive virgulæ Prætoriæ: qvales olim in manumiſſionibus ſervorum interveniſſe conſtat. *l. pen. & ult. C. de emancip. lib.* N. 81. Claudian. *lib. de* IV. *conſul. Honor.*

Famuluſque jugô laxatus herili
Ducitur, & gratô remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit,
In Civem, rubuêre genæ, tergoque removit
Verbera, promiſſi felix injuria voti.

Et ita Servator noſter JESUS CHRISTUS, acceptâ perſonâ ſervi, *Phil.* II. 7. *Pſal.* XL. 7. *junct. Exod.* XXI. 6. *& ſeqq. Hebr.* X. 5. alapis

pis cæſus, & arundine percuſſus eſt, *hóc cap.* XXVI. *Matth.* 67. *Marc.* XV. 19. *Joh.* XVIII. 22. ut nos à ſervitute diaboli in libertatem aſſereret. *Hebr.* II. 14. *& ſeqv.*

V E R S. 69.

Acceſſit ad eum qvædam ancilla.

Ancillæ anus veriùs, qvàm puellæ, huic miniſterio videntur fuiſſe addictæ. Plaut. *in Curculione*, *Act.* I. *ſc.* I. *v.* 76.

Anus hîc ſolet cubitare, cuſtos, janitrix.

Notæ Nomico-Philologicæ

Ad Cap. XXVII.

MATTH. EVANGEL.

V E R S. I.

Mane autem qvùm eſſet, conſilium ceperunt, &c.

Romani Magiſtratus à Lucifero jus dicebant, cognoſcebant. Juvenal. *ſat.* XIII. *v.* 157.

Hæc quota pars ſcelerum, quæ cuſtos Gallicus urbis,
Uſqve à Lucifero, donec lux occidat, audit?

V E R S. 2.

Et vinctum eum abduxerunt, ac tradiderunt Pontio Pilato præſidi.

Habe-

Habebant hunc morem, ut qvem adjudicâſſent morti, ligatum traderent judici, inqvit Hieronymus *hîc*. Fac. *l.* 5. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* Traditus autem eſt Chriſtus Pontio Pilato, procuratori Tiberii Cæſaris, in Judæa. Tac. XV. *Annal.* XLIV. 14. *Chriſtus*, inqvit, *qvi Tiberiô imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſuppliciô affectus erat.* Matthæus tamen hîc vocat Præſidem. Rectè, qvia *Præſidis* nomen generale eſt, & pertinet ad omnes Provinciarum rectores, ſive ſint proconſules, ſive legati Cæſaris, ſive qvô aliô titulô provinciam adminiſtrent. *l.* 1. *D. de Off. præſid.* Tertullianus contrà, Pilatum Syriam procurâſſe putavit, *Apologet. cap.* XXI. ibi, *ut poſtremò oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romanâ procuranti, violentiâ ſuffragiorum in crucem Jeſum dedi ſibi extorſerint.* Sed eum rectè notat Deſiderius Heraldus *in commentario.* Sillanus ſiqvidem tum erat Syriæ præſes: Joſeph. *lib.* XVIII. *Antiqvitat. cap.* III. *&* IV. aut Vitellius. Joſeph. *ejuſd. lib.* XVIII. *cap.* V. Pilatus Judeæ ἡγεμών. *d. cap.* IV. *in princ.* Cujacius & Robertus diu multumqve in hoc argumentô ſerram contentionis reciprocârunt fruſtra.

V E R S. 7.

Emerunt ex eis agrum figuli, ad ſepulturam hoſpitum.

Similiter apud Romanos, Peregrini demortui non habuerunt juris Romani communionem, qvam non habuiſſent vivi. *arg. l.* 10. §. 6. *D. de in jus voc.*

Vers. 15.

Præſes autem ſingulis feſtis conſveverat turbæ dimittere unum vinctum, qvem voluiſſent.

Probabile eſt, ſecundùm qvoſdam, Romanos Judæis, ex legibus & moribus patriis, hanc conſvetudinem reliqviſſe; in memoriam populi Judaici, ex ſervitute Ægyptiorum liberati. Plerumqve enim Romani devictis gentibus permittebant, ut ſuis legibus uterentur. Hinc mentio legis Antiochenſium, *l. Antiochenſium.* 37. *D. de reb. auct. jud. poſſ. Liv. l.* XXXIII. *c.* XXX. *ut omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Aſia eſſent libertatem ac ſuas leges haberent.* M. Tullius *de Siculis, Verrin.* II. *ut Cives inter ſe ſuis legibus agerent.* Ita Jul. Cæſar primùm Hircano, Pontifici Judæorum conceſſit, ut, ſi qva controverſia oriretur de Judaicâ diſciplinâ, Judicium penes ipſum eſſet. Joſeph. *lib.* XIV. *Antiqvit. c.* XVII. Qvidqvid ſit, Conſvetudo ea fuit irrationabilis. *Geneſ.* IX. 6. *Num.* XXXV. 31. *& ſeqv. Hebr.* X. 28. *l.* 1. §. 4. *D. ad SC. Turpill. l. ita vulneratus.* 51. §. 2. *D. ad L. Aqvil.*

Vers. 19.

Sedente autem eô in tribunali, miſit ad eum uxor ejus.

Tacitus auctor eſt, *lib* III. *Annal.* XXXIII. 1. Severum Cæcinnam cenſuiſſe, *Ne qvem magiſtratum, cui Provincia obveniſſet, uxor comitaretur,*

retur, additqve rationem *v.* 2. *haud enim fruſtra placitum olim, ne feminæ in ſocios, aut gentes externas traherentur: ineſſe mulierum comitatui, qvæ pacem luxu, bellum formidine morentur.* *

Qvæ tamen Cæcinnæ ſententia inſuper eſt habita, Legatîs Cæſaris, ſeu præſidibûs Provinciarum ſecum uxores in Provincias ducentibûs: quos tamen melius facturos ait Ulpianus, ſi ſine uxoribus proficiſcantur. *l.* 4. §. 2. *D. de offic. proconſ. & legat.* Et Pilatus ſecum uxorem duxerat in Judæam.

V E R S. 22.

Dicunt ei omnes, Crucifigatur.

Judæi Chriſtum accuſaverant, ut ſeditioſum, ut turbas concitantem, *Luc.* XXIII. 2. *Ioh.* VII. 12. (Sveton. in *Claudio*, *c.* XXV. *Judæos, impulſore Chriſtô, aſſiduè tumultuantes, Româ expulit*) ideò eum ad Crucem poſcunt, qvia Crux pœna Seditioſorum. Paulus 5. *ſentent.* 22. *in princ. Auctores ſeditionum, & tumultus, populô concitatô, pro qualitate dignitatis, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur.* Ita Qvintilius Varus Judæos ſeditioſos cruci affixit. Joſeph. *lib.* II. *de bell. Judaic.* Sed qvia Conſtantinus Crucis ſupplicium ſuſtulit, Sozomen. 1. *Eccleſiaſtic. hiſtor.* VIII. Hermias *lib.* 1. proculdubio Crucis, in qvâ Chriſtus Dominus paſſus eſt, veneratione, Tribonianus pro, *in Crucem*, ſubſtituit, *in furcam*, *in l. ſi qvis aliqvid.* 38. §. 2. *D. de pæn.* qvæ eſt Pauli JCti, cujus

* *Conſ. Iſ. Caſaubon. ad Sveton. Auguſt. c.* XXIV. 1.

cujus verba ſuprà recitavi. Dixi in Emblem. Triboniani, *pag.* 195.

V E R S. 24.

Acceptâ aqvâ abluit manus.

Non Judæorum tantùm, ſed & Græcorum, ac Romanorum hic fuit mos, ut in hominum cæde, aliiſve mactationibus, abluerent manus. Triclinius Sophoclis interpres verſiculum illum ex Ajace explicans, ἀλλ' εἶμι πρός τε λȣτρὰ, &c. ita ſcribit: ἔθος ἦν παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπȣ, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίȣν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας, εἰς κάθαρσιν τȣ͂ μίσματος: i. e. *Veteribus mos erat, in hominum cæde, aliisve mactationibus, aquâ abluere manus, ad expiationem pollutionis.* Unde illud Virgilii: *Æneid.* II.

Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivô
Abluero.

V E R S 26.

Jeſum autem quùm flagellâſſet, tradidit, ut crucifigeretur.

Vel ideò Pilatus Jeſum flagellavit, qvòd qvi Crucis ſuppliciô afficiendi eſſent, priùs, pro more, virgis, flagellisve cæderentur. Hieronym. h. Joſeph. II. *de bell. Judaic. c.* XIV. Vel potiùs, ut voluntati Judæorum qvodammodò ſatiſfaceret, Jeſumqve caſtigatum dimitteret. *Luc.* XXIII. 16. *Ioh.* XIX. 3. *& ſeqv.* Ceterùm flagra ſeu flagella erant pœnæ ſerviles. *l.* 9. §. *pen.* *D. de*

D. de injur. l. 10. *in princ. D. de pœn. l.* 4. §. 1. *D. de incend. ruin. naufra.* Prudentius:

atqve columnæ
Adnexus tergum dedit ut ſervile flagellis.

Tertullianus *de Reſurrectione carnis. Oro te ſi famulum tuum libertate mutaveris, qvia eadem caro & anima permanebunt, qvæ flagellis & compedibus & ſtigmatibus obnoxiæ retrò fuerant, idcircòne eadem pati oportuit? non puto.* Atrocior etiam fuit pœna flagellorum, qvàm fuſtium. *l.* 7. *D. d. t. de pœn.* Unde flagellatio Horatio dicitur horribilis: 1. *ſat.* III.

- - - - - *Adſit*
Regula, peccatis qvæ pœnas irroget æquas,
Ne ſcuticâ dignum horribili ſectêre flagellô.

Ideoqve qvadrageſimum ictum flagellationis Moyſes excedi vetuit, *Deut.* XXV. 3. Variæ autem fuerunt flagellorum ſpecies, qvas ab aliis ſolicitè conquiſitas eſſe video. Qvalia ſint Plumbatarum verbera in *l.* 2. C. *de exactorib. tributor.* Cujacius ex Prudentio περὶ ςεφάνων expoſuit.

VERS. 28.

Circumpoſuerunt ei chlamydem coccineam:

Marc. XV. 17. *induerunt eum purpurâ.* Eqvidem propriè loquendo, coccum diſtingvitur â purpurâ. *l. ſicut.* 70. §. *ult. l. quæſitum.* 78. §. *coccum.* 5. *D. de legat.* 3. qvandoqve tamen propter ſimilitudinem promiſcuè uſurpantur. Plin. *lib.* XXII. C. 2. *Coccum Imperatoriis dicatum paludamentis*: Lamprid. *in Alexandro Severo. Hoc ſolùm Imperatorium habens, quòd lacernam coccineam accipiebat.*

V E R S. 29.

Et coronam è ſpinis contextam impoſuerunt ejus capiti.

Non uſqve improbabile eſt, quod pleriqve exiſtimant, ex rhamno hanc coronam fuiſſe contextam, qvia milites eam potiùs ſpinam eligere voluerint, qvæ magis pungeret, ut eſt rhamnus. Plin. *lib.* XXIV. *c.* XIV. Ceterùm ſpinæ peccata noſtra referunt. Hieronym. *lib* II. *epiſt.* XVIII. *Jeſus ſpinis coronatus eſt, & delicta noſtra portavit.*

I B I D.

Et arundinem in dexteram ejus.

Deriſoriè, ſceptri locô. ut Judæi Carabæ ſtoream pro chlamyde Imperatoriâ induiſſe leguntur apud Philon. Judæum in Flaccum.

V E R S. 32.

Hunc angariaverunt, ut attolleret crucem ejus.

Milites crucem ferendam Chriſto impoſuerunt. *Ioh.* XIX. 17. morem Romanum ſecuti. Chryſoſtomus *homil.* LXXXIV. his verbis ex interpretatione Franciſci Aretini: *Neqve cœlum ſuſpexit* (Pilatus) *ſed tradidit eum* (Chriſtum) *& ei crucem tanqvàm reo impoſuerunt.* Reos capitis, crucis ſuppliciô afficiendos, ſuam portâſſe crucem uſqve ad locum ſupplicii, docet anti-

antiqvitas. Plutarch. *de ſera numinis vind.* Καὶ τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ σταυρόν: *corpore quidem quiſque maleficiorum ſuam effert crucem.* Artemidor. *lib.* II. *c.* XLI. σημαίνει γὰρ ὁ σταυρὸς θανάτῳ καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαστάζει: *ſimilis enim crux morti, & qui in ea figendus, prius portat eam.* At cùm timerent milites ne Chriſtus jam multis cruciatus modis, in via deficeret, crucem à Chriſto in Simonem Cyrenæum tranſtulerunt. vid. Lyran. *ad h. verſic.* Auguſtin. *lib.* III. *de conſenſ. Evangeliſtar. c.* X. *to.* 4. vox, † *Angariare*, eſt Perſica; JCtis non incognita. *l. viæ.* 4. §. 1. *D. de Veteran. l. ab his* 10. §. *angariorum.* 2. *D. de vacat. & excuſat mun. l. neminem.* 11. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Gloſſæ veteres, qvæ Iſidori nomine circumferuntur: *Angario, cogo.* ut ſignificet, cogere aliqvem ad portanda onera,

V e r s. 34.

Dederunt ei acetum bibendum cum felle mixtum.

Apud

† Eſt in medio exercitatio Philologica Abrahami Calovii junioris, Magni illius filii, de Angariis veterum, occaſione dictorum Matth. V. 41. XXVII. 32. inſtituta & Wittenbergæ ſub Cl. Balthaſ. Stolbergio Græcar. litterarum ibi Profeſſore qvondam habita & edita annô CIↃ IↃC LXXX. qvam rogatus uni vel alteri Faſciculo inſeram à nobis propediem edendo.

Apud Marcum *c.* XV. 23. milites dicuntur exhibuiſſe Chriſto οἶνον ἐσμυρνισμένον, *vinum myrrhatum.* Matthæus ſupplevit, qvod apud Marcum deeſt. Myrrhato enim vino fel & acetum milites miſcuerunt, ut amaritudinem augerent, qvum myrrha inſigniter amara ſit. Qvâ interpretatione admiſsâ, nulla cogit neceſſitas, ut pro, ὄξος, *in d. verſ.* 34. XXVII. *Matth.* reponamus, οἶνον. Qvidam ſuſpicantur, hoc vinum Chriſto fuiſſe oblatum, ut conſopiretur: mortis accelerandæ causâ, ait Marloratus hîc. Myrrham enim, ſi largiùs bibatur, mentem adumbrare vel inferre mortem Galenus docet *lib.* XV. *ſimplic. medic. c.* XIX. Hinc potum iſtum ab illo Lucæ *c.* XXIII. 36. *&* *Johann.* XIX. 29. diverſum cenſe: variis argumentis ex ipſa hiſtoria ſacra petitis, & per multos congeſtis, qvi ad Evangelia ſcripſêre commentaria. Adde Ramirezii *Pentecontarch. c.* IX. (ubi citat Nicol. Fabrum, præceptorem qvondam Ludovici XIII. Galliæ Regis.) & D. Mareſii *Diatribam de Myrrha.*

Vers. 35.

Partiti ſunt ejus veſtimenta, ſortem jacientes.

Sicut ſpolia captivorum fiunt Capientium. §. *item. ea.* 17. *Inſt. de* R. D. *l.* 1. §. 1. *D. de acqvir. poſſ.* ita pannicularia damnatorum fiunt Spiculatorum: ceteræ verò res, Optionum, ſive Commentarienſium, more Romanô. *l. Divus.* 6. *D.*

6. *D. de bon. damnat.* qvô etiam more milites ſuper tunica Chriſti jecerunt ſortem; in pleriſqve aliis adhiberi ſolitam. *l. un.* §. 2. *D de Off. qvæſtor. l.* 24. §. 17. *D. de fidei comm. libert. l.* 14. *D. de judic.* §. 23. *Inſt. de legat. l ult. C. commun. de legat.* puta nominibûs quatuor militum (*Joh.* X X. 23.) in urnam immiſſîs, ut illius tunica eſſet, cujus nomen prius urnâ emerſiſſet: aut, in defectum urnæ: in galeam, ſeu caſſidem jactâ ſorte, more militari.

V E R S. 37.

Et impoſuerunt ſuper caput ejus crimen ipſius ſcriptum: HIC EST JESUS NAZARENUS, REX ILLE JUDÆORUM.

Elogium; Titulus, ſive damnationis cauſſa plerumqve edebatur. Euſebius. V. *Eccleſiaſtic. Hiſtor. c.* 1. tradit, Attalum morte damnatum, Viennæ, per amphitheatrum, circumductum fuiſſe, cum hac Inſcriptione Latinâ, *Hic eſt Attalus Chriſtianus*. Plurima in hanc rem exempla alia congeſſerunt, accuratô ſtudiô, Deſider, Heraldus *ad cap.* II. *Apologet. Tertulliani.* Cujacius VIII. *Obſ.* VII. *&* XIII. *obſ.* III. Rævardus V. *varior.* VII. Freherus II. *parerg.* XX. A Titulo differt Superdictio; qvæ fiebat voce præconis. Ita Impp. Severus & Antoninus, eum, qui temerè juraverat, fuſtibus caſtigari, eiqve à præcone *ſuperdici* voluerunt; προπετῶς μὴ ὄμνυε. *Temerè ne jurato. l.* 13. §. *ult. D. de jurejur.* Eôdem planè modô uſurpat ἐπιλέγειν Arrianus, *Alexandreæ hiſtoriæ lib.* III. cujus

 verba

verba recitat Heraldus, Græcas literas exqviſitè doctus. *d. loc.*

V E R S. 48.

Qvùm acceptam ſpongiam impleviſſet acetô & circumpoſuiſſet calamo.

Apud Johannem XIX. v. 29. eſt, milites impleviſſe ſpongiam acetô, & hyſſopô circumdatam admoviſſe ori Chriſti. Veriſimile eſt, milites hyſſopum calamo circumligaſſe, & hyſſopo ſpongiam qvoqve circumpoſuiſſe, ut ſimul hyſſopum & ſpongiam acetô imbutam (potionem ori crucifixi ingratam) Chriſto porrigerent, atqve ei ita illuderent.

V E R S. 54.

Centurio verò, & qui cum eo ſervabant Jeſum.

More Romanô, Cruciarii à militibus cuſtodiebantur, etiam poſt mortem, ne qvis corpora detraheret. Petronius *in Satyrico: Miles cruces aſſervabat, ne qvis ad ſepulturam corpora detraheret.* Plaut. *in Milit. glor.* II. IV. 19. Scio *crucem futuram mihi ſepulchrum.*

V E R S. 57.

Homo dives Arimathæenſis, nomine Joſephus.

Honoratus Senator, *Marc.* XV. 43. *Luc.* XXIII. 50. ſive Decurio. Nam Decuriones in pro-

in provinciis & municipiis erant Senatores. *l.* 33. *l.* 36. C. *de Decurion. lib.* 10. *N.* 38. *c.* 6. Minor ſenatus dicitùr à Majoriano *In Nov. de Curialibus. Curiales*, inqvit, *nervos* (ſic legendum, non, *ſervos*, monente Cujaciô) *eſſe Reipublicæ, ac viſcera civitatum, nullus ignorat; quorum cœtum rectè appellatum minorem ſenatum.* Proprium ſenatum vocat Auſonius:

- - - Qvos Curia ſummos
Municipium vidit proceres, propriumqve ſenatum:
Qviqve ſuas vexêre urbes, purumqve tribunal
Sangvine, & innocuas illuſtravêre ſecures.

Vers. 58.

Is adiit & petiit corpus Jeſu.

Legum Romanarum haud dubiè callentiſſimus, qvibus corpora animadverſorum, quibuſlibet petentibus ad ſepulturam danda ſunt, *l.* 1. *l. ult.* D. *de cadaverib. punitor.* Rariùs tamen corpora damnatorum permittebantur ad ſepulturam. Philo Judæus in Flaccum de natalitiis Auguſti agens: *Atqvi*, inqvit, *novi qvoſdam jam crucifixos, inſtante feſtô de cruce depoſitos, & ad ſepulturam, ex more, cognatis redditos: qvandoqvidem decebat, vel ad mortuos redire aliqvem fructum ex Imperatoris natalibus; ſimulqve celebritati ſuum ſacrum honorem ſervari.*

Vers. 63.

Tertiô poſt die ſuſcitabor.

Dixi ad *verſ.* 2. *capitis ſuperioris.*

Digitized by Google

VERS. 65.

Habetis cuſtodiam.

Illos nempe cuſtodes, qvi Chriſto crucifixo dati ſunt: *Tunc Judæi detractum, & ſepulchro conditum (Chriſtum) magnâ etiam militari manu, cuſtodiæ diligentiâ circumſederunt, inqvit* Tertullianus. *Apologet. cap.* XXI. Cujacius legit, *cuſtodiâ diligenti.* XIII. *Obſ.* XXXIV. nullâ cogente neceſſitate. Eôdem modò ἐπιμέλειαν uſurpat Eccleſia Viennenſis in Epiſt. illa, qvæ extat apud Euſebium *lib.* V. *hiſtor. Eccleſiaſt.* ὡσαύτως ἀτάφους παρεφύλαττον μετὰ στρατιωτικῆς ἐπιμελείας. Herald. *ad d. cap.* XXI. *Apolog. Tertull,*

NOTÆ

Ad Caput. XIV. Marci.

VERS. 11.

Polliciti ſunt ſe pecuniam ei daturos.

Qvod JCtis eſt, *Conſtituere pecuniam, tit. D. de conſtit. pecun.* in præmium *Indicinæ.* Non obſtat quod Matthæus XXVI. 15. utitur verbo, ἔστησαν, *appenderunt.* Marcus enim hîc de proditionis prima pactione agit: Matthæus de promiſſæ pecuniæ numeratione.

VERS. 57

VERS 57.

Tunc qvidam ſurrexerunt.

Si qvis non rogatus ſurrexerit, tamqvam odii, vel gratiæ ſuſpectus rejiciendus eſt à teſtimonii dictione. *arg. l. quæ omnia. 25. verſic. nam hoc ipſo. D. de procurator.*

IBID.

Et falſa teſtati ſunt.

Itaqve pœnâ talionis afficiendi fuerant; non talionis Pythagoricæ, ſed Moſaicæ, *Deut.* XIX 18. *& ſeqv.* Ita *nullum tàm impudens mendacium eſt, ut teſte careat.* Plin. *natur. hiſtor. lib.* VIII. *c.* XXII.

Ad Cap. XV. Marci.

VERS 18.

Ave, Rex Judæorum.

Ita per deriſionem milites Chriſtum ſalutârunt, morem Romanum imitati, qvô Imperatores ſalutabantur nomine Imperatoris, vel Domini, vel Cæſaris. Sic Cæſarem pſittacus ſalutare doctus: Martial. *lib.* XIV. *Ep.* LXXIII. 2. *Hoc didici per me dicere, Cæſar, ave.* Ita corvi Auguſtum: *Ave Cæſar, victor, imperator,* Macrob. II. *ſaturnal.* IV. Zoticus Heliogabalo apud Dionem, κύριε αὐτοκράτωρ, χαῖρε: *Domine Imperator, ſalve.*

VERS. 25.

Erat autem hora tertia, qvando crucifixerunt eum.

An hora tertia ἐν πλάτει (*cum qvodam temporis ſpatio*) conſiderata, qvæ acceſſerit ad ſextam, *Ioh.* XIX. 14. obſervatâ partitione diei qvadrantariâ? Qvod Nonnus v. 66. *ſ.* expreſſim ſignare voluiſſe videtur his verſibus:

ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη·
Καὶ Πιλάτος ταχυεργὸς ἐπ' εὐλαΐγγι θώκῳ
Ἑβραίοις ἐβόησεν, ἴδε σχεδὸν ἵσταται ἀνήρ:

Erat autem extenſa tertia mortifera hora,
Et Pilatus celeriter agens in confecta ex bonis lapidibus ſede,
Hebræis magnâ voce dixit: Ecce propè ſtat homo.

Alii apud Marcum tertiam horam intelligunt, qvæ apud Johannem eſt hora ſexta ante paraſceven: eò qvòd Paraſceve inceperit horâ nonâ, Joſeph. *lib.* XVI. *antiqvit. c.* X.

Ad Cap. XXII. Lucæ.

VERS. 38.

Domine, Ecce duo gladii hic.

Bonifacius Octavus, Pontifex Romanus, ut Tranſcendentem poteſtatem, ſupra Imperatores, Reges, ac Principes ſibi arroget, *in c. unam*

ſan-

ſanctam. extravagante (gratulor Bonifacio hanc Inſcriptionem: extra pietatis & honeſtatis metas ibi vagatur) *de majoritate & obedientia.* adducit hunc locum Lucæ. *In Eccleſia*, inqvit, *duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladii hîc: in Eccleſia ſcilicet; cum Apoſtoli loqverentur, non reſpondit Dominus, Nimis eſt; ſed, Satis. Certè qvi in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini, proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterqve ergò eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis. Sed ille ſacerdotis, is manu regum & militum; ſed ad nutum, & patientiam ſacerdotis.* Qvam ſtolidâ autem ſit illa Papæ argumentatio, latè oſtendit Doctiſſimus pariter Theologus & JCtus, Petrus Martyr. *Commentar. in cap.* XIX *Judic.* & Franciſcus Hotomanus *in Bruto Fulmine Sixti V.*

V E R S. 47.

Ut oſcularetur eum.

Mos ille oſculandi apud Judæos, *Gen.* XXIX. 13. *Luc.* VII. 45. Romanis & aliis gentibus uſitatus, ut advenientes, & obvios oſculô * exciperent. Apul. Milcſ. 1. *Me Pythias amanter*

 agni-

* Multa non contemnenda de oſculis tradunt Lipſius II. Elector. c. VI. p. m. 677. Muretus X. Var. Lect. c. I. p. m. 254. utor autem utroqve ex editione Antverpiana Plantini, illô CIƆ IƆ XCVI. hôc. CIƆ

agnitum invadit, amplexuſqve, ac comiter deoſculatus. Cicero ad Tyronem: *Ego vos ad quartum Kal. videbo, tuoſqve oculos, etiamſi te veniens in medio forô videro, diſſuaviabor.* De Perſarum, aliarumqve gentium Orientis conſvetudine teſtantur Xenophon *libro Cyri pædiæ*, & Herodotus *in Clio.* *

VERS.

hôc CIↃ D. LXXXVI. impreſſo. Adde B. noſtrum D. Caſpar. Finckum Cent: III. utiliſſimorum Canonum Theologicor. n. C. p. 166. ſ. & Dn. Auguſtum Varenium interpretem ut non unum è multis, ita & non multis hîc rectê notum, in Commentario in Geneſin p m. 548. ſ. edit: Roſtochienſ. 1659. in 4°. item Kempium in peculiari de Oſculis tractatu.

* E qvo Perſarum morem ſubjicimus: Illi, ſi pares ſibi invicem ocurrerent, ſeſe mutuò oſculabantur: ſi alter paullo inferior, genibus oſculum dabat: ſi multò, proſtratus veluti, adorabat. At Romani in oſculis etiam minori dandis minùs parci, majoribus obvii; ſi tectô fortè erant capite, illud aperire, nec non de via cedere, atqve de eqvo vel vehiculo deſcendere, prætereuntibus qvoqve adſurgere ſolebant, interdum verò venerationis cauſsâ dextras oſculari. Apud Romanos freqvens oſculorum uſus patet è Lege Tiberii, & Lino totam baſiante Romam. Conſulantur & de oſculis Gentilium ſuperſtitioſis Joh. Pineda in Jobi XXXI. 27. Joh. Lorin. in Pſalm. II. 11. Dilherr. Dialog. p. 56. Thomas Demſterus â Mureſk JCtus, Scotus, in Parali

pome-

V E R S. ult.

Qvid ampliùs egemus teſtimoniô? ipſi audivimus ex ore ipſius.

Judæi Chriſtum blaſphemiæ accuſatum. *Matth.* XXVI. 65. (falsò tamen) condemnârunt tanqvam confeſſum. Confeſſus in judicio, pro convicto habetur. *l. qui ſententiam.* 16. C. *de pœn.* Tertullian. *Apologet. cap.* II *Leges confeſſos damnari præſcribunt: hoc Senatuſconſulta, hoc principum placita definiunt.* Salluſt. *De confeſſis more majorum, ſicut de manifeſtis rerum capitalium, ſupplicium ſumendum.*

pomenis ad Joannis Roſini Iſennacenſis libr. III. c. XXXIII. Antiqvitat. Rom. p. 518. edit: Colon. M. DC. XX. vel p. 324. edit: Choüetanæ. M DC. XL. Petr. Pithoeus JCtus I. Adverſariorum ſubſecivorum c. VII. p. m. 12. ſ. editionis Pariſinæ M. D. LXV. qvæ è Bibliotheca Franciſci Nanſii Iſembergenſis Flandri, cum eruditis Msis. ejus in margine obſervationibus & correctionibus additis ad me pervenit. Adde Andr. Rivetum & Jo. Tarnovium in Oſeæ XIII. 2. Jo Conr. Dieteric. in Antiqvit. Biblic. p. 395. ſ. 406. b. 408. ſ. & Læl: Biſciolam Tom. I. lib. VII. c. XIV.

Digitized by Google

Ad Cap. XXIII. Lucæ.

Vers. 2.

Et vetare tributa dare Cæſari.

Provinciales tributa pendebant Cæſari. §. *per traditionem.* 40. *Inſt. de R.* D. ubi Theophil. qvorum colligendorum curam gerebant Procuratores Cæſaris. Dio *lib.* LIII. ut Pilatus procurator Tiberii in Judæa. Jul. Cæſar Bulengerus III. *de Imperio Rom. c.* XIX.

Vers 7.

Et qvùm cognoviſſet, eum ad Herodis poteſtatem pertinere, remiſit eum ad Herodem.

Huc facit *l.* II. D. *de cuſtod. & exhibit. reor. Non eſt dubium*, inqvit Celſus, *qvin cujuſcunqve eſt Provinciæ homo, qvi ex cuſtodia producitur, cognoſcere debeat is, qvi ei provinciæ præeſt, in qva provincia agitur. Illud autem à qvibuſdam obſervari ſolet, ut, cùm cognovit, & conſtituit, remittat illum cum elogio, ad eum, qvi provinciæ præeſt, unde is homo eſt: quod ex cauſa faciendum eſt.*

Vers. 38.

Erat autem inſcriptio ſcripta ſupra eum, litteris Græcis, & Romanis, & Hebraicis.

Eqvidem qvo minùs Titulus tribus his lingvis

gvis ſcriberetur, nihil vetuit; qvin ita ſcribi oportuit, ut à pluribus advenis legeretur: ſed ipſa ſententia, ex præſcriptô Legum Romanarum, *l. decreta.* 48. *D. de re judic.* Latinè tantùm ſcripta fuit, ex tabellâ recitata, more Romanô. *tit. C. de ſentent. ex peric. recit.* Tertull. *apologet.* II. *Qvod de tabella recitatis illum Chriſtianum.* Falſum ergo eſt, qvod Baldus notat *ad l. Judices.* 12. *C. de ſentent. & interlocut. omn. jud.* Judicem ſimul, Græcè, Hebraicè, & Latinè, ſententiam ferre poſſe; abuſus Inſcriptione Crucis Dominicæ. Romani Imperii dignitas non patiebatur, ut aliâ, qvàm Romanâ lingvâ Præſides in ſententiis uterentur. Unde Imperator Claudius ſplendidum virum, Græciæqve provinciæ præſidem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albô judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Sveton. in *Claud. cap.* XVI. Adde Valer. Maxim. *lib.* II. 1. Jul. Cæſ. Bulenger. IV. *de imperio Rom. c.* XV. Tandem poſterioribus temporibus, Byzantium tranſlatô Imperiô, Arcadius & Honorius judicibus, tam Græcè, qvàm Latinè, ſententias proferre permiſerunt. *d. l. judices.* 12. ubi eſt hyſterologia: *Judices tam Latinâ qvàm Græcâ lingvâ ſententias proferre poſſunt.* Duaren. *in l.* 1. §. *ult. D. de V. O.* Ræḋard. IV. *varior.* II.

Ad

Ad Cap. XVIII. Johannis.

VERS. 3.

Judas ergo qvùm accepiſſet cohortem.

Imploratô ſcilicet deſuper Præſidis officiô: ne, ſi ſoli Judæorum officiales Chriſtum ducerent, populus eum eriperet. Fac. *l. non eſt ſingulis,* 176. *D. de* R. I.

VERS. 19.

Pontifex maximus interrogavit Jeſum de diſcipulis ejus.

Ex mandatis principum, rei apprehenſi interrogari debent de ſociis, & receptatoribus. *l. Divus.* 6. D. *de cuſtod. & exhibit. reor. l.* 10. C. *de ſer. l.* 1. §. *cùm quis.* 26. D. *de Quæſtion.*

VERS. 29.

Qvam accuſationem adfertis adverſus hominem illum?

Per ſe qviſqve, non per alium, accuſare reum, eumqve peragere debet. *Actor.* XXIII. *verſ. ult. & c.* XXV. *v.* 16. *l. pen.* §. 1. D. *de public. judic.* Perperàm itaqve ex hoc loco infertur, Neminem, ſi accuſator nullus ſit, damnari poſſe. Contrarium liqvet ex *l.* 2. §. *unde quæri.* 6. D. *ad. L. Jul. de adul. l.* 3. *l.* 13. D. *de Offic. præſid. l.* 7. C. *de accuſat.* Non me fugit, à Coraſio

raſiô VII. *Miſcellan. c.* XIII. opponi *cap.* VIII. *Johan. verſ.* 10. *& ſeqv.* ubi poſt diſceſſum Scribarum, & Phariſæorum, Chriſtus ad adulteram dixit: Mulier, ubi ſunt tui accuſatores? Nemo te condemnavit? Qvæ reſpondit, Nemo, Domine. Cui Jeſus: Nec ego te condemno. Sed reſpondetur, Chriſtus non negat, mulierem illam condemnandam, nec fibulam laxat adulteris; ſed Se eam non condemnare dicit. Nempe, non venerat Chriſtûs in hunc mundum, ut ſecularem poteſtatem exerceret, *Ioh.* VI. 15. 38. *& ſeqv.* Qvâ eâdem de causâ judicium familiæ inter fratres ercifcundæ à ſe amolitur. Luc. XXI. 13. *& ſeq.* Adde D. Spanheimium, *part.* III. *Dubior. Evangelic.* 108. Ceterùm, Textus Syriacus non agnoſcit illam hiſtoriam de muliere adulterâ.

V E R S. 31.

Nobis non licet interimere qvemqvam.

Merum imperium, ſive jus gladii Judæis, poſtqvàm in Romanorum ditionem venerunt, prorſus videtur fuiſſe ademptum; qvod Cyrillo Alexandrino placuiſſe, refert Merillius hîc: idemqve ſcribit Antonius Goveanus ad *l.* 12. *D. de juriſdict. n.* 4. *& ſeq. &* Scip. Gentilis III. *de juriſd. c.* XIII. Sed cùm nuper in Benedicto Aretio legerem, incidi in locúm de blaſphemiâ ubi contendit, Judæos etiam tempore Chriſti adhuc habuiſſe jus gladii, ut ſine Præſidis Romani auctoritate animadvertere in blaſphemos potuerint; ſed non inſolitô mortis genere, Crucis

cis videlicet. *d. v. 13.* cui ſubſcribo. Nam qvorſum Romani patrias leges, ad Religionem pertinentes illibatas reliqviſſent Judæis, niſi ut violatæ Religionis reos, iſtis legibus vindicarent? Nec dixiſſet Pilatus: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram condemnate eum*, niſi & Judæi ſecundùm legem ſuam judicare, punirévé potuiſſent. At Pilato reſpondentes, *Nobis non licet interficere qvemqvam*, hoc intellexerunt de eo genere ſupplicii, qvô Chriſtum affici poſtulabant, videlicet ſuppliciô Crucis, Judaicis legibus incognitô. Atque ita etiam Doctiſſimum Merillium annotaſſe video hîc, adductô Gregoriô Nyſſenô, *Orat. primâ in Reſurrectionem Chriſti*: *Propterea Judæi non aliô qvàm crucis ſuppliciô Chriſtum affici volebant, tamen aliô potuiſſent.* Vide hâc occaſione D. Alſted. Chronolog. *ſectionem.* 45. *pag.* 439.

Ad cap. XIX. Johan.

VERS. 10.

Dicit ei Pilatus: Mihi non loqveris?

Voluit Pilatus Chriſto dicere, qvod aliàs Demipho Terentianus in Phormione, 1. v. (al: II. 1.) 50.

An qviſqvam judex eſt, qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas?

IBID.

I B I D.

Neſcis, me poteſtatem habere crucifigendi te?

Atqvi Procuratores Cæſaris non habuerunt poteſtatem gladii. Tac. *lib.* III. *Annal.* Dio *lib.* LIII. niſi vice Præſidis fungerentur. *l.* 4. *C. ad L. Fab. de plagiar. l.* 2. *C. de pœn. l.* 13. *C. ubi cauſ. fiſc. Collation. LL. Moſaicar. & Romanar. tit.* 14. *de plagiar.* ubi Petrus Pithœus, *pag.* 170. Pilatus autem non eſt functus vice Præſidis in Judæa. Vide ſupra *ad* XXVII. *Matthæi.* Reſpondet Merillius *hîc*, *& ad* XXIII. *Lucæ*, Pilatum Procuratorem Tiberii in Judæa, ex ſpeciali conceſſione, merum imperium habuiſſe, ut Judæos aſſiduè tumultuantes, & tributa ſolvere detrectantes, compeſceret. Diſſ. Cujac. XIX. *Obſervat.* XIII. eumqve ſecutus Gothofr. *ad l.* 23. §. 1. *D. de appellat. & ad l. ult. D. de Off. procur. Cæſar.*

I B I D.

Et poteſtatem habere te dimittendi?

Paulus in *l.* 3. *D. de re judic. Qui damnare poteſt, is abſolvendi quoque poteſtatem habet.* Cui concordat *l.* 37. *D. de R. I.* ſecundum lectionem Florentinam, qvæ retinenda eſt. Rurſus: *Is non habet jus liberandi reos, apud qvem accuſari non poſſunt. l. ſolent.* 6. *D. de Offic. proconſ. & legat.*

V E R S. 12.

Si hunc dimiſeris, non es amicus Cæſaris.

Legati, Præſides, Præfecti, dicebantur amici

ci Imperatoris. *l. ult.* D. *de Offic. præf. vigil. lib.* I. §. III. D. *de appellatian. lib.* I. C. *ſi mancip. ita venier. l.* 4. C *de contrah. & committ. ſtipul.* *t. l.* 17. D. *de jur. patronat.* Briſſon. *lib.* III. *de formul.* *. Qvem morem hodiéque Francorum Reges,

* Amici regum vel principum dicebantur olim qvi eis â conſiliis Juſtin. I. VII. 18. *Qvô factô & amicum in adulterium uxoris ſollicitatum hoſtem ſibi fecit.* Id I IX 7. *Magum qvendam ex amicis delegit.* Et IX. VIII. 16. *Hic* (Alexander) *amicorum interfector convivio frequenter exceſſit.* Item IX. IV. 5. *Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qvi pacem cum his amicitiamqve jungerent, Athenas miſit.* Et XII. XII. 8. *Sed ex amicis dimiſſi ſenes, Polyperchon, Clitus, Gorgias, Polydamas, Amadas, Antigenes* Item XII. XV. 8 *Cùm deficere eum* (Alexandrum) *amici viderent.* Vide XII. III. 9. XII. V. 15. XI X .4 XXXIV. III. 3. XXXVIII. III. 5. XLII. V. 7. Clariſſimè ſumitur eô & apud Svetonium ſignificatu Tiber. LV. 1. *Super veteres amicos ac familiares, viginti ſibi è numero principum civitatis depopoſcerat, velut conſiliarios in negotiis publicis.* De his Plinius in Panegyr. c. LXXXV. *Cùm plurimis amicitiis fortuna Principis indigeat. præcipuum eſt Principis opus amicos parare.* Et Helvidius Priſcus apud Tacitum IV. Hiſt. VII. 6. *Nullum majus boni imperii inſtrumentum, qvàm boni amici. Non enim exercitus, neqve theſauri, præſidia regni ſunt verùm amici*, Micipſâ judice apud Salluſtium. Jugurth. c. X. vide & Sveton. in Julio c. LXXII. 1. & ibi opti-

Reges, in Epiſtolis ad Rectores provinciarum emiſſis retinent. *A nos améz & feaux* Connan. *l. comm.* 16. Monarc. *ad d. l. ult.*

Ibid.

Qvicunqve ſe regem facit, contradicit Cæſari.

Legem Juliam Majeſtatis, temporibus Tiberii, ſeverè admodum, etiam ob res leviſſimas (veluti qvòd qvis annulum, cui inſculpta eſſet effigies Cæſaris, admoviſſet matulæ. Sveton. *in Tiber. cap.* LVIII.) exercitam fuiſſe, luculenter probant loca, adducta à Merillio p. 605. Judæi igitur gravius crimen Majeſtatis intenderunt Chriſto, qvòd regnum affectâſſet, ut Pilatus eum tanti criminis accuſatum dimittere, & Tiberii offenſam incurrere timeret. Similes habent labra lactucas.

Vers. 13.

Conſeditqve in tribunali.

Levia crimina de plano audienda, & diſcutienda

optimum Berneggerum noſtrum in notis p. m. 169. ſ. c.) Adde τὸν πάνυ Grævium in Juſtin. I. IV. 6. & ad XV. Ciceron. Famil. Ep. II. p. m. 382. b. ſ. Lipſium ad VI. Ann. Tacit. notâ XXIX. & Comment. in Senec. de Benef. VI. 33. n. 229. Salmaſ. ad Hiſtor. Aug. p. 47. & 306. Ravium in Nepotis Cornelii Miltiad. I. III. 2. p. 23. Qvi Nepos noſter & alibi hanc ita capit vocem; Vide XVIII. II. 4. XXI. III. 1.

Digitized by Google

do ſunt *l. levia 6. D. de accuſat.* Ergo gravia, veluti crimen Majeſtatis (loqvor ex hypotheſi Judæorum, falsâ tamen & calumniosâ) pro tribunali, ſervatôqve ordine judiciariô.

IBID.

In loco, qvi dicitur Lithoſtrotos.

Concinnius fortè diceretur, *Lithoſtroton.* Sic enim Plinius XXXVI. *natural. hiſtor. c.* XXV. *Lithoſtrota*, inqvit, *cœptavêre jam ſub Sylla, parvulis certè cruſtis*, &c. * Meminit eorum etiam Varro *in lib.* III. *de re ruſtica, c.* I. *extr.* † Græcô nomine ſervatô. Qvæ igitur fuit Caſtellionis audacia, qvi novô vocabulô *Lapidipavium* eſt interpretatus?

VERS. 15.

* Et in initio illius capitis: *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithoſtrota expulêre eam.* Dulecampio *Lithoſtrota* ſunt opus amuſſeatum, ſivo muſeacum, ſive muſivum, ut apud Spartianum in Peſcennio. Inde artifices muſivarii Theodoſio & Valentiniano lib. X. Codicis. Artis ejus induſtriam Nilus lib. IV. Epigrammaton hôc verſu monſtrat:

——— πῶς ἐκλίθη ἄλλοθεν ἄλλης

Συμφερτὸς γενομένην ἐξαπίνης σάτυρος·

† *Cum enim villam haberes opere tectoriô & inteſtinô ac pavimentis nobilibus lithoſtrotis ſpectandam.* Et c. II. *Nuncubi hîc vides citrum, aut aurum? num minium, aut armenium? num quod emblema, aut lithoſtrotum?*

VERS. 15.

Illi verò clamitârunt, Tolle, Tolle.

Sicuti & *Actor.* XXI. 36. At Imperatores Diocletianus & Maximianus optimè conſtituerunt, ne in pœnis decernendis vanæ voces populi audiantur. *l.* 12. §. 1. *C. de pœn. Cúmque à populo exclamatum eſſet, iterùm dixerunt, Vanæ voces populi non ſunt audiendæ: nec enim vocibus eorum credi oportet, qvando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.*

VERS 16.

Tunc ergo tradidit eum ipſis, ut crucifigeretur.

Pilatus ſtatim, ſine morâ, de Chriſto ſumpſit ſupplicium; ſecundùm *l. pen.* C. *de cuſtod. reor. Sancimus*, inqviunt Impp. Gratianus, Valent. & Theodoſius, *ut aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret.* Atqvi ex SCto Tiberiano, ſupplicium illud in decimum diem differendum fuerat. Tac. *lib.* III. *Annal.* Sveton. *in Tiber.* c. LXXV. Dio *in Tiber. lib.* LVII. aut in trigeſimum, referente Sidonio Apollinare 1. *Epiſt. Ex vetere*, inqvit, *SCto Tiberiano* XXX. *dierum vitam poſt ſententiam trahit.* niſi, qvod adjecit dierum Theodoſius *l.* 20. *C. de pœn.* id etiam SCto Tiberiano deputaveris: ut ſæpe, qvod Le-

gibus Juliis additum eſt poſterioribus conſtitutionibus, nihilominus conſtat, Juſtinianum Legibus ipſis adſcribere multis in locis. Cuj. V. *obſ.* IX. Dixi in *Emblemat. Tribon. pag.* 184. *& ſeqq.* Ceterùm, diſſidium qvod eſt inter *d. l. pen.* & *d. l.* XX. componit Cujacius XX. *obſ.* XXXII. nempe, qvod *l.* XX. dicitur, de non puniendis damnatis ante diem triceſimum, id ad eos duntaxat pertinere, in quos Princeps ſeveriùs animadverti juſſit: à judice autem damnatos ſtatim ad ſupplicium abripiendos, juxta *d. l.* V. *& l. cùm reis.* XVIII. C. *de pœn.* Aliter Merillius *not. ad hunc v.* p. 609. reſpondet: puta, SCto Tiberiano tantùm locum fuiſſe, cùm qvis aut à Senatu, aut à Principe damnatus eſſet, ordine judiciorum ſervatô: at non pertinuiſſe ad ſeditioſos (qvorum numero Chriſtus à Judæis habitus, per atrocem calumniam) & famoſos latrones, qvos mandata principum ſtatim & extra ordinem puniri voluerint, *per l. ſi quis.* 6. *§. quid tamen.* 9. *D. de injuſt. rupt. irr. teſtam. l. conſtitutiones.* 16. *D. de appellation.*

V E R S. 22.

Reſpondit Pilatus, Qvod ſcripſi, ſcripſi.

Eqvidem ſententiam Pilatus mutare non poterat. *Pœnam ſuâ dictam ſententiâ præſidi provinciæ revocare non licet. l. pœnam.* 15. *C. de pœn.* cui concordant. *l.* 1. §. *fin. D. de qvæſtion. l.* 45. §. 1. *l.* 55. *D. de re judic.* Auguſtin. *de Fato: Judicibus*, inqvit, *ſtatutum eſt, ne liceat in reum datam ſententiam*

tiam revocare. Apulej. 1. *Florid. Proconſulis autem tabella ſententia eſt; quæ ſemel lecta, neque augeri literâ unâ, neque autem minui poteſt, ſed utcunque recitata eſt, ita provinciæ inſtrumentô refertur.* Sed Titulum mutare poterat Pilatus, Judæis poſtulantibus, *arg. l.* 42. *D. d. t. de judic.* qvem tamen ut mutaret, adduci non poterat, βαρύμηνις ἄνθρωπος, *iracundus homo*, & pervicax; ut eum deſcribit Philo Judæus *de legation.*

VERS. 23.

Erat autem tunica inſutilis, à ſummo contexta tota.

Ex qvo textrinæ genere hæc tunica fuerit, & qvâ arte manulearius qviſpiam talem conficere potuerit, aliis explicandum relinqvo *.

VERS 29.

Vas igitur illic erat poſitum acetô plenum.

Ei fortaſſis fini, ut milites ex eo biberent. nam

 acetum

* Legi hic meret celeberrimi Theologi B. Jo. Georgii Dorſchei Tunica Chriſti inconſutilis è Pſalm. XXII. 19. & Joh. XIX. 23. explanata & RoſtochI edita annô M. DC. LVIII. in 4. qvam fortè habebis aliqvando in uno è Faſciculis noſtris.

acetum qvoqve potus militum fuit. *l.* I. C. *de erogat. militar. annon. lib.* XII. *Æl.* Spartian. in Peſcennio Nigro Imp. *Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed acetô univerſos eſſe contentos.* Et aliàs, Romanos milites cibaria ſecum tuliſſe, pervulgatum eſt. Lipſ. *de militia Roman. lib.* V. *dial.* XI. & XVI.

V E R S. 31.

Rogârunt Pilatum, ut confringerentur eorum crura.

Puta, accelerandæ eorum morti Origenes *lib.* III. *contra* Celſum: καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, προλαβὼν τοὺς ἐπὶ τῶν ἀνασκολοπιζομένων δημίους ὑποτέμνοντας τὰ σκέλη τῶν σταυρουμένων, καὶ διὰ τοῦθ' ὑποτέμνοντας, ἵνα μὴ ἐπὶ πλέον τιμωρίαν τίσωσιν. Tertullianus *Apologetic. cap.* XXI. *Tamen ſuffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit, prævento carnificis officiô.* Lactantius *lib.* IV. *Inſtitut. c.* XXVI. *Suffixus itáque Chriſtus qvùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putârunt, oſſa ejus ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Qvem morem Judæis fuiſſe peculiarem ſcribit Lipſius, *Commentariô de Cruce.* Alii contrà, ex more Romanorum hoc crurifragium repetunt, ductô argumentô ex citatô locô Lactantii.

V E R S.

V e r s. 34.

Qvidam ex militibus lanceâ latus ejus fodit.

Hunc etiam morem Romanum fuiſſe, ex Origene *tract. XXXV. in Matth.* refert Merillius hîc pag. 628.

V e r s. 40.

Sicut mos eſt Judæis funerare.

Non Romanis, apud qvos, *igni dari mortuos, honor habebatur.* Macrob. VII. *Saturnal.* VII. Tac. V. *hiſtor.* V. 7. *de Judæis*: *Corpora condere, qvàm cremare, è more Ægyptio.* Plin. VII. *natur. hiſtor. c. LIV. Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti: terrâ condebantur.* Merill. hîc pag. 629.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible] Rom[illegible]

[illegible] Tac.

[illegible] Corpora [illegible]

[illegible] Plin. VII. [illegible]

[illegible]

IX.

JOH. VORSTII
EXERCITATIONUM ACADEMICARUM
ΔΕΜΑΤΙΟΝ,

IN QUO DISSERITUR

De temporibus, qvibus Medi ac Babylonii ab Aſſyriis defecerunt:

De LXX annis captivitatis Hebræorum, & vaſtitatis Hieroſolymitanæ:

De tempore, qvo templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit:

De voce Seſach, qvæ Jerem. XXV. 26. & LI. 41. legitur,

Deqve expugnatione Babylonis à Cyro facta:

Et deniqve de LXX hebdomadibus annorum, de qvibus Angelus apud Danielem cap. IX. prædixit.

Digitized by Google

CELSISSIMIS AC ILLUSTRISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

DN. FRIDERICO,
DN. JOHANNI GEORGIO,
DN. CHRISTIANO ALBERTO,

SERENISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HÆREDIS NORWEGIÆ, DUCIS
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ
ET DITHMARSIÆ, COMITIS OL-
DENBURGI ET DELMEN-
HORSTI, &c.

FILIIS,

DOMINIS MEIS CLEMENTIS-
SIMIS SALUTEM AC FELICI-
TATEM PERPETUAM
PRECOR

M. JOH. VORSTIUS

Digitized by Google

VErum ſacrarum ſcripturarum finem, CELSISSIMI ET ILLUSTRISSIMI PRINCIPES, tum ex aliis attenti earum lectores ſatis intelligunt, tum præcipuè ex iſtis locis, in qvibus ſacri Scriptores disertè expoſuerunt, in qvem finem Deus ſacras ſcripturas conſcribi voluerit. Inſignia verba ſunt, qvæ S. Johannes in extremo ſuo Evangelio c. XX. 31. poſuit: *Hæc autem* (qvæ à me ſcripta ſunt,) *ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* His nimirum S. Apoſtolus apertè id dicit, conſcriptas à ſe eſſe Evangelicas hiſtorias, ut fidem ex his homines concipiant in Jeſum Chriſtum, & ampliùs per fidem vitam æternam conſeqvantur. Apparet, exprimi iſtis verbis Apoſtoli finem aliqvem proximum, propter qvem ſacræ ſcripturæ ſint exaratæ; & deinde etiam aliqvem ultimum. Priori iſto fine, qvem poſuit S. Apoſtolus, comprehendere voluit univerſam rationem colendi Dei & vitæ piè inſtituendæ. De vitâ & moribus eorum, qvi vitam æternam conſeqvi debent, non qvidem disertè monuit S. Johannes in iſto loco. Vult tamen idem Apoſtolus id ſubintelligi, nim. ſacras ſcripturas exaratas eſſe ut ſciamus, & qvomodo credendum ſit, & qvâ ratione vita ſit traducenda, ſi æternam ſalutem velimus conſeqvi. S. Paulus finem iſtum proximum, atqve item ultimum in epiſtolâ ad Romanos cap. XV. v. 4. ita expreſſit: *Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Qvod S. Apoſtolus

poſtolus dicit, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, qvæcunqve ſcripta ſunt, eo finem proximum demonſtrare voluit, atqve adeò hoc dicere, ſacras ſcripturas exaratas eſſe, ut doceamur, qvomodo de Deo & rebus divinis habendum & credendum ſit, & qvomodo vivendum. Qvòd deinde addit, *ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*, eo manifeſtè demonſtrat ultimum finem. Qvam enim aliam ſpem hîc intelligere vellemus, præter eam, qvæ de vitâ æternâ eſt? Dum verò ad iſtos, qvos diximus, fines, ſacrarum Scripturarum autores unicè reſpiciunt, ſubinde etiam exponunt talia, qvalia exponere ſolent profani Scriptores, hoc eſt, qvæ ex ratione & experientia ſciuntur, qvæqve ad philoſophiam, hiſtoriam & lingvarum cognitionem pertinent. Nimirum per talium qvoqve rerum commemorationem ſacrarum ſcripturarum autores ad prædictos fines reſpexerunt: imò nec facere potuerunt, qvin dum ad fines ſuos reſpexerunt, tales res, qvales dixi, ſimul nobis exponerent. In divi Hiobi c. XXXVIII, dum majeſtas, providentia, & ſapientia divina deſcribitur, de qvorundam animantium naturis & proprietatibus luculenter diſſeritur. In eandem ſententiam de rebus naturalibus prolixè diſſeritur in Pſalmo CIV. Multa item, qvæ ad hiſtoriam & Chronographiam pertinent, ſacræ ſcripturæ exponunt, dum ad principalem ſcopum illæ collimant. Æternâ oblivione obruta manſiſſent, qvæcunqve ante cataclyſmum univerſalem & aliqvot ſeculis poſt eundem ſunt geſta, niſi in

ſcriptu-

ſcripturis ſacris conſervata ea nobis eſſent. Neqve ſcire ullâ ratione liceret, qvot ſeculis mundus iſte perſtiterit, niſi eædem ſacræ ſcripturæ nobis præberent, ex qvibus aliqvot millia annorum computare poſſemus. Qvam verò multa eædem illæ continent de moribus & rebus geſtis variarum gentium! Ex illis ſcimus, qvinam primi ſint generis noſtri autores: qvi qvarum gentium autores fuerint: qvas ſedes variæ gentes occupârint, & obtinuerint: qvæ fuerint variarum politiarum viciſſitudines, ortus ac interitus. Præcipuè verò id impenſiùs exponunt ſacræ ſcripturæ, qvalis per aliqvot millia annorum conditio fuerit ejus populi, qvi verum & rectum Deo cultum præſtitit: qvæ tum clementiæ & beneficentiæ, tum qvoqve iræ divinæ exempla expertus fuerit: qvalia illi populo fuerint commercia cum aliis gentibus, Babyloniis, Syris, Arabibus, Ægyptiis, Ammonitis, Philiſtæis. Et ex his qvidem, qvæ ad hiſtoriam & Chronographiam pertinent, ac in ſcripturis ſacris nobis ſunt expoſita, exercitii Academici causâ qvædam mihi ſumere libuit impenſiùs conſideranda: nonnulla nimirum, qvæ de Aſſyriorum, Medorum, Babyloniorum, Perſarum, Ægypti ac Palæſtinæ Regibus ſunt prodita: deinde qvæ de LXX annis captivitatis Hebræorum, ac vaſtitatis Hieroſolymorum reperimus: tum qvæ de tempore, qvo templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit: & qvædam deniqve alia. Qvæ verò cogitata mihi ſunt ſuper iſtis argumentis, ea ad vos, Celſiſſimi ac Illuſtriſſimi Principes, qvi in ſpem patriæ meæ feliciter

ſuc-

ſuccreſcitis, nunc defero; tum qvòd vos, qvos optimis qvibuſqve artibus ac diſciplinis imbui, & hac qvoqve in parte patriſſare non ignoro, hiſce talibus ſtudiis putem non indelectari; tum qvòd ad pleráque horum publicè pro more Academico defendenda qvoſdam mihi comites duxi ex his; qvorum ſtudia Sereniſſimus & Celſiſſimus veſter Parens, Dominus meus Clementiſſimus, à meâ tenuitate in hac Academiâ dirigi juſſit. Ut igitur ſerenis frontibus iſta dignemini ſuſcipere, humiliter vos oro. Summum item Numen precor, ut vos ſalvos ac incolumes præſtet in plurimos annos, vosqve gloriæ majorum, ac dulciſſimi veſtri Parentis feliciter ulteriùs ſuccreſcere jubeat.

BENE-

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

Cum à me contenderet Typographus, ut liceret ſibi qvaſdam diſſertationum mearum Academicarum in unum volumen compingere, haud magnopere ipſi repugnandum putavi. Non ignorabam eqvidem, argumenta iſta, qvæ tractantur in hiſce chartis, ſæpe multumqve ante nos tractata fuiſſe ab aliis; & pleraqve omnia, qvæ ſuper iſtis diſſeruimus, aliis quoqve veniſſe in mentem. Quod cum ingenuè fateamur ipſi, propterea ne, benevole Lector, non committendum fuiſſe putabis, ut hæc legenda traderentur pluribus; potius autem faciendum, ut ſub ipſum ſui ortum premerentur iſta, nec extra Academicam auram ſerperent paulò longius? Fatebor tibi, me ſecus paulò ſentire. Vetus illud eſt: Nullum eſt jam dictum, qvod non dictum ſit prius. Qvod nec ineptè prorſus aut temere eſt dictum. Nihilo tamen ſecius, qvod Poëta ait:

Scribimus indocti, doctiqve poëmata paſſim.

Pauci eqvidem nova afferunt in ſcripturis ſuis, & ante non obſervata: multò verò pauciſſimi mera nova produnt. Nec tamen illi, qvi nihil produnt novi, aut, qvi pauca modò, ſpernendi continuò aut exigendi nobis videntur; ſi modò commodè, nec ineptè prorſus res proponant. Nam, ut Tullius ait in primo Tuſc. qq. mandare qvemqvam literis cogitationes ſuas, qvi eas nec diſponere nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqvâ allicere lectorem, hominis

minis

minis eſt intemperanter abutentis & otiô & literis. Præterea non rarò fit, ut ei, qvi utitur his quæ ab aliis ſunt prodita, aliqvid novæ probationis in mentem veniat, aut ut rem paulò dilucidiùs, qvàm antea factum fuerat, exponat, qvidqve incommodi adverſis ſententiis adhæreat, probè ponat ob oculos. Si modò talia in alicujus ſcripturis deprehendam ipſe, eas arbitror non ſpernendas mihi eſſe. Cumqve talia neqve his chartis prorſus putem abeſſe, non ſanè prohibui, ut antè dicebam, qvò minùs legenda hæc traderentur pluribus. Cæterum, ſi cognoſcere libet, benevole Lector, qvinam comites mihi iverint, ad iſta more Academicô publicè proponenda & defendenda, ſignificabo id qvoqve. Ad primam & tertiam diatriben defendendam comitem duxi D. HIERONYMUM PRÆTORIUM *Hamburgenſem, & id qvidem in Acad. Roſtochienſi. Ad ſecundam & qvartam defendendam comitem duxi* D. GEORGIUM MULLERUM, *Hamburgenſem, idqve in Acad. Jenenſi. Ad qvintam deniqve defendendam comes ivit* D. SAMUEL VISMARUS, *Nicopiâ Falſtrius, & qvidem in Roſtochienſi. Vale, benevole Lector, & ſtudiis noſtris, ni indigna videbuntur, fave.*

EXER-

EXERCITATIO PRIMA.

De temporibus, qvibus Medi, ac Babylonii ab Aſſyriis defecerunt; deqve ſingulatum iſtarum gentium, qvæ poſtea fuit, conditione.

EX ſacrâ Scripturâ, præterqvam qvod de iis, qvæ ad ſalutem nobis neceſſaria ſunt, erudimur, cognitionem etiam adipiſci licet rerum antiqviſſimis temporibus geſtarum; atqve item ſeriem colligere ter mille & amplius annorum. Ut autem omnia alia ſacræ ſcripturæ veriſſima ſunt, nec à qvoqvam Chriſtiano homine in dubium vocari poſſunt: ita & illa, qvæ de antiqviſſimis Aſſyriorum, Medorum ac Babyloniorum rebus ipſa narrat, fide digniſſima ſunt, ac certiſſima.

II. Inter Scriptores τοὺς ἔξω, qvi res antiqvas memoriæ prodiderunt, qvorumqve monumenta ad noſtram uſqve ætatem tranſmiſſa ſunt, facilè excellit Herodotus Halicarnaſſenſis. Nam & illorum omnium hic antiqviſſimus eſt, & antiqviſſimas res Aſiæ, Africæ ac Europæ narrat, idqve eâ fide, qvâ majorem in aliis non deprehendas. Utitur præterea hic ipſe autor ſvaviſſimo orationis genere, & genuinâ Ionicæ dia-

lecti indolem inter paucos alios nobis expreſſit. Non me latet, fuiſſe & olim, & noſtrâ ad patrum memoriâ, qvi excellenti iſti hiſtorico fidem derogârunt. Qvi, ſi qvædam Herodoti parum rectè ſe habere putâſſent, nos facilè haberent ὁμοψήφους. Si qvi autem Herodotum mendacii inſimulare voluerunt, ipſumqve ex qvadam animi vanitate falſa nobis narrare voluiſſe crediderunt, nos vehementer ab ipſis diſſentimus. Sanè nec ipſum Herodotum omnia, qvæ narravit, credidiſſe, facilè intelliget, qvi in ipſius hiſtoriâ legerit talia, *ut audivi*, *ut ajunt*, *ut narrant*: qvi item animadverterit, qvàm accuratè Herodotus ea, qvorum αὐτόπτης fuit, ab illis diſcernat, qvæ tantùm audierat. Producemus qvædam ipſius verba ex Euterpe. Ἄχρι, inqvit, τῶν μὲν κάτω τῶν οἰκημάτων, ἀκοῇ παραλαβόντες λέγομεν, τὰ δὲ ἄνω, μέζονα ἀνθρωπηΐων ἔργων αὐτοὶ ὡρέωμεν. In Polymniâ apertè profitetur noſter, ſe commemorare illa, qvæ ab aliis acceperit: non ipſum omnia credere. Ἐγὼ δὲ, inquit, ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω. Καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐς πάντα τὸν λόγον. Sed opus non eſt, ut nos apologiam pro patre hiſtoriæ nunc ſcribamus. Fecerunt id jam olim luculentè ſummi Viri, Joachimus Camerarius, & Henricus Stephani, qvorum inter doctos auctoritas maxima eſt. Nobis in præſentiâ illud liqveat, Herodotum ea, qvæ de rebus Medorum & Aſſyriorum prodidit, non ex qvâdam vanitate animi narrâſſe, nobiſqve falſa narrare minimè

inſtituiſſe. Qvàm autem vera illa ſint, tum judicabimus optimè, cùm Herodoti narrationem cum eâ qvam ſacra ſcriptura continet, compoſuerimus. Narrabimus igitur ante omnia ex Herodoti mente de Medorum, ac Aſſyriorum rebus nonnulla.

III. Cùm Aſſyrii per Iↄxx annos ſuperiorem Aſiam obtinuiſſent, primi ab ipſis defecerunt Medi, ſeqve in libertatem vindicârunt. Forma regiminis, qvâ Medi poſtilla uſi fuerunt, democratica fuit; mox autem regiô imperiô rurſus cœperunt regnari, idqve libentibus animis. Nimirum οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες, ut Ariſtoteles III. Polit. c. XIV. pronunciavit. Primus Rex à Medis tunc conſtitutus fuit Dejoces, qvi ſe juſtitiæ ſervantiſſimum futurum, aliqvot judiciorum ſpeciminibus oſtenderat. Mox etiam regio imperio addita fuerunt, qvæ illô digna eſſent, ſatellitium, regiæ ædes, munita oppida. Imperium primus iſte Rex tractavit LIII. annis. Cùmqve deceſſiſſet, ſucceſſit ipſi filius Phraortes. Hic imperii à parente ad ſe devoluti terminis non contentus, bello appetivit Perſas, hosqve in ſuam ditionem redegit. Idem poſtea adortus eſt, ac debellavit alias qvoqve Aſiæ gentes: tandémqve ipſos Aſſyrios, à qvibus Medi defecerant, oppugnavit, καὶ Ἀσσυρίων τούτους, ut ipſius Herodoti verbis hoc exprimam, οἳ Νίνον εἶχον, καὶ ἦρχον πρότερον πάντων, τότε δὲ ἦσαν μεμουνωμένοι μὲν συμμάχων, ἅτε ἀπεστεώτων, ἄλλως μέντοι ἑωυτῶν εὖ ἥκοντες,

eos, inqvam, Aſſyrios, qvi Ninum incolebant, qvondam omnium principes, ſed tunc à ſociis per defectionem deſertos: alioqvi per ſe benè habentes. Sed infeliciter tùm pugnavit Phraortes, & cum majore exercitûs parte periit viceſimô ſecundô imperii annô.

IV. Phraorti mox ſucceſſit ejus filius Cyaxares, qvi & ipſe in bellum incubuit. Totâ nimirum ſuper Halym fluvium Aſiâ ſibi conciliatâ, Ninum denuò oppugnavit, cædem parentis ſui ulturus. Et qvidem, cùm Aſſyrii pugnæ copiam in campis facerent, præliô eos ſuperavit, moxqve ipſam Ninum obſidere cœpit. Sed qvòd Scythæ in Mediam tum infuſi erant, neceſſe habuit obſidionem ſolvere, & Scythis obviam ire. Congreſſus cum Scythis infelici pugnâ fuit uſus, ac Aſiæ imperium amiſit. Scythæ porrò, univerſâ Aſiâ potiti, rectâ in Ægyptum contenderunt. Sed muneribus, precibusqve placati à Pſammeticho Ægypti Rege, in ipſam Ægyptum non penetrârunt. Cùm autem per XXVIII. annos in Aſiâ longè lateqve dominati eſſent, potiorem eorum partem Cyaxares, ac Medi hoſpitiô exceperunt, atqve hinc occaſione arreptâ, cùm paulò largiùs ſe invitâſſent Scythæ, eos trucidârunt. Qvò factum, ut Medi imperium recuperaverint, & ad Nini obſidionem reverſi, eam urbem expugnarint tandem, Aſſyrioſqve πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης, *exceptâ parte Babyloniæ*, ſubegerint. Obiit Cyaxares, cùm XL. annis imperio præfuiſſet.

V. Cyaxaris filius fuit Aſtyages, qvi etiam imperium poſt parentem ſuſcepit. Habuit autem

filiam,

filiam, cui nomen fuit Mandanæ. De hac qvid per ſomnum ipſe viderit, vulgo eſt notum: uti etiam illud, qvâ ratione imperiô à Cyro nepote ſuo fuerit exutus. Factum hoc eſt, cùm ipſe XXXV annos regnâſſet. Atqve ita annos imperii Medici ex mente Herodoti per partes expoſuimus. Addemus nunc integram ſummam collectam ipſius Herodoti verbis: Μῆδοι δὲ ὑπέκυψαν Πέρσῃσι διὰ τὴν τούτου (Ἀστυάγεος) πικρότητα, ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν, δυῶν δέοντα, πάρεξ ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον. *Medi ob Aſtyagis acerbitatem in poteſtatem Perſarum fuerunt redacti, cùm Aſiam, quæ eſt ſuper Halym fluvium CXXVIII annis obtinuiſſent, exceptô tempore, qvô Scythæ dominati fuerunt.* Dejocem dixerat Herodotus LIII. annis regnâſſe: XXII Phraortem: XL. Cyaxarem: Aſtyagem XXXV. Iſti anni ſi colligantur, fit ſumma CL. annorum, pauló qvidem ea major iſtâ, qvæ eſt in verbis Herodoti. Sed non annumeravit Herodotus XXVIII. annos, qvibus Scythæ dominati fuerunt. Si igitur illi annumerentur ſummæ, qvam Herodotus collegit, fiet ſumma CLVI. annorum.

VI. At ſumma, qvam nos ex annis ſingulorum Regum ſeparatim poſitis colligebamus, eſt CL. annorum. Qvid igitur fiet VI annis, qvibus altera ſumma hinc excedit? Reſolvendum eſt, Medos, cùm primò ab Aſſyriis deſciverunt, non illico regnatos fuiſſe regiô imperiô, ſed formâ reipubl. democraticâ fuiſſe uſos. Herodoti

verba ſunt in Clio: Ἐόντων δὲ αὐτονόμων πάντων ἀνὰ τὴν ἤπειρον, ὧδε αὖτις ἐς τυραννίδας περιῆλθον. *Cùm jam per continentem in univerſum propriis uterentur legibus, hac occaſione rurſus tyrannidi ſubjecti fuerunt. Fuit apud Medos Vir ſapiens cui nomen erat Dejoces, qui cùm ad tyrannidem aſpiraret, hujuſmodi quædam excogitavit. Cùm Medi per vicos paſſim habitarent, Dejoces ipſe qvùm jam antè apud ſuos celebris eſſet, tum verò magis etiam, qvàm anteà juſti iam ſectari aggreſſus eſt, quòd videret apud Medos univerſos magnam qvandam licentiam, & ſatis ſciret, juri injuriam adverſari. Medi verò, qui eundem habitabant vicum, intuentes hominis mores, judicem ipſum controverſiarum ſibi conſtituerunt.* Ex his Herodoti ſatis apparet, qvæ reip. Medorum primis poſt defectionem annis fuerit conditio. Dejocis verò prima poteſtas, qvam in ſuâ gente obtinuit, non regia fuit, ſed modò delegata, δικαστοῦ puta. Cum eâ poteſtate caſtè aliquandiu eſſet uſus, tum demum amplior ipſi fuit commiſſa. Adſcribam de hoc qvoqve ipſius Herodoti verba: *Cùm rapinæ ſceleráqve paſſim per vicos multò etiam magis, qvàm priùs patrarentur, Medi habitô conciliô de communi rerum ſtatu colloqvi cœperunt. Hîc, ut ego quidem exiſtimo, Dejocis amici belliſſimum ſermonem ſunt exorſi. Enimverò, inqviebant, ſi pergamus his moribus vivere, hanc noſtram regionem diu non poterimus incolere. Agite igitur, conſtituamus nobis ipſis regem, ut videlicet ditio noſtra bonis legibus adminiſtretur, & nos res noſtras agamus, neqve malè agendi licentiâ noſtris ſedibus pellamur.* His verbis perſvaſi

Medi

Medi regio imperio ſe ſubjicere, ſtatim conſultant, qvenam regem creent. Tum Dejoces ab omnibus nominari & prædicari, adeò ut omnium tandem ſuffragiô rex approbaretur. Facilè nunc licet intelligi, qvî fiat, ut ex annis, qvos qvatuor Medorum regibus Herodotus ſeparatim tribuit, paulò minor colligatur ſumma, qvàm ea eſt, qvæ conficitur ex annis, qvi fuerunt inter ipſam Medorum defectionem & regni Medici finem. Nimirum aliqvanto tempore Medi democraticâ reip. formâ fuerunt uſi, anteqvàm Regibus regnarentur. Atqve intervallum hoc fuerit illud ipſum, qvô ſumma CLVI. annorum excedit CL. annorum ſummam, hoc eſt, VI. numero annorum.

VII. Poſt Aſtyagem devictum regnum Perſidis ac Mediæ obtinere cœpit Cyrus, qvi ſacris etiam literis eſt celebratus. Hunc Hiſtorici ac Chronologi conſentiunt regnare cœpiſſe annô primô Olympiadis LV. hoc eſt, annô Iphiti CCXVII. ſed ultra dimidium elapſô. Referatur ergo ejus initium ad annum Iphiti CCXVIII. Cum hoc verò connectunt præſtantiſſimi Chronologi annum, periodi quidem Julianæ MMMMCLV, mundi conditi verò MMMCCCXCI. Factâ igitur alligatione iſtâ, in proclivi eſt, tempus, qvô defectio Medorum evenit, ad annos Olympiadum, itemqve ad annos periodi Julianæ & mundi conditi alligare. Medi, anteqvàm Cyrus regnare cœpit, imperium obtinuerunt CLVI. annis, ut liqvet ex jam dictis. De 218. annis æræ Iphiteæ, itemqve 4155. annis periodi Julianæ, & 3391. annis epochæ mundi conditi

 dedu-

deducantur illi 156 anni imperii Medorum. Atqve ita initium imperii intelligetur eſſe in anno, æræ qvidem Iphitéæ ſexageſimo ſecundo: periodi Julianæ autem anno 3939. & æræ mundi conditi anno 3235. Porrò hic ipſe annus, & æræ Iphitéæ, & periodi Julianæ, & Epochæ mundi conditi rectè connectitur à præſtantiſſimis Chronologis cum decimo quarto anno Hiskiæ Regis Juda; qvô ipſo Sennacheribus Aſſyriorum Rex inuſitatâ ac mirabili clade fuit adfectus & in Aſſyriam refugit, ut legere eſt in II. Reg. c. XIX. & Eſ. c. XXXVII. Cujus qvidem cladis hiſtoriam attigit etiam luculentus ſcriptor Herodotus in Euterpe. Qvanqvam Ægyptii, quibuscum verſatus fuit, paulo aliter rem narraverant, qvam facta erat. Ipſa ejus verba ſunt: μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν ϛρατὸν μέγαν Σαναχάριβον, βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων. *Poſt autem in Ægyptum magnum exercitum duxiſſe Sanacharibum, Arabum, & Aſſyriorum Regem.* Narraverant Ægyptii, ſe ipſos à Sennacheribo petitos fuiſſe bellô & cùm obviam ei iviſſet Ægyptiorum Rex Sethon, ac in Peluſio jam caſtra poſuiſſet, offuſam Aſſyriis fuiſſe vim agreſtium murium, qvi illorum pharetras & arcus corroſerint, ut ita armis exuti neceſſe habuerint ſe in fugam dare, multiqve eorum perierint. Ipſum etiam Regem Sannacheribum ex lapide finxerant in templo Vulcani, murem manu tenentem, cum hac inſcriptione: Ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔϛω. *In me qvis intuens, pius eſto.*

VIII. Me-

VIII. Memoratur item in ſacris literis, & quidem in prædictis earum locis, Sennacheribum, dum in fano ſuo ſacris operari voluit, â filiis ſuis fuiſſe interemptum & ſucceſſiſſe ei filium Aſarhaddonem, aliuni ab iis, qvi parricidium patraverant, Adramelecho, & Sarazaro. Eadem verò hæc, ut & priora illa, Beroſus quoqve memoriæ prodiderat in Chaldaicis, ſi qvidem verba illa, qvæ Joſephus habet l. X. ἀρχαιολ. c. 1. ipſius Beroſi ſunt. Nos ſanè illa huc transſcribemus. *Senacheribus*, inqvit, *ab Ægyptiaco bello revertens* (Hieroſolyma) *offendit ibi exercitum, quem ſub Rapſacis imperio relíqverat peſte divinitus immiſſâ deletum, primâ nocte, poſtquam urbem oppugnare cœperat, abſumptis cum ducibus & tribunis* CLXXXV. *millibus militum. Quâ clade territus & de reliquis copiis ſolicitus, maximis itineribus in regnum ſuum contendit ad regiam, quæ Ninus dicitur. Ubi paulo poſt per inſidias ſeniorum è filiis ſuis Adramelechi, & Selennari, vitam amiſit occiſus in ipſo templo Araſci, quem præcipuô cultu dignabatur. Quibus ob parricidium â popularibus pulſis, & in Armeniam fugientibus, Aſſarachoddas minor filius in regnum ſucceſſit.* Pulchrè hæc congruunt illis, qvæ ſacris literis de Sennacheribo ſunt prodita. Si ipſius Beroſi ſunt, mirum eſt, ipſum talia potuiſſe ſcribere. Eſſe autem ipſius Beroſi, crediderit qvis, ſi conſideret verba, qvæ præcedunt. Cùm enim ſcripſiſſet Joſephus, Beroſum feciſſe Sennacheribi mentionem in Chaldaicis ſuis, his illa, qvæ transſcripſimus, annectuntur per duas voculas λέγων οὕτως. Sed exiſtimat Vir Cl. connexivas

 iſtas

iſtas voculas delendas eſſe. Qvæ enim ſeqvuntur, manifeſtum eſſe, non eſſe Beroſi, ſed Joſephi. Qvicqvid verò ſit, nec ſatis fideliter ſunt verſa illa, qvæ transſcripſimus, nec omnia ex vero ſunt ſcripta. Quod enim de Hieroſolymis obſeſſis, & exercitu Sennacheribi apud ipſa deleto, in iſtis verbis eſt, quodqve idem etiam vulgo creditur, id omnino eſt falſum. Manifeſta ſunt verba apud Jeſajam c. XXXVII. v. 33. *Non intrabit* (Rex Aſſyriorum) *civitatem hanc, & non jaciet illac ſagittam, & non veniet ante eam clypeus, & non mittet in circuitu ejus aggerem.*

IX. Sed & ex rerum geſtarum ſerie idem illud facilè intelligitur. Nos illam breviter exponemus. Decimô qvartô annô Hiſkiæ Sennacheribus cum exercitu movit in Palæſtinam, & oppida obſidere cœpit. Qvædam etiam ex his expugnavit. Hiſkias igitur Rex Juda, cùm Sennacheribi vim reprimere non poſſet, profeſſus eſt, ſe ei tributa penſurum, moxqve vim auri ac argenti, qvæ imperata erat, coëgit, & imperanti pependit. Sennacheribus tamen iſtô ſubjectionis genere non contentus, ipſa etiam Hieroſolyma dedi voluit, ac eô nomine Tharthanem & Rabſacem ad urbem miſit. Tum verò Hiſkias indignum poſtulatum iniqvô animô ferens, non illico obtemperandum feroci Regi, ſed potiùs auxilium divinum implorandum putavit. Mox Jeſaias χρηματισμὸν accepit de exauditis ſuorum precibus, & Sennacheribo debilitando ac prorſus tandem trucidando. Rabſaces autem cùm non obtineret, qvod voluit, ad Regem reverſus, hunc ad Libnam caſtra metatum, eamqve

urbem

urbem obſidentem offendit. Eô ipſô tempore allatum fuit ad Sennacheribum, ipſum à Thirhakâ Cuſchæorum Rege bellô appeti. Qvare obſidionem Libnæ neceſſe habuit ſolvere. Ante tamen, qvàm Palæſtinâ excederet, adhuc ſemel Hiſkiam ad deditionem ſollicitandum putavit. Qvod igitur fecit legatos cum literis Hieroſolyma mittendo, qvibus ſuam potentiam jactavit: Hiſkiæ autem imbecillitati illuſit. Hiſkias, ut antè fecerat, auxilium divinum denuò tum imploravit, moxqve de Sennacheribi futuro interitu ab Eſaia certior fuit factus. Nocte igitur, qvæ inſecuta fuit, in Aſſyriaco exercitu ſtrages editur inuſitata, & CLXXXV. cæduntur millia. Hæc omnia ita facta eſſe, ex II. Reg. c. XVIII. & XIX. ut & ex Eſaiæ c. XXXVI. & XXXVII., ſi attentè ea capita legantur, ſatis licet intelligi. Facilè autem & illud intelligitur ex jam memoratis, qvod paulò antè dicebamus, exercitum Aſſyriacum non fuiſſe cæſum apud Hieroſolyma. Neqve enim legatos cum literis miſiſſet Sennacheribus, niſi Hieroſolymis abfuiſſet. Nec ſcire licet, legatos ante ad regem ſuum rediiſſe, qvàm exercitus ejus deletus fuit, ipſumqve regem cum exercitu Hieroſolyma tetendiſſe, &, cùm eò veniſſet, exercitum fuiſſe deletum. Sanè in locis allegatis legimus, Hiſkiam, cùm literas Aſſyriorum Regis accepiſſet, illico in ſacram ædem ſe contuliſſe, & auxilium divinum imploràſſe. Mox etiam de hoc impetrato certiorem factum per Eſaiam. Nocte verò, qvæ eam diem inſecuta fuit, exercitum Aſſyriacum fuiſſe cæſum.

X. Vi-

X. Vir Cl. Georg. Hornius, qvi Sulp. Severum nitidè nuper edidit, in notis ad Sulpitium l. XXXVIII. 11. ſcribit, ex Eſaiæ c. XXXVII. v. 9. & 30. poſſe colligi, Sennacheribum auditô Tirhakæ adventu obſidionem Hieroſolymitanam vaſtatis agris ſolviſſe. Tertiô demum annô contuſâ Æthiopiâ & Arabiâ obſidionem repetiiſſe, & tum cladem illam exercitui ejus fuiſſe immiſſam. Nos non hæc, ſed altera illa, quæ ipſi memoravimus, ex demonſtrato loco colligere qvimus. Sennacheribum puta, cùm de Tirhakæ adventu inaudiviſſet, denuò ad deditionem ſolicitaſſe Hiskiam, & cùm eo nomine legatos miſiſſet Hieroſolyma, exercitum ejus fuiſſe deletum, anteqvàm adverſus Tirhakam is ductus fuit. Verba loci demonſtrati hæc ſunt: וישמע על־ תרהקה מלך כוש לאמר יצא להלחם אתך וישמע וישלח מלאכים אל־ חזקיהו Non malè ea expreſſa ſunt in vulgatâ verſione: *Et audivit* (Sennacheribus) *de Taracâ, Rege Æthiopiæ dicentes: Egreſſus eſt, ut pugnet contra te. Qvod cùm audiiſſet, miſit nuncios ad Ezechiam.* In verbis, qvæ præcedunt, expreſsè dicitur, Sennacheribum, dum de Tirhakâ inaudivit, Libnam obſediſſe, non Hieroſolyma. Neqve igitur horum ſolvere potuit obſidionem. Ex illis autem verbis, qvæ transſcripſimus, intelligere ſanè eſt, tum, cùm Sennacheribus accepiſſet, ſe à Tirhakâ appeti bellô, continuò eum legatos miſiſſe Hieroſolyma, ac Hiskiam ad deditionem denuò ſollicitâſſe. Si autem de hoc certò conſtare poteſt, ut ſanè nobis videtur, non poteſt eſſe dubium, qvin non poſt tres demum annos, ut Vir Cl. Abulenſem, & alios ſecutus,

ſtatuit,

ſtatuit, ſed ſtatim poſt pellectas Aſſyriorum Regis literas, exercitus Aſſyriorum fuerit deletus.

XI. Satis, credo, nunc apparet, qvàm vera ſint iſta, qvæ de tempore, qvô Medi ab Aſſyriis defecerunt, ex Herodoti narratione colligi licet. Oſtendimus ſuprà p. 707. defectionem Medorum factam eſſe CLVI annis ante Cyri initium, circa illa ipſa tempora, qvibus Sennacheribus inuſitatâ clade affectus, in Aſſyriam refugit, & à filiis ſuis fuit interemptus. Deprehendimus igitur commoda tempora, qvibus Medi haud difficulter jugum potuerunt excutere. Qvamvis Sennacheribo parenti ſucceſſerit filius ejus Aſarhaddon: tamen autoritati regni per inuſitatam Sennacheribi cladem, & deinde ejusdem cædem decesſit plurimum. Fuit deinde fortaſſis ille qvi Sennacheribo ſucceſſit, ejus filio[rum] minimus natu. Sanè in verbis, qvæ ſupra ex Joſepho transſcripſimus, id expreſsè dicitur. Lyra verò & Toſtatus parricidii, qvod duo Sennacheribi filii patrârunt, hanc cauſam fuiſſe exiſtimant, qvod Sennacheribus, poſthabitis duobus natu majoribus filiis, Aſarhaddonem natu minimum ſucceſſorem regni deſtinaverit. Medi igitur, cùm impunè deficere ſe poſſe viderent, ac in libertatem ſe vindicare, occaſionem tam bellam minimè dimittendam putârunt. Idem verò fecerunt & aliæ gentes, ut Herodotus autor eſt. Μῆδοι, inqvit, ἀπωσάμενοι τὴν δουλοσύνην ἠλευθερώθησαν. Μετὰ δὲ τούτους καὶ τὰ ἄλλα ἔθνεα ἐποίεε τὠυτὸ Μηδοισι. Medi certè videntur ſatis addictè ab Aſſyriis Regibus fuiſſe regnati,

gnari. Sacris literis eſt proditum, Salmanaſſarum, Sennacheribi deceſſorem, ac fortaſſe parentem, Judæos, qvos debellaverat in Palæſtinâ, avitis ſedibus manere non permiſiſſe, ſed deportari eos juſſiſſe tum alio, tum in Medorum oppida. Ipſa de eo ſacrarum literarum verba leguntur in ſecundo Regum c. XVII. v. 6. & c. XVIII. v. 11. Medi vero idipſum animis, credo, haud æqvis tulerunt, eôqve vehementer fuerunt irritati. Ex eo vero, qvod captivi Judæi in Medorum ſedes tranſlati fuerunt, & iſtuc colligas, Medos jam ante illa tempora detrectâſſe imperium Aſſyrii Regis, ac jugum voluiſſe excutere. Conſtat porro ex ſacris, Salmanaſſarem in ſedes Judæorum migrare juſſiſſe alios. Secundô Reg. c. XVII. v. 24. hæc leguntur: *Adduxit Rex Aſſyriorum* (Salmanaſſar) *viros* מבבל *de Babylone, & de Cutha, & de Ava, & de Emath, & de Sepharvaim, & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Iſraël.* Inter hos, qvi in vacuas Judæorum ſedes migrare juſſi fuerunt, valde veroſimile eſt, & Medos fuiſſe. Horum qvippe ſedes juſſu regiô occupârant, ejecti ex ſuis ſedibus, Judæi.

XII. Ex verbis ſacræ Scripturæ, qvæ noviſſimè produximus, apparet etiam, Salmanaſſarem, qvi Sennacheribum anteceſſit, in Palæſtinam immiſiſſe & Babylonios. Unde colligi fortaſſe licet, Babyloniam tum temporis fuiſſe in ditione Aſſyriorum Regis, neqve proprio Regi, qvi qvidem αὐτοτελὴς fuerit, fuiſſe regnatam. Facta autem eſt immiſſio iſta ſextô vel ſeptimô anno Hiſkiæ Regis Juda, ut videre eſt

ex II.

ex II. Reg. c. XVII. Deinde verò ex jam dicti libri c. XX. ut & ex Eſaiæ c. XXXIX. 1. intelligimus, Hiſkiâ adhuc regnante, & qvidem decimô qvartô, aut decimô qvintô ipſius regni annô Babyloniæ Regem fuiſſe Merodachum Baladanem, hujusqve legatos miſiſſe ad Hiſkiam, ut de recuperatâ valetudine proſperâ amico Regi gratularetur. Unde colligi porrò licet, iſtum Babyloniæ Regem ab Aſſyriis tum temporis fuiſſe abalienatô animô, utpote qvi in Hiſkiæ, Aſſyriorum hoſtis, amicitiam ſe contulerit. Licet item conjecturam facere, circa eadem tempora qvibus Medi defecerunt ab Aſſyriis, defeciſſe & Babylonios. Recolamus Herodoti verba: Μετὰ Μήδους καὶ τἆλλα ἔθνεα ἐποίεε τὠυτὸ Μήδοισι, *Poſt Medos aliæ qvoqve gentes idem fecerunt, qvod Medi*, hoc eſt, ab Aſſyriis defecerunt. Inter iſtas gentes fuiſſe & Babylonios ſanè haud ineptè qvis collegerit ex eo, quod oſtendimus, ſextô annô Hiſkiæ Babylonios in ditione Aſſyriorum Regis fuiſſe; paucis autem annis poſt, hoc eſt, decimô qvartô annô Hiſkiæ exitiſſe Babyloniæ Regem, qvi cum Hiſkiâ, Aſſyriorum hoſte, amicitiam coluerit.

XIII. Joſephus Scaliger eruit, ut notum eſt, ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Genethliacis æram Nabonazaream, qvam Canonem Mathematicum vocant. Fixum fuit illius æræ initium in primô annô alicujus regis Babyloniæ, cui Nabonazaro nomen fuit. Nabonazarum ſecuti ordine fuerunt, Nadius, Chinzerus, Jugæus, Mardokempadus, plurimiqve alii. Qvos

annis

annis ſinguli imperium obtinuerint, palmarium eſt illius æræ conditoribus oſtendere. Editionem, qvam Joſephus Scaliger fecit, ipſe judicavit non per omnia ſatis recte ſe habere. Poſt eum autem eandem æram Nabonazaream edidit, ac Chronologicæ ſuæ Iſagogæ inſeruit Sethus Calviſius. Profitetur hic, ſuam editionem eſſe ſatis integram, ac emendatam. Accepiſſe enim ſe dictam æram ab Abrahamo Sculteto, ad qvem ab Overallo ex Anglia fuerit tranſmiſſa, deſcripta qvidem illa ex MS. Ptolemæi, qvod Londini fuerit aſſervatum. Dionyſius quoque Petavius eandem edidit ex Theonis *προχείροις κανόσι*, tum qvidem nondum in lucem emiſſis. Prorſus autem hæc Petavii editio cum illa convenit, qvam Calviſius fecit. Ceterum in qvarto illorum Babyloniæ Regum, qvi in iſta ſerie recenſentur, eſt nomen Mardokempadi: qvem conjecturam fecerunt viri docti eſſe Merodachum Baladanem, qvi ad Hiskiam legatos miſit. Sane anni æræ Nabonazareæ non male congruunt. Intelleximus autem Salmanaſſarem, Aſſyriorum Regem, paucis ante annis partem Babyloniæ gentis immiſiſſe in Palæſtinam: & conjecturam inde fecimus, Babylonios in ipſius tum fuiſſe ditione. Deinde ex dicta ſerie Regum Babyloniæ intelleximus, ante Mardokempadum Babyloniæ Reges fuiſſe Nabonazarum, Nadium, Chinzerum, Jugæum. Qvæ igitur videri poſſint parum ſibi eſſe conſentanea. Conjectavit Vir ſummus H. Conringius, Acad. Juliæ decus, Reges, qvi Mardokempadum præceſſerunt, non obtinuiſſe imperium

perium ſummum, ſed in Aſſyriorum Regum poteſtate, ac ditione fuiſſe: cùm autem Sennacheribus inuſitatâ clade eſſet affectus, ac præterea à ſuis interemptus, Babyloniæ, qui tum fuit, Regem auſum fuiſſe jugum excutere, & ἀνυπεύθυνον ſe gerere. Atqve hæc valde nobis facta ſunt veriſimilia.

XIV. Qvid verò de Regibus Babyloniorum, qvi poſt Mardokempadum in dicto Canone Mathematico ponuntur, eſt ſtatuendum? An & ipſi liberi omnes fuerunt, nec Aſſyriis ſubditi? Non videtur. Nomina ipſorum ſunt iſta: Arcianus, Belibus, Apronadius, Rigebelus, Meſeſſimordacus, Aſſaradinus, Saoſduchæus, Chiniladanus Nabopollaſſarus, Nabocollaſſarus, Ilvarodamus, Niricaſſolaſſarus, Nabonadius. Pleriqve horum Aſſyriorum videntur paruiſſe Regi. Colligi licet exinde; qvòd Hiskiæ filius Manaſſes, qvi poſt patrem regnavit in Palæſtinâ, cùm ab Aſſyriorum Rege ſubactus eſſet, ab eodem Babylonem fuit deportatus. Secundo Paralip. c. XXXIII. v. 11. hæc legimus: *Superinduxit* (DEUS) *eis principes exercitûs Regis Aſſyriorum, ceperuntqve Manaſſem, & vinctum catenis, atqve compedibus duxerunt* בבלה *in Babyloniam* (Babylonem) Fuerit iſte Aſſyriorum Rex Aſarhaddon; qvem Sennacheribo ſucceſſiſſe ſcimus. Vel, ſi id non placet, fuerit is, qvi Aſarhaddoni ſucceſſit. Aſarhaddonis nomini non malè congruit nomen Aſaradini, qvòd eſt inter nomina Regum Babyloniorum, qvæ paulo ante memoravimus. Et videtur ſanè hoc poſterius ex priore expreſſum.

Aſarhaddon tamen, qvi in ſacris memoratur, non poteſt is eſſe, qvi in Canone vocatur Aſſaradinus, qvod inconſideratè, ut non pauca alia, in Chronologiâ ſuâ aſſeruit Joh. Henr. Alſtedius. Illud ipſum, qvod nos collegimus, tum, cum Manaſſes deportatus fuit, Babyloniam fuisſe in ditione Regis Aſſyriorum, collegerunt etiam Clariſſimi Viri, Herm. Conringius, & Georg. Hornius. Non autem ignoramus, eſse viros doctos, qvi ſtatuant, Babyloniæ modò partem aliqvam in ditione Regis Aſſyriorum tum temporis fuisſe, & in eam partem deportatum fuiſse ab eodem Rege Manaſſem, ut ita non opus ſit ſtatuere, Babyloniæ regem fuiſse *κατὰ νόμον*, & Aſſyriorum Regi obnoxium. Iſta verò ſententia non perinde nobis verò videtur ſimilis, atqve altera illa.

XV. Dicat qviſpiam, licere conjicere, iſtos Babyloniæ Reges, qvos paulo antè recenſuimus, obtinuiſse & Aſſyriam, atqve hinc factum eſse, ut iſte Rex, qvi Manaſsem deportavit Babylonem, dictus ſit Rex Aſſyriorum: eô nimirum modô, qvô Reges Perſarum, cùm Babyloniam & Mediam, adeoqve Aſſyriam ſubegiſſent, dicti ſunt Babyloniæ, & Aſſyriæ Reges. Cujus rei exempla ſunt in Eſræ c. VI. v. ult. & Neh. XIII, 6. Verùm enim verò, ſi rem probè penſitamus, nec illud poteſt. Conſtat qvippe ex ſacris literis, atqve item ex Herodoto, ultimô annô Joſiæ, prædicti Manaſſis nepotis, regnum Aſſyriorum adhuc duraſſe, nec vel à Medico, vel à Babylonico fuiſſe abſorptum. Legimus enim II. Reg. XXIII, 29. Pha-

Pharaonem Nechonem, Regem Ægypti, dictô Joſiæ annô bellô petiiſſe Regem Aſſyriorum. Qvibus ὁμολογέμενα ſunt, qvæ in Zophoniæ c. II. v. 14. legimus. *Extendet manum ſuam ſuper Aqvilonem; & perdet Aſſur, & ponet Ninive in ſolitudinem.* Zophonias χρηματισμὸς habuit Regis Joſiæ temporibus, ut ex primis verbis libri ipſius videre licet. Atqve tum adhuc futurum erat, ut ex ipſius verbis apparet, ut Ninus, primaria Aſſyriorum urbs, exſcinderetur. Porro Jeremias, qvi Joſiæ, Jojakimi, ac Zedekiæ, Regum Judæ temporibus vixit, ac gentem ſuam docuit, in qvinqvageſimo capite v. 18. prædicit, Babylonios, qvi tum temporis plurimas regiones in ſuam ditionem redigebant, viſitatum iri, ut ſcripturæ phraſi utar, qvemadmodum viſitati ſint Aſsyrii. Ex his omnibus liqvet utiqve, Aſsyriorum regnum poſtremis Joſiæ annis adhuc perſtitiſse: neqve igitur à Babylonico fuiſse occupatum. Deinde & illud apparet, Ninum urbem exciſam fuiſse circa illa tempora. Feciſse id Cyaxarem Medorum Regem, unus Herodotus, luculentus ſcriptor, memoriæ prodidit. Recolamus ea, qvæ ſupra de Cyaxaris rebus geſtis diximus. *Medi*, inqvit, *Aſſyrios, exceptâ parte Babyloniæ, ſubegerunt*, Cyaxaris pura auſpiciis. De Nitocride Babyloniæ Reginâ narrat idem Herodotus librô primô, qvòd ea animadverteret, Medorum regnum ingens ac pacatum, ſubjectaqve ab his multa oppida, & inter hæc Ninum, præmuniviſse ſe omnibus, qvàm potuit, maximè. Ex qvibus verbis autor Indicis, qvi Herodoto, Henr. Stephani cu-

râ expreſſo, adjunctus eſt, neſcio qvâ incuriâ collegit, ipſam Nitocrin Ninum urbem ſubegiſſe, idqve in eo indice, voce *Nitocris* annotavit. Intelligi verò licet ex his poſterioribus idem illud, qvod paulo ante diximus, Aſſyriacum & Babylonicum regnum ſeparata fuiſſe.

XVI. Sed qvid illud ſibi vult, qvod Herodotus ſcribit, Cyaxarem ſubegiſſe Aſſyrios, πλὴν τῆς Βαβυλωνίης μοίρης, *exceptâ parte Babylonicâ*? An igitur Babylonia tum temporis in ditione Aſſyriorum Regis fuit, cùm Ninus urbs exſcinderetur? Et Nabuchodonoſorus, Rex Babyloniæ, non fuit ſui juris? is, qvem ſecundô regni ejus annô, Daniel appellavit Regem Regum? Nihil horum ita videtur ſe habere. Ut id oſtendamus, de tempore illo, qvô excidium Nini fuit factum, ante omnia diſpiciendum eſt ἀκριβέστερον. Ex Herodoto conſtare poteſt, Cyaxarem poſtremis regni ſui annis Ninum expugnâſſe. Regnavit is XL. annis. Adortus qvidem Aſſyrios fuit jam tum primis regni annis, ulciſci cupiens Phraortis parentis ſui cædem. Sed infuſi in ipſius terras fuerunt Scythæ, hiqve per XXVIII. annos in Aſiâ fuerunt dominati. Ut adeò Nini obſidio ſoluta, & omni illô tempore intermiſſa fuerit. Poſt delectos demum Scythas Cyaxares ad obſidionem fuit reverſus, & Ninum tandem expugnavit. Conſumpti fuerint in priori apparatu, atqve item in poſteriori ſeptem aut octo anni hiqve addantur annis XXVIII, qvibus Scythæ dominati fuerunt, qvibusqve obſidio fuit impedita. Atqve ita attingemus trigeſimum qvintum aut trigeſi-

geſimum ſextum Cyaxaris annum. Porrò trigeſimus ſextus annus Cyaxaris eſt annus 4115. periodi Julianæ: & mundi conditi 3351. Cum eodem verò connectendus eſt ſecundus annus Zedekiæ, poſtremi Judæorum Regis. Iſtô igitur annô, qvô Aſſyriacum regnum à Medico tandem everſum fuit, Rex Babyloniæ fuit Nabuchodonoſorus, hujusqve jam agebatur decimus aut undecimus annus. Nam qvartus Jojakimi connectitur cum primo Nabuchodonoſori Jer. XXV, 1. Nabuchodonoſorus jam tum illô ipſô tempore Regem Jojakimum Ægypti Regis exemerat poteſtate, & in ſuam redegerat, id qvod liqvere poteſt, ſi c. XXIV. libri primi Regum, & Danielis primum conferantur. Fecerat jam tum Nabuchodonoſorus, qvod in dicto XXIV. capite v. 7. legimus: *Tulerat Rex Babylonis à rivo Ægypti usqve ad fluvium Euphratem omnia, qvæ fuerant Regis Ægypti.* Satis nunc ex his, puto, intelligitur, tum, cùm Aſſyrios debellârunt, & Ninum expugnârunt Medi, jam ſatis diu dominatum fuiſſe Babyloniæ Regem Nabuchodonoſorum, & ſummâ uſum poteſtate. Qvod igitur Herodotus ſcripſit, Aſſyrios devictos fuiſſe à Medis, *exceptâ parte Babyloniæ*, ex eo nos colligamus, fuiſſe utiqve Babyloniam ante illa tempora in Aſſyriorum Regis ditione: regemqve Babyloniorum, qvi κατὰ νόμον eſſe debuit, uſum tandem fuiſſe ſummâ poteſtate, & Aſſyriorum imperium detrectâſſe, qvæqve bello acqviſivit, non Aſſyriis, ſed ſibi acqviſiviſſe. In primo libro Herodoti habentur & alia, ex qvibus idem illud

poſſis colligere. Narrat nimirum de Cyro, cùm hic Medos ſubegiſſet, Aſſyriis bellum intuliſſe: Aſſyriæ autem munitiſſimum oppidum fuiſſe Babylonem, ubi poſt everſam ab iſtis Ninum regia fuerit. Ipſa Herodoti verba ſunt iſta: Τῆς δὲ Ἀσσυρίης ἐστὶ μέν κου καὶ ἄλλα πολίσματα μεγάλα πολλά. τὸ δὲ ὀνομαστότατον, καὶ ἰσχυρότατον, καὶ ἔνθα σφι Νίνου ἀναστάτου γενομένης τὰ βασιλήϊα κατεστήκεε, ἦν Βαβυλών. His verò valde conſentaneum eſt illud, qvod ſupra ex ſacris literis colligebamus, temporibus Manaſſis, Joſiæ avi, Babyloniam in ditione fuiſſe Aſſyriorum Regis, ejus, qvi Manaſſem deportavit. Cùm igitur id nos animadvertiſſemus, maluimus ſupra cum Clariſſimis Viris, H. Conringio, & G. Hornio ſtatuere, Babyloniæ Regem fuiſſe κατὰ νόμον, qvàm cum aliis, Viris itidem clariſſimis, Babyloniæ modò partem aliqvam fuiſſe in ditione regis Aſſyriorum; aliam verò ejus partem ſummâ poteſtate tenuiſſe Babyloniæ regem. Ceterùm noſtram ſententiam illud qvoqve valet probabilem reddere, qvòd temporibus Manaſſis in Babyloniâ interregnum fuit complurium annorum, octo puta, ut ex Canone Mathematico, cujus ſupra mentionem fecimus, intelligi licet.

XVII. Herodoti narratio, ut intelleximus, ſacris literis ſatis eſt conſentanea, eáſqve non parum illuſtrat. Diſpiciamus etiam, qvomodo Cteſiæ Cnidii narratio, qvam Diodorus Siculus ex ipſius Perſicis expreſſit, & in Bibliothecæ ſuæ libro II. aſſervavit, ſeſe habeat. Excerpta

ex

ex Cteſiæ Perſicis congeſſit etiam in μυριόβιβλον ſuum Photius. Ex qvibus apparet, quod ipſe Photius dicit, Cteſiam fere in omnibus Herodoto repugnantia de Aſiæ dynaſtiis narrâſſe. Non autem obtinuit omnino Cteſias, qvod voluit, ut plus fidei ipſius narrationibus, quàm Herodoti à doctis fuerit adhibitum. Extiterunt viri κριτικοὶ, qvi Cteſiam judicârunt in plurimis ψεύδεσθαι, καὶ μυθολογεῖν. Qvod ad Aſſyriorum, & Medorum res attinet, narravit Cteſias de illis talia, regnum Aſſyriorum durâſſe à Nino uſqve ad Sardanapali interitum M IↃC LX annos: victô Sardanapalô, & prorſus everſô Aſſyriorum regnô, Medos imperiô Aſiæ potitos fuiſſe duce Arbace, huncqve regnaſſe XXVIII. annis: Arbaci ſucceſſiſſe ejus filium Mandaucem, huncqve regnâſſe L. annis: Poſt Mandaucen XXX. annis regnâſſe Soſarmum: L. annis Artycam: XXII. Arbianem: XL. Arſæum: XXII. Artynem: XL. Artibarnam: poſtremum Medos regnâſſe Apandam, eum, qvem Cyrus vicerit. Hæc eſt illa Cteſiæ Cnidii narratio, de Medorum & Aſſyriorum rebus, qvam Diodorus Siculus nobis aſſervavit. Herodotus Halicarnaſſenſis autor eſt, à Medorum ab Aſſyriis defectione ad primum annum Cyri fluxiſſe annos CLVI. ut ſupra diximus. Reges, qui per ea tempora Medos regnârint, fuiſſe qvatuor, qvibus nomina fuerint, Dejoci, Phraorti, Cyaxari, Aſtyagi. Primis tamen poſt defectionem annis democraticâ reipublicæ formâ fuiſſe uſos. Aſſyriorum item imperium per illam defectionem non prorſus fuiſſe everſum, ſed multos poſt

illa annos adhuc durâſſe. Perſtitiſſe autem illud Aſſyriorum imperium ante Medorum defectionem ɪↄxx. annis. Cteſias Cnidius narravit itidem, Medos ab Aſſyriis defeciſſe. Sed ante illam defectionem Aſſyriorum imperium durâſſe Mɪↄc LX annos, devolutum inde à Nino ad Sardanapalum. Medos non modò defeciſſe; ſed omne Aſſyriorum imperium evertiſſe: idqve duce Arbace, qvi, cum Sardanapalus ſe in pyram immiſiſſet, Rex fuerit appellatus, ac Babyloniæ præfecerit Beleſim. Poſt Arbacem illum Medorum reges fuiſſe Mandaucem, Soſarmum, Artycam, Arbianem, Arſæum, Artynem, Artibarnam, Apandam, hoſqve regnâſſe CCC. & ampliùs annis, ad Cyri uſqve tempora.

XXVII. Conati ſunt Viri docti ex diſcrepantibus illis Herodoti, & Cteſiæ nonnulla conciliare. Dixerunt igitur, qvatuor poſtremos illorum regum, qvos Cteſias memoravit, Arſæum puta, Artynem, Artibarnam, Apandam eſſe eoſdem qvos Herodotus memoravit. Arſæum igitur eſſe Dejocem Herodoti: Artynem eſſe Herodoti Phraortem: Artibarnam eſſe ejuſdem Cyaxarem: Apandam deniqve eſſe Aſtyagem. Conatum virorum doctiſſimorum nos qvidem non culpabimus. Profitemur tamen, nobis iſta parum placere, nec veriſimile fieri, utrámqve narrationem illorum, qvos diximus, hiſtoricorum unà poſſe conſiſtere: videri autem alterutri hiſtoricorum omnino fidem oportere derogari. Qvid verò attinet iſtiuſmodi collationem inſtituere, ubi videmus tot eſſe ἀσύμφωνα? Primò

omnia

omnia ad unum regum nomina, qvæ Cteſias habet, diverſa ſunt ab illis, qvæ habet Herodotus. Deinde nec anni, qvi regibus tribuuntur ab hiſtoricorum pari, ſatis congruunt. Arſæus Cteſiæ regnavit XL. annos. Dejoces Herodoti, qvem cum Arſæo conferunt, regnavit LIII. Apandas Cteſiæ qvot annis regnarit, parum liqvet: ſiqvidem Diodoro Siculo id non eſt memoratum. Aſtyages Herodoti, qvem dicunt Apandam Cteſiæ eſſe, regnavit XXXV. annos. Qvàm bellè verò intervalla conveniunt, qvæ à Medica defectione ad Cyri tempora hiſtoricorum par memorat! Herodotus numerat CLVI. annos, Cteſias CCCXXII. ſiqvidem credere licet, ultimo iſtorum, qvos Cteſias memoravit, tribuendos eſſe XL. annos. Sanè Scaliger Helvicus, & alii ſic voluerunt. Ante Arſæum Cteſias memoravit complures alios, qvi regnum Medorum inde à defectionis Medicæ temporibus obtinuerint, Arbacem puta, Mandaucem, Soſarmum, Artycam. Dejoces autem Herodoti, qvem dicunt Arſæum Cteſiæ eſſe, ex mente Herodoti primus Medorum Rex fuit.

XIX. Ne intervalla iſta, qvæ diximus ab Hiſtoricis memorari, nimium diſcrepare videantur, Diodorum credo, ubi Herodoti narrationem exponit, ſcribere voluiſſe, poſt Medorum defectionem ἐπὶ πολλὰς γενεὰς *per multas ætates* nullum fuiſſe regem, qvi Medis imperârit: tandem verò poſt multos annos ſtatutum fuiſſe regem, nomine Cyaxarem. Leguntur iſta in ſecundo libro ipſius Bibliothecæ. Ipſa qvidem Diodori verba, ut ea vertit Laur. Rhodomannus,

nus, hæc ſunt: *Herodotus Aſſyrios, cùm* 13 *annis Aſiæ imperium anteà tenuiſſent*, κατὰ Μήδων καταλυθῆναι *à Medis ſubactos eſſe tradit. Hinc* ἐπὶ πολλὰς γενεὰς *per multas ætates, nullum fuiſſe Regem, qvi ſummum imperium ſibi vendicâſſet, civitatemqve ſuô qvamqve locô populari ſub adminiſtratione ſe continuiſſe. Tandem* ὑπὸ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων *poſt multorum annorum decurſum Cyaxares, ait, Vir juſtitiâ inſignis à Medis ad regnum evectus fuit.* At verò non ſcripſit ſingula iſta Herodotus. Non, inqvam, illud ſcripſit, poſt Medorum defectionem ἐπὶ πολλὰς γενεὰς *per multas ætates* nullum fuiſſe Medorum regem. Tantùm verò hoc ſcripſit, Medos, cùm defeciſſent, principiô liberos fuiſſe: deinde αὖτις ἐς τυραννίδας περιεληλυθέναι, *rurſus imperio regio factos fuiſſe obnoxios*, dum nimirum regem appellarunt Dejocem. Qvantô tempore liberi fuerint, id poteſt intelligi ex contentione annorum, qvos regibus Medorum Herodotus ſeparatim tribuit, & ſummæ illius, qvam ex annis, qvi inde à defectionis tempore uſqve ad Cyri imperium fluxerunt, ipſe collegit. Fuit autem illud tempus ſex fere annorum, ut jam ſupra eſt dictum. Qvòd, dum Herodoti narrationem exponit Diodorus, primo Medorum regi ſcribit fuiſſe nomen Cyaxari, id videtur eſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα. Liqvet ex eo, qvòd idem illud nomen repetiit in iis, qvæ paulò antè poſita mox ſeqvuntur. Verba illa ita habent: *Secundô decimæ ſeptimæ Olympiadis annô, ut Herodotus tradit, Rex à Medis Cyaxares eve-*

Digitized by Google

ctus eſt. Mirum autem eſt, Joſephum Scaligerum in Canonibus Iſag. pag. 314. ſcribere, in his poſterioribus mutandum eſſe Olympiadis numerum, & reſcribendum, λζ Ὀλυμπιάδος XXXVII. *Olympiadis.* Sanè numerus iſte non malè habet, modò Cyaxarem, qvi hîc memoratur, credamus, non tertium Medorum regem, Dejocis nepotem, ſed primum eſſe, ipſum nimirum Dejocem. Indigitari autem à Diodoro primum Medorum regem, ex verbis ejus clariſſimè apparet. Qvòd deniqve Diodorus memorat, Aſſyrios ex mente Herodoti καταλυθῆναι *ſubactos eſſe* à Medis, id itidem minus rectè ſe habet. Herodotus tantùm illud ſcripſit, Medos ἀπώσασθαι τὴν δουλωσύνην, καὶ ἠλευθερῶσθαι, *excuſſiſſe jugum, & liberos eſſe factos:* multis demum poſt defectionem annis, temporibus puta Cyaxaris, Phraortis filii, Dejocis nepotis, regnum Aſſyriorum evertiſſe.

XX. Mira res eſt, Diodorum Siculum, cordatum ſcriptorem, dum Herodoti narrationem exprimere voluit, non uno modô eſſe hallucinatum. Idem ferè animadvertimus feciſſe Dionyſium qvoqve Halicarnaſſenſem, & ipſum cordatum ſcriptorem. Hujus in libro I. antiq. Rom. ſunt iſta verba: ἡ μὲν γὰρ Ἀσσυρίων ἀρχὴ παλαιά τις οὖσα, καὶ εἰς τοὺς μυθικοὺς ἀναγομένη χρόνους, ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους. ἡ δὲ Μηδικὴ καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων, καὶ μείζονα δυναστείαν περιβαλομένη, χρόνον οὐ πολὺν κατέσχεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς,

νεᾶς, *Antiqvum illud Aſſyriorum imperium retrò ad fabuloſa uſqve pertingens tempora, modicam qvandam Aſiæ partem obtinuit. Deinde in Medos tranſlatum, & auctum etiam opibus, non longô duravit tempore ſed in qvarta ætate deſiit.* Quod de μυθικοῖς χρόνοις Dionyſius ſcribit, eô ipſô videtur notare voluiſſe iſta, qvæ de imperio Aſſyriaco Cteſiæ narrata ſunt. Qvod autem ſcribit, poſtqvam Aſſyriorum imperium ad Medos tranſlatum fuit, everſum illud fuiſſe ἐπὶ τῆς τετάρτης γενεᾶς *in qvarta generatione*, ex eo videmur nobis intelligere poſſe, ipſum voluiſſe Herodotum ſeqvi. Qvippe Herodotus is eſt, qvi memoriæ prodidit, Medos qvatuor regnatos fuiſſe regibus, ex Medica gente oriundis, Dejoci puta, Phraorti, Cyaxari, & Aſtyagi. Quod autem idem Dionyſius ſcripſit, τὴν Μηδικὴν ἀρχὴν καθῃρηκέναι τὴν τῶν Ἀσσυρίων, *Medicum regnum evertiſſe Aſſyriacum*, id non videtur ex mente Herodoti eſſe dictum. Hîc enim ut jam monuimus, tantùm iſta narravit, Medos defeciſſe ab Aſſyriis, excuſſiſſe jugum, & in libertatem ſe vindicaſſe: poſt autem benè multis annis Aſſyriacum imperium perſtitiſſe.

XXI. Sed nec illud ex mente Herodoti videtur dictum à Dionyſio, Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὀλίγου τινὸς κεκρατηκέναι τῆς Ἀσίας μέρους, *Aſſyriacum regnum modicam qvandam Aſiæ partem obtinuiſſe.* Herodotus ſcripſit, Aſſyrios IↃXX annis ἄρξαι τῆς ἄνω Ἀσίης, *dominatos fuiſſe ſuperiori Aſiæ*, anteqvàm Medi ab ipſis deficerent: primos ab ipſis defeciſſe Medos: idem feciſſe & alias

alias gentes: nihilominus tamen Aſſyrios poſtea ἑωυτῶν εὖ ἠκούσας γεγονέναι, *per ſe ſatis benè habuiſſe.* His, niſi valdè fallimur, oſtendere voluit ſummus hiſtoricorum, regnum Aſſyriorum ampliſſimum fuiſſe. Ἡ ἄνω Ἀσιη, qvam vocat Herodotus, videtur omnino complecti complures provincias. Ubi ipſe narrat de Aſtyage à Cyro debellato, ſcribit Medos ἠρχέναι τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης, *Imperium Aſiæ, quæ eſt ſuper Halyn fluvium obtinuiſſe CXXVIII. annis.* Notum autem eſt, in Medorum ditione ante Cyri tempora fuiſſe Perſas, Aſſyrios, alioſqve. Qvam in his poſterioribus vocat τὴν ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίην, illam in prioribus vocat τὴν ἄνω Ἀσίην, *ſuperiorem Aſiam.* Halys fluvius in Cappadocibus ortus, Galatas pervadit, ac in his qvoqve ejus ſunt ἐκβολαί, qvibus in Pontum Euxinum ſe exonerat. Qvicqvid cis eum fuit Aſiæ, id ferè omne in Lydorum regum ditione fuit, horúmqve imperium Haly fluviô fuit terminatum. Notum eſt oraculum de conditione Crœſi, ultimi Lydorum Regis, qvæ futura eſſet, ſi ipſe iſtum fluvium cum exercitu ſuperaret, iſtuc nimirum, Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς πολλὴν ἀρχὴν διαλύσει. Expertis qvoqve verbis Herodotus Halyn imperii Lydici terminum poſuit in l. primo. Κροῖσος, inqvit, τύραννος ἐθνέων τῶν ἐντὸς Ἅλυος. Et rurſus: κατεστραμμένων σχεδὸν πάντων τῶν ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ οἰκημένων. Porrò regiones, qvæ ſunt ultra Halyn, Herodotus ſcribit, primò Aſſyriis regibus, poſtea

vero

verò Medis ſubjectas fuiſſe: Aſſyriis qvidem, anteqvàm Medi ab ipſis deficerent; Medis autem cùm hi jam defeciſſent.

XXII. Et ſanè, ſi Herodoti narrationem cum ea, qvæ in ſacris literis, compoſuerimus; rectè id ſe habere animadvertemus; Aſſyrios, anteqvàm Medi ab ipſis defecerunt, imperium obtinuiſſe τῆς ἄνω Ἀσίης, ἢ τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης, *ſuperioris Aſiæ*, ſive *Aſiæ, quæ eſt ultra Halyn fluvium*, hoc eſt, plurimarum, & ampliſſimarum provinciarum. Diximus Medos defeciſſe tum, cùm Sennacheribus Aſſyriorum Rex interemptus eſſet. Jam expendi velim, qvæ de Sannacheribi conditione nobis nota ſunt ex ſacris literis. In his legimus, Rabſacem Sannacharibi purpuratum, cùm ad portas Hieroſolymorum eſſet, nomine Sannacharibi pronunciâſſe iſta: *Qvinam illi ſunt in univerſis Diis terrarum, qvi eruerunt regionem ſuam de manu meâ, ut poſſit eruere* DOMINUS *Jeruſalem de manu meâ.* Ipſum qvoqve Hiſkiam in eundem ſenſum hæc dixiſſe: *Verè* DOMINE, *diſſipaverunt Reges Aſſyriorum gentes, & terras earum.* Prophetam deniqve Eſaiam c. X. 8. notum eſt hæc ſcripſiſſe: *Dicit Aſſur*, חלא שרי יחדו מלכים *nunqvid non principes mei ſimul reges ſunt?* Sed dicat qvis, ipſum Herodotum videri non ſatis ὁμολογούμενα ſcripſiſſe, cùm ſcripſit, Medos per CXVIII. annos obtinuiſſe imperium ſuperioris Aſiæ, qvæ tam latè, ut diximus, patuerit, & plurimas regiones fuerit complexa. Conſtare enim; annos iſtos numerandos eſſe ab illo tem-

pore, qvô Medi ab Aſſyriis defecerunt: plurimis autem illorum annorum, hoc eſt, ſex ἀβασιλεύτοις, & LIII. qvibus Dejoces regnavit, Medos ſibi vixiſſe, aliaſqve gentes non laceſſiviſſe, aut bellô appetiviſſe. Ei, qvi talia objecerit, reſpondebimus, non omnia hiſtoricorum ad vivum eſſe reſecanda: & multa παχυλῶς eſſe dicta. Fuerunt imperii Medici certi qvidam gradus, & incrementa. Primò qvidem ſibi vixerunt. Poſt ſubegerunt Perſas, aliáſqve gentes. Tandem Aſſyrios qvoqve in ſuam poteſtatem redegerunt. Hæc omnia ſummo hiſtoricorum libuit uno intervallô comprehendere, dicereqve, Medos imperium Aſiæ ſuperioris obtinuiſſe CXVIII. annis. Sunt & in aliis ſcriptoribus id genus nonnulla.

XXIII. Diximus ſuprà, inter Diodori circa Herodoti narrationem exprimendam παροράματα etiam illud eſſe, qvòd Medos, cum hi ab Aſſyriis defeciſſent, ἐπὶ πολλὰς γενεὰς, *per multas ætates* nullis regnatos fuiſſe regibus narravit. Iſti geminum deprehendimus in Il. Scaligeri libello, in qvem fragmenta qvædam veterum ipſe compegit, & ad eadem fragmenta notas. Paginâ XLII. iſtius libelli hæc leguntur: *Scribit* (Herodotus) *poſtqvam Aſſyrii qvingentos viginti annos rerum in ſuperiore Aſiâ potiti eſſent, tandem Medos ab illis defeciſſe, & cum αὐτονομούμενοι per aliqvot ſecula vixiſſent, tandem incidiſſe in laqveos Dejocis, viri vaferrimi, qui primus tyrannidem Medorum invaſit.* His ſuperſtruit deinde vir ſummus mirabilem emendationem qvorundam

Hero-

Herodoti verborum, qvibus his narrat, γενεῇσι πέντε πρότερον γενέσθαι Σεμίραμιν τῆς Νιτώκριδος, *qvinqve ætatibus Semiramin priorem fuiſſe Nitocride.* Pro πέντε vir ſummus reponendum putavit πεντήκοντα. Ut ita Herodotus narrârit, 1666. ampliùs annos inter iſtarum reginarum ætates fuiſſe. Tres enim γενεὰς idem Herodotus centum annis expreſsè definivit in Euterpe. Γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, inqvit, ἑκατὸν ἔτεά ἐςί. Ita fieret, ut Herodoti narratio de Semiramidis ætate cum putidis Cteſiæ mendaciis non malè congrueret, ex qvibus qvippe, ut Diodorus ea expreſſit, totidem ferè annos à Nini Semiramidiſqve temporibus uſqve ad Nitocridis ætatem fluxiſſe intelligimus.

XXIV. Exponemus etiam, qvâ ratione emendationem iſtam verbis paulò antè productis ſuperſtruat. *En*, inqvit, 520. *annos Aſſyriorum*, (qvibus hos antè Medorum defectionem rerum potitos fuiſſe, Herodotus autor eſt) *& longum tempus* αὐτονομίας *Medorum*, (qvod inde à tempore, qvô ipſi ab Aſſyriis defecerunt, uſqve ad primi ipſorum Regis Dejocis initium fluxerit) *& præterea tempus tyrannidis Dejocis, Phraortis, Cyaxaris, Aſtyagis. Hoc tempus excedit* πέντε γενεὰς, *hoc eſt*, 170. *annos.* In præcedentibus Nitocrin fecerat σύγχρονον Medorum Regi Cyaxari, qvod ſatis rectè ſe habet. Verum utiqve eſt, intervalla iſta, qvæ conſtituit ſummus Chronologus, excedere πέντε γενεὰς, qvibus Semiramin Nitocride priorem fuiſſe, ex

vulgatis

vulgatis Herodoti codicibus ſcimus. Primum intervallum eſt Iↄ XX. annorum. Tertium confici debet ex annis Dejocis, Phraortis, & Cyaxaris. Faciamus id LXXX. annorum. Et ſic habebimus ſummam Iↄc. annorum. Ut autem ſumma fiat 1666. annorum, addendum fuerit intervallum 1066. annorum. Hoc igitur eſt longum illud tempus, qvod inter Medorum defectionem, & primi Medorum Regis initium fuit, ſi qvidem Scaligero eſt credendum. Porrò non hoc tantùm concedi neceſſe eſt Ill. Scaligero, quòd jam diximus, ſed illud qvoqve, Semiramin ex mente Herodoti vixiſſe ante tria iſta intervalla, atqve adeò etiam ante intervallum Iↄ XX annorum, qvibus Aſſyriorum regnum jam perſtiterat, cùm Medi ab eo deficerent. Μεγάλα λίαν αἰτήματα.

XXV. Nos, ut anteà diximus, Herodoti narrationem de regibus Medorum cum illâ, qvam Diodorus ex Cteſiâ expreſſit, à Chronologis perperam conferri: ita hîc qvoqve oſtendere poſſumus qvàm facillimè, illum magni Scaligeri conatum, qvem dixi, eſſe ſupervacuum. Falſum id eſt, qvod Scaliger vult, Medos, cùm ab Aſſyriis defeciſſent, per aliqvot ſecula nullis regnatos fuiſſe regibus. Vel nihil nos intelligimus, vel id, qvod nunc dicimus, eſt verum. Herodotus nihil ampliùs narravit, qvàm Medos, cùm ab Aſſyriis hi defeciſſent, principiô liberos fuiſſe: mox verò regio jugo rurſus ſubjectos. Imò habet ſummus hiſtoricorum, qvæ Diodori, & Scaligeri conjecturam planiſſimè repellunt. Narrat enim, Medos in Perſarum poteſtatem

 fuiſſe

fuiſſe redactos, cùm ſuperiorem Aſiam CXVIII. annis, (ſi qvidem XVIII. anni, qvibus Scythæ dominati fuerunt, non annumerentur,) obtinuiſſent. Si autem dictos qvoqve XVIII. annos annumerare velis, Medi imperium per ſuperiorem Aſiam obtinuerint CLVI annis: qvod ipſum illud intervallum annorum eſt, qvod inter Medorum defectionem, & Perſici regni initium fuit. Idem ferè intervallum fit, ſi annos iſtos, qvos qvatuor Medorum Regibus Herodotus tribuit, in unam ſummam colligamus. Unde igitur exſculpet qvis aliqvot ſecula decem puta, & ampliùs, qvæ inter Medorum defectionem & Cyri initium fuerint? Nobis qvidem perſvaſiſſimum eſt, ſex modò annos interceſſiſſe, id qvod ſuprà clariſſimè demonſtravimus. Sed nec id concedimus, Semiramin ex mente Herodoti vixiſſe ante I) XX. iſtos annos, qvibus regnum Aſſyriacum perſtitiſſe Herodotus narravit, anteqvàm Medi ab eo deficerent. Mera id hariolatio eſt: nec ullô argumentô ex Herodoto poteſt oſtendi. Habet in loco ſuprà allegato Ill. Scaliger plurima alia in qvæ animadverſiones fieri qveant. Nobis autem eas inſtituere in præſentiâ non eſt commodum. Promemus tamen ex illô locô veriſſimum Scaligeri judicium de Cteſiâ, cum cujus putidis mendaciis Herodoti narrationem conferre ipſe conatus eſt. *Ineptus Græculus*, inqvit, *modò Herodoto adverſetur, qvid dicat, penſi nihil habet.* Et rurſus: *Multa à Cteſiâ, & humanitùs peccata, & conſultò per* ζηλοτυπίαν *in Herodotum malignè mentita, etiam ex iis, qvas Photius nobis*

bis reliqvit, parietinis, manifeſtò odorari poſſumus.

XXVI. Diximus ſuprà, non poſſe Herodotum cum Cteſiâ conciliari, & alterutri illorum omnino fidem eſſe derogandam. Expoſuimus etiam, qvid cauſæ ſit, qvamobrem non poſſint conciliari, & conatum tum Diodori, tum Scaligeri, & aliorum irritum eſſe demonſtravimus. Nunc porrò conſiderabimus qvippiam aliud, qvod eâdem fini, qvâ altera illa, excogitatum eſſe credimus, illud puta de regibus Aſſyriorum, qvi ante Dejocis principatum fuerunt, Phule, Tiglathpilaſare, Sargone, Salmanaſare, Sennacheribo, & Aſarhaddone. Dejocem Herodoti ex illis, qvæ ſupra diſſeruimus, intelligi licet, regnum ſuum exorſum fuiſſe ſex fere annis poſt cladem, ac cædem Sennacheribi: & σύγχρονον fuiſſe Aſarhaddoni, ei, qvi Sennacheribo ſucceſſit, ſi qvidem hic imperium per aliqvot annos tractavit. Illi, qvi Herodotum cum Cteſiâ conciliandum putarunt, dixerunt, Dejocem iſtum eſſe illum Medorum Regem, qvi Cteſiæ Arſæus appellatur. Qvod ſi verum eſt, anteceſſerunt Dejocem iſti Medorum reges, ab Herodoto qvidem non memorati, Arbaces, Mandauces, Soſarmus, Artycas, Arbianes. Et his tributi ſunt à Cteſiâ CLXXX. anni. Neceſſe igitur eſt, pleroſqve eorum, regnâſſe iisdem temporibus, qvibus regnârunt Aſſyriorum Reges, Phul, Tiglathpilaſarus, Sargon, Salmanaſſarus, Sennacheribus, Aſarhaddon. Ut autem hæc ſibi ὁμολογέμενα videantur, Chronologi decreverunt ita ſentire, Arbacem, qvi

Sardanapalum ultimum Aſſyriorum Regem ſecundùm Cteſiam debellavit, cum poſteris ſuis continuiſſe ſe intra Mediæ fines: habuiſſe autem eundem bellicarum operarum ſocium; Beleſim puta, cui ipſe Aſſyriam & Babyloniam ceſſerit, atqve, ut cujusdam illorum verbô utar, commendârit: hunc igitur Beleſim fuiſſe Aſſyriæ & Babyloniæ regem, & intervallô qvôdam interjectô eum ſecutos fuiſſe Reges Aſſyriorum, qvi in ſacris literis memorantur, Phulem, Tiglathpilaſarum, & ceteros.

XXVII. Verum enim verò minùs commodum eſt, ô boni, in iſtum modum ſentire. Sunt iſta menti Cteſiæ, qvem ſeqvimini, parum congrua. Narravit ipſe ut ex ſecundo Diodori intelligimus, Arbacem Medum in urbe Nino regem appellatum: omnium rerum poteſtatem fuiſſe penes ipſum: belli ſociis pro cujuſqve meritis ipſum dona dediſſe, & provinciarum præfectos ſtatuiſſe ſocios iſtos: Beleſi Babylonio præfecturam Babyloniæ fuiſſe demandatam, &, cum dolo qvodam Arbacem circumveniſſet, datam ipſi ab Arbace fuiſſe veniam. Sed ipſa Diodori verba adſcribere operæ fuerit pretium. Habent igitur ita: *Hoſtes auditâ regis* (Sardanapali) *morte urbem per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem ingreſſi, Arbacem regiâ ſtolâ indutum, regem appellârunt, omnium rerum poteſtate ipſi permiſſâ. Sumptô imperiô Arbaces, cùm ſociis pro cujuſqve meritis dona impenderet, provinciarum quoqve præſides pronunciavit. Babylonius Beleſis, qvi futurum imperium prædixerat, admonens promiſſorum præfecturam Babyloniæ*

niæ obtinuit. Paucis interjectis hæc ſeqvuntur: *Cum Beleſis factum confiteretur* (qvód magnam vim auri argentiqve doló abſportaſſet) *judices eum capite damnârunt. Rex* (Arbaces) *magni vir animi, volens regni principia humanitate ac clementiâ firmiora reddere, non ſolùm Beleſi pœnam remiſit, ſed & aſportatum aurum argentumqve condonans, præfecturam Babyloniæ à principio conceſſam habere juſſit.* Satis, puto, ex his Diodori intelligi licet, Arbacem & Beleſim uſos fuiſſe non æqvali poteſtate; ſed illum qvidem ſummâ, & ἀνυπευθύνῳ, hunc verò delegatâ modò. Neqve igitur dici debuit, Arbacem cum poſteris intra Mediæ terminos ſe continuiſſe & Aſſyriam, ac Babyloniam Beleſi ceſſiſſe. Qvæ Trogus Pompejus, & qvi hujus libros hiſtoriarum in epitomen redegit, Juſtinus, de Aſſyriorum & Medorum rebus narrârunt, ea ex iiſdem fontibus promanârunt ut facilè apparet, ex qvibus Diodori narratio. Non verò aliter Trogus Cteſiæ mentem cepit, qvàm Diodorus. Apparet ex eo, qvód tantùm narravit, Arbacem Regem appellatum: Beleſis autem non fecit mentionem. Juſtini hæc ſunt in libro primo: *Victus* (Sardanapalus) *in regiam ſe recepit, & extructâ pyrâ ſe & divitias in incendium mittit: hôc ſolô imitatus virum. Poſt hæc ſtatuitur Rex interfector ejus Arbaces, qvi præfectus Medorum fuerat Is imperium ab Aſſyriis ad Medos transfert.*

XXVIII. Vir amicus, qvi nuper eximiô opere Chronologicô clarus factus eſt, Herodoti cum Cteſiâ conciliandi adhuc aliam init viam.

Exiſtimat igitur, Arbacem, Mandaucem, Soſarmum, Artycam, Arbianem, Cteſiæ memoratos, non regiâ uſos fuiſſe poteſtate; ſed Medorum modò magiſtratus, & δικαςὰς fuiſſe: primum verò qvi à Medis conſtitutus Rex fuerit, fuiſſe Dejocem, eum, cujus Herodotus mentionem fecit, qvemqve ipſe unà cum aliis Arſæum Cteſiæ eſſe credit. Verum enimverò, ſi Cteſiam, qvem cum Herodoto conciliandum ſumpſit Vir amicus, non prorſus deſerere velit, non videtur commodè ita poſſe ſentire. Sanè ex iis, qvibus Diodorus mentem Cteſiæ expreſſit, intelligimus, Arbacem ſummâ uſum poteſtate: ejus qvoqve poſteros, ac ſucceſſores, Mandaucem puta, Soſarmum, & ceteros eâdem fuiſſe uſos, ac Medorum Reges fuiſſe. Si verô maximè ex mente Cteſiæ res ita ſe haberet, ut Vir amicus conjecturam fecit: tamen, ut cum Herodoto non diſcreparet Cteſias, μεγάλα λίαν αἰτήματα ampliùs neceſſe eſſet concedi, ea nimirum, qvæ ſuprà abunde refellimus, primùm qvidem inter Medorum defectionem, & Dejocis initium interceſſiſſe magnum temporis intervallum: deinde Dejocem Herodoti poſſe commodè putari Arſæum Cteſiæ eſſe.

XXIX. Atqve ita demonſtratum etiam eſt, qvàm ea, qvæ Cteſias Cnidius de Medorum ac Aſſyriorum rebus prodidit, diſcrepent cum illis, qvæ prodidit Herodotus, qvódqve nullâ ratione iſta cum iis qveant conciliari. Herodoti narrationem antè oſtenderamus ex ſacris literis multum accipere veriſimilitudinis, ac ipſis viciſſim multum lucis allucere. Defectio Medorum

dorum, ut Herodotus eam narrat, incidit in ea tempora, qvibus eam factam eſſe facile licet intelligi, cùm puta Sennacheribus inuſitatâ clade affectus, ac à ſuis interemptus eſſet: duo item ejus filii parricidæ, Adramelechus, & Sarazarus, qvos veriſimile eſt majores natu fuiſſe, relictô patriô regnô in Armeniam profugiſſent: patrium imperium autem tractare cœpiſſet alius filius, cui Aſarhaddoni nomen fuit. Habet & alia Herodotus, qvæ cum ſacris monumentis optimé congruunt, qvod puta de Sennacheribi clade prodidit: qvod item de tempore, qvô Ninus, primaria Aſſyriæ urbs everſa fuit: qvod Aſſyriæ & Babyloniæ regna conjuncta fuiſſe innuit, eâ tempeſtate, qvâ conjuncta fuiſſe ex ſacris literis intelligere poſſumus, & ſeparata, qvibus ſeparata fuiſſe itidem ſcimus: qvod de pugnâ Nechonis, Regis Ægypti, cum Syris prodidit: qvod item de Aprie alio Ægypti rege: qvod omnes Reges Ægypti Piromes dictos narravit: qvod de expugnatâ Babylone, cùm in eâ urbe feſti dies agitarentur: qvod de Cyri & Xerxis rebus: qvod deniqve de plurimis aliis. Cteſiæ narratio, qvoniam cum ſacris literis non perinde convenit, & cum Herodoti narratione neqvicqvam conciliata eſt à viris doctis, repudiemus eam. Moveat & illud, qvod de cetero Cteſiæ fides viris doctis omni ævô parùm integra eſt viſa. Qvid verò de nomine Sardanapali ſentiemus, qvem ab Arbace ſuperatum eſſe, ac in pyram ſe immiſiſſe Cteſias prodidit? Num & illud confictum credemus? Non videtur ita putandum. Prodidit & Herodotus, in Euterpe qvidem, extitiſſe olim Aſſyriæ Re-
 gem

gem, cui nomen fuerit Sardanapalo. De Sardanapali luxu & effœminato animo in Ariſtotele qvoqve, & Tullio reperimus. Sed ea ex Cteſia videntur hauſta eſſe. Ariſtoteles qvidem illis addit: *εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσι.* Qvia autem ſcire licet, nomen Sardanapali, qvem à Medis ſuperatum Cteſias prodidit, non eſſe confictum, & qvoqve ſatis certò ſcimus, tùm, cùm ex Herodoti mente Medorum defectio evenit, Regem Aſſyriorum fuiſſe Aſarhaddonem, qvi patri ſuo Sennacheribo ſucceſſit, credamus hunc Aſarhaddonem eſſe ipſum Sardanapalum. Crediderunt ita & alii, Genebrardus puta, Arias Montanus, Serarius, Conringius, & Hornius. Sanè nomina illa non multùm ſunt diverſa. Ita Cteſias nobis nomen prodiderit ejus Regis Aſſyriorum, à qvo Medi defecerunt: Herodotus autem verum tempus, qvô defectio evenit, demonſtraverit. Cteſiam de omnibus ferè ſcripſiſſe talia, qvæ Herodoti narrationibus adverſentur, judicavit olim Photius, cui ejus Perſica licuit legere. Si igitur decretum Cteſiæ fuit, Herodoto contradicere, ut aliud nomen poneret ejus Regis, à qvo Medi defecerunt, qvàm qvod revera ipſi fuit, cacoëthes illud non potuit efficere. Non ſcripſit Herodotus, qvodnam nomen fuerit iſti Aſſyriorum Regi, à qvo Medi defecerunt. Neqve igitur, qvod ad illud attinet, Herodoto contradicere potuit Cteſias. De tempore, qvô defectio evenit, itemqve de Medorum regibus, non pauca prodidit Herodotus. In his igitur pro ſolenni ſuo contradicere voluit. Atqve hæc de argumento, qvod tractare inſtitueramus, dicta nobis ſunto.

EXER-

EXERCITATIO ALTERA.

De ſeptuaginta Annis Captivitatis, & Vaſtitatis Hieroſolymitanæ.

Bis in ſacris literis determinati ſunt LXX anni, qvibus Hebræi, cùm à Nabuchodonoſoro Rege Babyloniæ in Babyloniam ipſi deportati eſſent, illic manere, nec in priſtinas ſedes remigrare debuerunt. Verba, qvibus id factum, ante omnia producemus. Leguntur ea in Jeremiæ capite XXV. v. 11. & XXX. v. 10. In priore qvidem hæc: *Et erit univerſa terra hæc* לחרבה לשמה *in ſolitudinem & ſtuporem, & ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis LXX annis.* In poſteriore autem iſta. *Cùm cœperint impleri in Babylone LXX anni viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum iſtum.* Ad illa verba Jeremiæ divinus Daniel animum impenſiùs attendit ſeptendecim annis antè, qvàm finirentur dicti LXX anni, annô nim. primô Darii Medi, qvem nos cum Scaligero credimus Nabonnedum Beroſi eſſe. Verba Danielis, qvibus ipſe de ſe narrat, ſunt in capite ejus nono omnium prima. *In anno primo Darii*, inqvit, *filii Aſſveri de ſemine Medorum, qvi imperavit* (Rex conſtitutus fuit) *ſuper regnum Chaldæorum, v. 2. annô unô* (prîmô)

regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de qvo factus eſt ſermo DOMINI *ad Jeremiam Prophetam* למלאות לחר בות ירושלם שבעים שנה *ut complerentur deſolationis Jeruſalem LXX anni.* Sed & in poſteriore Paralipoménων, cap. XXXVI. v. 20. & 21. mentio fit LXX annorum, qvos Jeremias determinaverat. Verba itidem producemus: *Si qvis evaſerat gladium, ductus in Babylonem ſervivit Regi* (Nabuchodonoſoro *& filiis ejus, donec imperaret Rex Perſarum:* למלאות דבר יהוה בפי ירמיהו עד רצתה הארץ את שבתותיה כל ימי השמה שבתה למלאות שבעים שנה ut compleretur ſermo DOMINI ex ore Jeremiæ, & (donec) *celebraret terra Sabbatha ſua*: (Luth commodè: biſz das Land an ſeinen Sabbathen gnug hatte) *Cunctis (enim) diebus deſolationis egit Sabbathum, uſqve dum complerentur LXX anni.*

II. Variè ſuper his LXX annis ab antiqvis, & his, qvi patrum noſtrorum, ac noſtrâ memoriâ vixerunt eſt diſputatum. Veterum qvidem ſententias licet intelligere ex qvibuſdam Euſebii verbis, qvæ leguntur in ejus χρονικῶν λόγῳ πρώτῳ, p. 41. ἰτέmqve in χρονικῷ κανόνι, p. 148. Συνάγεται δὲ ὁ πᾶς χρόνος τῆς αἰχμαλωσίας τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους ἔτη ο, ἀριθμούμενα κατὰ μέν τινας ἀπὸ γ ἔτους Ἰωακεὶμ, ἐπὶ κ ἔτος Κύρου τοῦ περσῶν βασιλέως. Κατὰ δὲ ἑτέρους ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς προφητείας Ἱερεμίου, ἐπὶ τὸ α ἔτος Κύρου ἔτη ο γίνεται, ὅπερ δοκεῖ πιθανὸν εἶναι. Τὸ δὲ ἀληθὲς τῆς ἐρημίας τοῦ ἱεροῦ ἡ ἑβδο-

μηκον

Digitized by Google

μηκονταετηρὶς ἀποπερατοῦται κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος Δαρείου, τοῦ περσῶν βασιλέως, ἀπὸ θ καὶ ι ἔτους Ναβουχοδονόσορ ἀρχομένη. Exponitur in his ex variorum ſententiâ triplex initium, & triplex item finis LXX annorum. Primum initium ſtatuitur in tertiô annô Jojakimi, Regis Juda: finis autem in vigeſimô annô Cyri. Alterum initium figitur in eo tempore, qvô Jeremias munus ſuum propheticum fuit exorſus, hoc eſt, in decimô tertiô annô Joſiæ: finis autem, qvi iſti initio reſpondet eſt in primô annô Cyri. Tertium initium eſt in decimô nonô annô Nabuchodonoſori: finis iſti initio reſpondens in ſecundô annô Darii Hyſtaſpis. Ex iſtis verò opinionibus præ ceteris Euſebio probata eſt poſtrema illa, qvâ initium ſtatuitur in Nabuchodonoſori decimô nonô annô, atqve adeò in illo tempore, qvô Hieroſolyma ſunt everſa, finis verò in ſecundô annô Darii Hyſtaſpis.

III. Superiore, & hôc præſente ſeculô de dictis initiis, ac finibus obtinuerunt præcipuè tres ſententiæ. Una eſt Joh. Funccii, & illorum, qvi ipſum ſeqvuntur, LXX annos, qvos Jeremias determinavit, cœpiſſe illô tempore, qvô Hieroſolyma, horúmqve auguſtiſſimum templum à Babyloniis exuſtum fuit: finem verò eorundem fuiſſe in vigeſimô primô annô Cyri. Congruit iſta ſententia, qvod ad initium qvidem LXX annorum, cum tertiâ earum, qvas Euſebius recenſet: qvod ad finem autem, cum earundem primâ. Altera ſententia eſt Matthæi Beroaldi, & eorum, qvi hunc ſeqvuntur, initium

tium LXX annorum eſſe in qvartô annô Jojakimi: finem autem eorundem cohærere cum initio LXX hebdomadum Danielis. Convenit hæc ſententia cum primâ illarum, qvas Euſebius recenſet, qvod qvidem ad initium attinet. Tertia ſententia eſt Joſephi Scaligeri, & eorum, qvi ipſum ſeqvuntur, initium LXX annorum captivitatis eſſe in illo tempore, qvô Jechonias deportatus fuit: finem verò in vigeſimô nonô annô Cyri, qvi etiam primus Cyri in ſacrâ ſcripturâ ex ipſorum mente dicitur.

IV. Recenſuimus in univerſum, ſex numerô opiniones de LXX annorum initio, ac fine. Tres earum veteres qvidam tenuerunt: tres item tenuerunt Chronologi qvidam, qvi ſuperiori ſeculô diſciplinas fecerunt. Poſtremam verò omnium, qvam Ill. Scaliger tenuit, noſtrâ, ac patrum memoriâ amplexi ſunt qvàm plurimi. Eam igitur primò omnium nos conſiderabimus. Credidit Ill. Scaliger, initium LXX annorum captivitatis fuiſſe in illo tempore, qvô Jechonias deportatus fuit: idqve exiſtimavit ex eo poſſe probari, qvod, cùm Jechonias in Babyloniam deportatus eſſet, Jeremias ad ipſum, & ceteros captivos ſcripſit iſtis verbis, qvæ ſunt in Jerem. XXIX. capite verſ. 10. *Cùm cœperint impleri in Babylone LXX anni, viſitabo vos*, &c. Qvòd autem ita crederet, neceſſe habuit finem LXX annorum referre ad vigeſimum nonum annum Cyri. Nam inter illud tempus, qvô Jechonias deportatus fuit, & vigeſimum nonum Cyri Regis Perſarum, interceſſiſſe ipſos LXX annos, liqvere ſatis poteſt, ſi profanam hiſto-

riam

riam cum ſacra conferamus. Fecit igitur illud in Animadverſionibus in Euſebium pag. 87. & in libro III. Canonum Iſag. p. 291. Conſtat verò etiam ex ſacris, Hebræos permiſſu Cyri in Palæſtinam remigrâſſe primô ejuſdem Regis annô. Legitur id in extremo libro II. Paralipp. v. 22. c. XXXVI. & principio libri Eſræ cap. I. v. 1. Si igitur verum eſt, finem LXX annorum eſſe in vigeſimô nonô Cyri, qvod Scaliger credidit, vigeſimus nonus Cyri in ſacris literis appellatus eſt primus ejuſdem Regis. Qvia verò hoc dubium alicui qveat eſſe, opus habuit Scaliger exponere, qvâ ratione vigeſimus nonus annus Cyri in ſacris primus dici poſſit videri. Et diſſeruit igitur in libro VI. de emend. temporum p. 576. his verbis: *Judæi eum annum Cyri primum dixerunt, qvi eſt primus ſolutæ captivitatis. Homines enim in patriam revertentes, unde primum tempora putarent, qvam ab eo anno, qvi princeps fuit eorum libertatis? Itáqve & Daniel, qvanqvam conſenuit in Babyloniâ, & Suſianâ: tamen eundem annum primum Cyri intelligit, qvem reliqvi Judæi.* Et paucis interjectis: *Qvare annus primus Cyri, ut vocat Scriptura, ita dictus, qvòd primus eſſet ſolutæ captivitatis, non qvòd primus imperii illius Regis magni.* Ex iſtis Scaligeri intelligimus, vigeſimum nonum Cyri primum ejus eſſe vocatum, non, qvòd primus eſſet poſt regnum aliqvod noviter acceptum, ſed qvòd primus eſſet poſt captivitatem ſolutam, ac conceſſam libertatem.

V. Nobis minus id conſentaneum videtur, verba divinorum ſcriptorum בשנת אחת לכורש

מלך פרס *in anno primo Cyri Regis Perſiæ*, aliter intelligi, qvàm de regni annô Sanè non alia ῥήσεως notio in totâ ſcripturâ obtinet. Deinde victoriam Cyri de Nabonido, ultimô Babyloniorum Rege non referet Ill. Scaliger ad vigeſimum nonum annum Cyri, ſed, niſi nos omnia fallunt, in vigeſimum ejus primum. Si igitur dictam victoriam refert ad annum Cyri XXI cogi poteſt, ut ad eundem captivitatis qvoqve referat ſolutionem Verba Jeremiæ de LXX annis in cap. XXV. v. 12. oppidò ſunt clara: והיה כמלאות שבעים שנה *Cùm impleti fuerint LXX anni, viſitabo ſuper regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit DOMINUS, iniqvitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum.* Intelligimus utiqve ex his, LXX annos, qvos Jeremias determinavit, antè debuiſſe effluere, qvàm Rex Babyloniæ viſitaretur, hoc eſt, à Perſis debellaretur. Anni aut dies dicuntur impleti eſſe, Hebræâ ῥήσει, ſi eorum finis adſit. Sic Ezech. V. capite v. 2: כמלאות ימי המצור *Cùm impleti fuerint dies obſidionis.* Sacri Scriptores N. T Hebræam ῥῆσιν in Græca Lingva exprimunt vocibus πληρωθῆναι, συμπληροῦσθαι καὶ πλησθῆναι. Exempla ſunt in his Luc. II. 21. ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτώ. πληρωθέντων ἐτῶν τεσσαράκοντα, πεφξαπος. VII. v. 30. Cùm igitur Rex Babyloniæ, Nabonidus nomine, ex ipſius Scaligeri mente annô XXI Cyri ſit victus, neceſſe habet Scaliger ad eundem annum Cyri, vel ei proximum captivitatis qvoqve referre ſolutio-

lutionem. Nam hæc procul dubio non aliqvot annis poſt LXX annorum finem, ſed brevi tempore poſt eundem facta fuit. Si autem pertendat Ill. Scaliger, & Regem Babyloniæ annô XXI Cyri victum eſſe, & finem LXX annorum in anno XXIX Cyri eſſe, orietur utiqve id abſurdi, Regem Babyloniæ VIII annis antè debellatum eſſe, qvàm ſecundùm Jeremiæ vaticinium debellari debuit.

VI. Voluit Ill. Scaliger oſtendere, qvâ ratione vigeſimus nonus Cyri, in qvô ipſe LXX annorum finem conſtituerat, in ſacris literis primus dici poſſit videri. Dixit igitur, eum annum Cyri ab Hebræis primum eſſe dictum, qvòd primus eſſet poſt ſolutam captivitatem. Nos contrà diximus, per ſe improbabile eſſe, annum primum alicuius Regis dici, qvi non ſit alicujus regni primus. Deinde oſtendimus, captivitatem neqvaqvam annô Cyri XXIX, ſed XXI ejuſdem, aut huic proximô eſſe ſolutam. Si igitur primus Cyri annus dicitur, qvi primus poſt ſolutam captivitatem eſt, fuerit vigeſimus ſecundus Cyri iſte primus. Non autem credamus, primum propterea dictum, qvòd primus fuerit poſt ſolutam captivitatem, ſed, qvod primus fuerit poſt occupatum novum regnum, Babylonicum purà. Sanè in ipſis annalibus Perſicis, qvi in tabulario, ſive archivo, aſſervabantur, annus iſte, qvi poſt devictum Regem Babyloniæ primus fuit, primus Cyri dictus fuit. Verba, qvæ in annalibus Perſicis fuerunt producit Eſras in cap. VI. verſ. 3. Habent verò ita: בשנת חדה לכורש מלכא כירש מלכא שם טעם בית אלהא בירושלם ביתא

ביתא יתבנא *Annô primô Cyri Regis, Cyrus Rex decrevit, ut domus* D E I *ædificaretur.* Gemina verba ſunt in reſponſo, qvod Hebræi Cuthæis, Thatnajo, & Starboſnajo dederunt. Leguntur ea in Eſræ qvinto capite, v. 12. & hæc ſunt: *Poſtqvàm ad iracundiam provocaverunt patres noſtri* D E U M *cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonoſori Regis Babylonis, Chaldæi: domum qvoqve hanc deſtruxit, & populum ejus tranſtulit in Babylonem. Annô autem primô Cyri* (ut) *Regis Babylonis, Cyrus Rex propoſuit edictum, ut domus* D E I *ædificaretur.* In prioribus verbis, qvin Cyri primus annus dicatur, qvi ejus, ut Regis Babyloniæ, primus fuit, non poteſt eſſe dubium. Qvis enim credet, ipſos Perſas, qvi utiqve annales iſtos compoſuerant, annum aliqvem Cyri dixiſſe primum aliâ de cauſâ, qvàm qvod primus eſſet poſt novum regnum occupatum? In poſterioribus qvoqve ſatis apparet, primum annum Cyri dici, qvi ejus, ut Regis Babyloniæ, primus fuit. Verbis iſtis, *annô autem primô Cyri, Regis Babylonis*, id utiqve dicere voluerunt, cùm Cyrus regnum Babylonicum occupâſſet, mox eum edidiſſe mandatum de templo Hieroſolymitano inſtaurando.

VII. Oſtendimus paulò antè, ſi Rex Babyloniæ putetur victus eſſe annô XXI Cyri, ſolutionem qvoqve captivitatis, & remigrationem Hebræorum in Palæſtinam neceſſe eſſe referri ad eundem annum, vel certè eum, qvi iſti proximus eſt. Nimirum duo iſta, victoria Cyri de Nabonido, & ſolutio captivitatis temporibus facta ſunt, inter qvæ non magnum interceſſit

inter-

intervallum. Graviſſimè igitur, hallucinatus eſt Vir doctiſſimus, Joh. Jac. Hainlinus, qvi paucos abhinc annos Chronologiam myſticam ſcripſit. Expugnationem Babylonis XVII annis is credit antè factam, qvàm captivitas ſoluta fuerit, & Hebræi in Palæſtinam remigrârint. Exiſtimat nimirum expeditionem contra Babyloniæ Regem ſuſceptam fuiſſe ſextô annô Cyri, ut Regis Perſidis, qvem qvidem annum ipſe alligat anno Mundi 3408. Solutionem autem captivitatis factam eſſe credit annô Mundi 3425. Legere illa licet in Elencho ejus Chronol. Script. pag. CXI. Qvin imò ſui haud benè memor Mœſtlino ſuſtinet adſtipulari, qvi tertiô annô Cyri, ut Perſiæ Regis, dictam expugnationem ſuſceptam eſſe putat, uti id videre eſt in pag. XLV. Ceterùm etiam mira rerum geſtarum disjectio eſt in iis, qvæ dictis ſunt proxima. Affirmare autor non dubitat, Babylonios antè debellatos fuiſſe à Cyro, qvàm ab eodem vinceretur Crœſus Lydiæ Rex. Nabonido, Babyloniæ Regi, qvem Cyrus regnô exuit, tribuit autor XXXIV annos, ſecundùm unam editionem Canonis Mathematici, qvàm valdè contaminatam judicârat Ill. Scaliger. Decimô ſeptimô annô regni ſui eundem Nabonidum ſtatuit à Cyrô eſſe victum: neqve eo ſeciùs alios XVII, qvi XXXIV compleant, tributos fuiſſe Nabonido, qvamvis hic κῦϱιον non ampliùs obtineret. Porrò in annô, qvô ſolutio captivitatis ſit facta, ipſum Cyrum ſibi novam æram conſtituiſſe. Valdè profectò credulus ſit, qvi talia credat. Exiſtimârunt οἱ ἀμφὶ Σκάλιγον, novum initium

 Cyri,

Cyri, ac novam epocham in anno, qvô ejus permiſſu Hebræi Palæſtinam repetierunt, conſtitutum fuiſſe ab Hebræis. At Hainlinus conjectat, ipſum Cyrum ſanxiſſe, ut XVII anni, qvi poſt expugnationem Babylonis à Cyro factam fluxerint, Nabonido veteri Babyloniæ Domino tribuerentur: primus autem ſuus diceretur, qvô permiſit, ut Hebræi in antiqvas ſedes remigrarent. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἀφείσθω, ληρώδη ὄντα. Legere licet, ſi qvis volet, in pagina XLVII. chronologiæ myſticæ.

VIII. Qvoniam finis LXX annorum non eſt in vigeſimô nonô, ſed in vigeſimô primô annô Cyri, neqve initium eorundem conſtitui poteſt in eo tempore, qvô Jechonias deportatus eſt, ut Ill. Scaliger volebat. Summovendum autem erit initium illud in anteriora tempora, in annum puta qvartum Jojakimi. Sed antè, qvàm qvid veriſſimum ſit, clariſſimè exponamus, examinabimus & Funccii, ac Beroaldi φροντίδας. Funccius qvidem exiſtimavit, initium LXX annorum fuiſſe in annô decimô nonô Nabuchodonoſori: finem verò in vigeſimô primô Cyri. Qvod de fine iſto ſtatuit, id nobis non diſplicere, ex iis, qvæ jam diximus, poteſt intelligi. Qvod verò ad initium attinet, id vehementer improbamus, tùm qvòd in aliô tempore putemus initium illud rectiùs poni, tùm qvòd à decimô nonô annô Nabuchodonoſori ad vigeſimum primum Cyri non putemus numerari poſſe LXX annos. Funccius qvidem numerare potuit, cùm credidit Nabuchodonoſorum, cujus in ſacris literis ſit mentio, eſſe

eum Regem, qvem Ptolemæus Nabopollaſſarum vocat. Sed qvâ ratione potuerit numerare tot annos, oſtendamus etiam. Cl. Ptolemæus ex eclipſium conſeqventiâ oſtendit, à qvintô annô Nabopollaſſari ad ſeptimum Cambyſis fluxiſſe XCVIII annos. Qvintus qvidem Nabopollaſſari ex mente Ptolemæi eſt æræ Nabonazarèæ annus 127. Decimus nonus igitur ejuſdem Regis eſt annus ejuſdem æræ 141. Porrò autem ſeptimus annus Cambyſis eſt ex ejuſdem Ptolemæi mente annus æræ Nabo. 225. Primus igitur Cambyſis eſt annus æræ Nab. 219. Et Cyri vigeſimus primus annus alligandus eſt annô ejuſdem æræ 209. Cùm igitur iſta obſervâſſet Funccius, ac ſatis rectè ſe habere judicâſſet, cogitavit ampliùs, Nabopollaſſarum Ptolemæi eſſe eum Rgem, qvi in ſacris literis Nebucadnezar appellatur. Et qvia hoc pro certò habuit, pronunciavit idem Funccius, decimum nonum Nabuchodonoſori, qvô templum Hieroſolymitanum exuſtum eſſe ſacris literis eſt proditum, eſſe æræ Nabonazaréæ 141. Si autem hæc ſatis rectè ſe haberent, parùm ſanè abeſſet, qvin à decimô nonô annô Nabuchodonoſori ad vigeſimum primum Cyri numerari poſſent LXX anni. Deducantur modò 141. anni æræ Nabonazaréæ, qvorum ultimus ex mente Funccii eſt Nabuchodonoſori decimus nonus, ab annis 209. ejuſdem æræ, qvorum ultimum intelleximus vigeſimum primum Cyri eſſe: atqve ita res apparebit.

IX. At verò non dubium nobis eſt, qvin Funccius in eô falſus ſit, qvòd Nabuchodono-

ſorum, qvi in ſacris memoratur, eundem eſſe credidit, qvem Ptolemæus Nabopollaſſarum vocat. Obſervatum eſt poſt Funccii ætatem, Nabopollaſſarum Ptolemæi eſſe eum Regem, qvi Nabuchodonoſorum anteceſſit, hujuſqve parens fuit. In eximio Beroſi fragmento, qvod Joſephus in primo contra Apionem aſſervavit, Nabuchodonoſori parens Ναβουλάσσαρος appellatur. Qvod nomen cum nomine Nabopollaſſari non malè convenit. Tantùm mediam compoſitionis partem apparet â Beroſo omiſſam eſſe. Qvàm variô compoſitionis modô Babylonii in fabricandis nominibus propriis fuerint uſi, id non poteſt eſſe incognitum, poſtqvàm elegantiſſimi Joſ. Scaligeri στοχασμοὶ eâ de re publicè proſtiterunt. Ναβοπολλασσάρου qvidem nomen compoſitum eſt ex tribus vocibus, נבו puta, פול & לאצר Prima vocula eſt nomen alicujus idoli Babylonici, ut videre eſt ex Eſ. c. XLVI. verſ. 1. Apparet ea in multis nominibus hominum Babyloniorum, in hoc noſtro puta, itémqve in nominibus Nabonazari, qvi primus Babyloniæ Rex fuit: Nabuchodonoſori, cujus auſpiciis urbs exuſta eſt: Nebuzaradani, Nabuchodonoſori purpurati, qvi ejus juſſu templum exuſſit: Nabonidi, qvi ultimus Babyloniæ Rex fuit. Solitos autem fuiſſe Babylonios, ex nominibus idolorum ſuorum fabricari nomina virorum, id ex eo liqvet, qvod Nabuchodonoſorus profitetur, ſe Danieli nomen indidiſſe Beltheſchazar juxta nomen idoli ſui, qvâ de re legere eſt in Dan. cap. IV. v. qvinto. Colligi etiam licet

licet ex eo, qvòd ex Jer. L. v. 2. ſcimus, Merodach eſſe nomen idoli Babylonici, atqve idem hoc nomen obſervamus in nominibus Mardokempadi, Meſeſſimordaci, & Evilmerodachi, Babyloniæ Regum. Altera vocula videtur ea eſſe, qvâ, ut nomine propriô, appellatus fuit Rex qvidam Aſſyriorum. Certè dialectis, ac θρησκείαις valdè cognatis uſos fuiſſe Babylonios & Aſſyrios, id omnino fit veroſimile. Primùm conſtat, Babylonios locutos fuiſſe ארמית dialectô Aramicâ. Eâdem verò & Aſſyrios fuiſſe uſos, conſtare poteſt ex eo, qvòd, cùm Rabſaces, Aſſyriorum Regis legatus, ad portas Hieroſolymorum eſſet, ac loqveretur יהודית Hebræâ dialectô, petitum ab ipſo fuit, ut loqveretur ארמית Aramicâ dialectô. Deinde ex II. Reg. XVII. v. 30. notum eſt, idoli, qvod nonnulli à Salmanaſſaro, Aſſyriorum Rege in vacuas Hebræorum ſedes deportati coluerunt, fuiſſe nomen נֵרְגַל *Nergal.* Hoc verò nomen eſt in nomine Nergalſarezeris, Regis Babyloniæ purpurati, cujus mentio fit Jer. XXXIX. v. 3. itémqve in nomine Νηριγλισσάρου, qvem Nabuchodonoſori generum fuiſſe, & interemptô Evilmerodachô, qvi parenti Nabochodonoſoro ſucceſſerat, imperium occupâſſe, ex aureis Beroſi & Megaſthenis fragmentis conſtare poteſt. Tertia compoſitionis pars eſt לְאצר *Lezar.* Ea permutata videtur fuiſſe cum nominibus ראצר *Rezar*, & נאצר *Nezar*, qvæ ſunt in nominibus Nebucadnezar & Nebucadrezar. Sic & pro

נבו dixerunt לבו, ut colligere licet ex nominibus Λαβύνιτος, & Λαβοροσοάρχοδος, qvæ Regum qvorundam Babyloniæ fuerunt. Sed Ptolemæus vocat Ναβοπολλάσσαρον per duplex σῖγμα. Babylonica autem vox eſt לאצר *Lezar*. Hic cogitare licet, pro צ poſitum eſſe duplex illud σῖγμα. Scimus ſimile exemplum in nomine primi Regis Babyloniæ. Huic nomen fuiſſe Ναβοναζάρου Cenſorinus prodidit, ubi de ærâ Nabonaazaru ſcribit, hoc eſt, in capite XXI. Nomen Ναβοναζάρου compoſitum utiqve eſt ex נבו *Nebo* nomine idoli Babylonici; & נאצר *Nezar*, qvod pars qvoqve eſt nominis Nebucadnezaris. Idem tamen nomen Ναβονάζαρος effertur qvoqve ita, Ναβονάσσαρος, uti conſtat ex Canone Mathematico, qvem à Scaligero, Calviſio, & Petavio editum eſſe in ſuperiore exercitatione diximus. Ceterùm in iſto qvoqve Canone is, de qvo nunc agimus, Nabuchodonoſori parens, expreſſè Ναβοπολλάσσαρος appellatur. Omnia nomina Regum Babyloniæ, qvæ ſunt in Canone Mathematico, recenſuimus in ſuperiore diatribâ. Inter ea hæc ſunt poſtrema, Ναβοπολλάσσαρος, Ναβοκολάσσαρος, Ιλουαρόδαμος, Νιρικασσολάσσαρος, Ναβονάδιος. Nomen, qvod inter hæc primum eſt, dicimus fuiſſe Nabuchodonoſori parenti. An igitur iſto nomine, qvod inter jam dicta ſecundum eſt, indigitatus eſt ipſe Nabuchodonoſorus? Omnino ita eſt. Liqvet ex eo, qvod eum ſeqvitur Ιλουαρόδαμος, qvem, integrô nomine Evilmerodachum dictum, Nabucad-

bucadnezari parenti ſucceſſiſſe ex ſacris ſcimus. Deinde etiam ex hoc, qvòd Nabocolaſſaro tribuuntur XLIII anni, qvot Nabochodonoſoro & in ſacris literis, & in fragmento Beroſi tribuuntur.

X. Sunt & plurima alia, qvibus oſtendi poteſt contra Funccium, Nabopollaſſarum Ptolemæi non eſſe Nebucadnezarem ſacræ ſcripturæ. Inter Babyloniæ Reges, qvi in Canone Mathematico recenſentur, eſt etiam Mardokempadus. Hunc Ptolemæus demonſtravit regnare cœpiſſe annô XXVII æræ Nabonazaréæ. Deinde ex ſacris literis conſtat, annô decimô qvintô Hiſkiæ Regis extitiſſe aliqvem Babyloniæ Regem, cui nomen fuerit Merodacho. Qvin verò Merodachus hic idem ſit, qvi Ptolemæo Mardokempadus appellatur, viri docti nihil dubitant. Et ipſius Merodachi igitur initium eſt in anno æræ Nabonazaréæ XXVII. Hunc verò æræ Nab. annum vel decimô qvintô Hiſkiæ fuiſſe priorem, vel certè cum eo unà fluxiſſe, ſimul intelligi licet. Porro ſi Nebucadnezar ſacræ ſcripturæ eſt ille Rex, qvi Ptolemæo Nabopollaſſarus appellatur, Nebucadnezaris initium eſt in anno CXXIII æræ Nabonazaréæ. Nabopollaſſari enim initium in eo ipſo anno fuiſſe, demonſtravit Ptolemæus, & in Canone Mathematico idem illud diſertè oſtenditur. Conſtat autem ex Jeremiæ XXV. capite, Nebucadnezaris primum annum concurrere cum qvarto Jojakimi. Qvia igitur Nebucadnezar à Funccio creditur Nabopollaſſarus eſſe, & annô CXXIII æræ Nabon. cœpiſſe regnare, ne-

ceſſe habet idem Funccius, cum eodem anno æræ Nab. connectere annum qvartum Jojakimi. Jam cogitemus, qvantô intervallô qvartus annus Jojakimi decimô qvintô Hiskiæ poſterior ſit. Ex annis igitur, qvi Hiskiæ, Manaſſi, Amoni, Joſiæ, Joahaſo, & Jojakimo in ſacris literis tribuuntur, à decimo qvinto Hiſkiæ ad qvartum Jojakimi ſummam colligere licet CVII annorum. Nam Hiskias regnavit XXIX annis: LV Manaſſes: duobus Amon: XXX Joſias: Joahas tribus menſibus. Deducamus autem illos CVII annos, qvos à decimo qvinto Hiskiæ ad qvartum Jojakimi numerare licet, de CXXIII annis æræ Nabon. cum qvorum ultimo Funccius connectit qvartum Jojakimi. Sic apparebit XVI modò annos æræ Nab. remanere, & initium CVII annorum, qvod à decimo qvinto Hiskiæ duximus, figendum eſſe in anno XVII ejuſdem æræ. At debebat minimum in vigeſimo ſeptimo eſſe. Nam decimô qvintô annô Hiſkiæ Rex Babyloniæ fuit Merodach ſive Mardokempadus, cujus initium utiqve eſt in illo XXVII anno. Apparet igitur, ſi Funccii ſententia de Nabochodonoſoro obtinere debet, initium Merodachi, qvod decimô qvintô annô Hiſkiæ vel prius fuit, vel certè unà cum eo extitit, eôdem annô Hiskiæ poſterius fieri decem annis, id qvod oppidò eſt abſurdum.

XI. Si ea qvoqve expenderimus, qvæ de Medorum, ac Ægypti Regum temporibus Herodotus prodidit, intelligemus itidem ſatis ſuperqve, ſententiam Funccii de Nabuchodonoſori

ri initio minus rectè ſe habere. Cambyſis, ſecundi Perſarum Regis, initium eſt in anno æræ Nabon. CCXIX. Nam ſeptimus ejusdem eſt in ejusdem æræ anno CCXXV, ut Ptolemæus demonſtravit, & in Canone Mathematico diſertè traditum eſt. Ante Cambyſem Cyrus regnavit triginta annis, ut plurimi prodiderunt ſcriptores. Et hujus igitur initium eſt in anno æræ Nab. CLXXXIX. Porrò ante Cyrum regnavit Aſtyages, Medorum Rex XXXV annis. Cujus igitur initium eſt in anno æræ Nab. CLIV. Ante Aſtyagem verò ejus pater Cyaxares regnavit XL. annis. Cyaxarem hunc ſuperiore diatribâ tm: XVI. demonſtravimus Ninum primariam Aſſyriæ urbem expugnâſſe annô imperii ſui XXXVI. Qvi annus igitur connectendus eſt cum anno æræ Nab. CXLIX. Jam & illa recoli velim, qvæ ſacris literis de excidio Nini ſunt prodita. Qvæ in Jeremiæ c. L & LI leguntur, ea ſcripta fuiſſe qvartô annô Zedekiæ, liqvere poteſt ex eodem LI. capite v. 59. In his verò, qvæ qvartô annô Zedekiæ ſunt ſcripta, leguntur hæc qvoqve inter alia, capite qvidem L. v. 18. *Ecce ego viſitabo regem Babylonis, ſicut viſitavi regem Aſſur.* Intelligimus ex his, regem Aſſur ante qvartum annum Zedekiæ jam fuiſſe viſitatum. Qvod autem dicitur, eum viſitatum fuiſſe, eô, non dubium eſt, qvin id ſignificetur, regem Aſſyriæ à Cyaxare Medorum Rege eſſe victum, & urbem Ninum exciſam. Porrò, ſi qvartus annus Jojakimi eſt primus Nabopollaſſari, atqve adeò æræ Nabon. CXXIII ut Funccius voluit:

luit: qvartus Zedekiæ eſt utiqve duodecimus ejusdem Nabopollaſſari, atqve adeò æræ Nabonazaréæ CXXXIV. Atqve igitur ante hunc ipſum annum æræ Nab. CXXXIV excidium Nini jam factum fuerit. Demonſtravimus autem ex Herodoto excidium Nini factum eſſe trigeſimô ſextô annô Cyaxaris, Medorum regis, atqve adeò annô æræ Nab. CXLIX, hoc eſt, pluſculis annis poſt dictum CXXXIV annum. Qvare alligatio Joh. Funccii iterum deprehenditur perperam eſſe facta.

XII. Conſideremus etiam Regum Ægypti tempora. Scripſit de iſtis regibus Herodotus Halicarnaſſenſis in Euterpe. Nos poſtremorum modò annos ex ipſius mente recenſebimus. Necos igitur, Pſammetichi filius, regnavit XVII annis: ſex annis Pſammis: XXV Apries: XLIV Amaſis: Pſammenitus ſex menſibus. Poſtremùm omnium vicit Cambyſes annô tertiô Olympiadis LXIII, hoc eſt, annô Iphiti CCLI. Hic verò annus Iphiti concurrit cum anno æræ Nab. CCXXII. Ex annis dictorum regum ſumma conficit XCIII annorum. Hanc igitur deducamus à 222 annis æræ Nabonazaréæ. Qvod ubi factum fuerit, Nechonis initium deprehendemus eſſe in anno CXXX ejuſdem æræ. Calviſius, ubi Funccium redarguit, hoc eſt, in Iſagoge Chronologicâ, initium Nechonis ſcribit in anno CXXIV æræ Nab. fuiſſe. Sed ipſe ultimo Ægypti Regi, Pſammenito puta, per μνημονικὸν ἁμάρτημα ſex annos tribuit, cùm ſex modò menſes debuerit. Qvia igitur Nechonis initium eſt in anno CXXX æræ Nab.

id-

Digitized by Google

idipſum initiô Nabuchodonoſori aliqvot annis poſterius erit, ſi Funcciô credimus. Nam ex hujus mente Nabuchodonoſorus regnare cœpit annô æræ Nab. CXXIII. At ex ſacris literis ſcimus, Pharaonem Nechonem à Nabuchodonoſoro ad Euphratem eſſe victum qvartô Jojakimi, ipſiusqve adeò Nabuchodonoſori primô annô. In Jeremiæ c. XLVI. 2. in eam ſententiam hæc leguntur: *Qvòd factum eſt verbum DOMINI ad Jeremiam Prophetam contra gentes ad Ægyptum adverſus exercitum Pharaonis Nechao, Regis Ægypti, qvi erat juxta fluvium Euphratem in Charcamis, qvem percuſſit Nabuchodonoſor, Rex Babylonis in qvarto anno Jojakim.* Ex ſecundo item regum libro c. XXIII. 29. ſ. ſcimus, Nechonem, cùm Aſſyriorum Regem bellô petiit, conflixiſſe cum Joſiâ, Jojakimi patre in Megiddo, huncqve in eo prælio oppetiiſſe mortem. Qvam hiſtoriam & Herodotus attigit in Euterpe. Καὶ Συροῖσι, inqvit, πεζῇ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν, ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε, *Terreſtri acie congreſſus cum Syris in Magdolo, victoriâ potitus eſt.* Syriam ab autoribus valde amplam conſtitui, vulgò eſt notum. In deſignando loco ubi prælium fuit commiſſum, ab Herodoto erratum videtur. Poſuit enim Magdolum pro Megiddo. Magdolum Ægypti urbs eſt. Stephanus περὶ πόλ. Μάγδωλος πόλις Αἰγύπτου. In ſacris literis urbis מגדול Migdol fit mentio, Exod, XIV, 2. Num. XXXIII, 7. Jer. XLIV, 1. Satis qvidem apparet ex his locis, illam urbem fuiſſe Ægypti. An autem cum Magdolo Herodoti

rodoti, & Stephani ſit eadem prorſus, non ſatis nobis liqvet. Si jam Funccii alligatio rectè ſe haberet, & Nabuchodonoſori initium eſſet in anno æræ Nab. CXXIII, pugna Nechonis cum Joſiâ facta eſſet annô CXIX ejuſdem æræ, undecim annis antè, qvàm Necho ex Herodoti mente tractare cœpit imperium, id qvod itidem oppidò eſt abſurdum.

XIII. Satis, credo, demonſtratum à nobis eſt, malè creditum eſſe à Funccio, Nabuchodonoſorum eſſe Nabopollaſſarum Ptolemæi, ejusqve initium eſſe in anno CXXIII æræ Nabonazarèæ. Perperam igitur etiam fecit idem Funccius, qvòd à decimo nono anno Nabuchodonoſori ad vigeſimum primum Cyri numeravit LXX annos. Debuiſſet enim à decimo nono Nabopollaſſari, Nabuchodonoſori parentis tot ferè annos numerare. Sed nec tertia ſententia earum, qvæ ſuperiore ſeculô de LXX annis captivitatis exortæ ſunt, Matthæi Beroaldi puta, probari nobis per omnia poteſt. Beroaldus is eſt, qvi opinatus eſt, continuam & non interruptam annorum ſeriem inde à mundo condito uſqve ad paſſionem DOMINI ex ſolis ſacris literis poſſe hauriri. Primùm igitur à condito mundo ad qvartum annum Jojakimi annos numerat. His deinde ſubjungit LXX annos captivitatis, hoſqve putat à qvarto Jojakimi ad primum Cyri. Cum fine verò LXX annorum captivitatis immediatè connectit LXX hebdomadas Danielis, hoc eſt, CCCCXC annos, hórumqve finem conſtituit in tertio anno poſt paſſionem CHRISTI. Ipſam qvidem paſſionem CHRI-

STI

STI' conſtituit in illorum 490. annorum qvadringenteſimo octogeſimo ſeptimo,ſive in dimidio ultimæ hebdomadis. Per LXX hebdomadas connectit tandem epocham Olympiadum, atqve alias cum annis mundi. Qvod autem, ſi hiſtoriam τὴν ἔξω cum ſacrâ conjungamus, à temporibus Cyri ad paſſionem CHRISTI multò plures annos licet numerare, qvàm CCCCXC, eô nihil paſſus eſt Beroaldus ſe moveri, pronunciavitqve confidenter qvæ de Regum annis in profana hiſtoria leguntur, ea falſa eſſe & conficta. Omnibus igitur Perſarum Regibus centum modò & paulò amplius annos tribuit, cùm debuiſſet ducentos tribuere, & ampliùs. Nec defuerunt, qvi iſta Beroaldi τερετίσματα ſint amplexi, valdeqve propugnârint. Noſtrâ qvoqve memoriâ, & paucos qvidem abhinc annos iſtiusmodi nugas chartis illeverunt Chriſt. Gveinzius, & Weinheimerus qvidam. Gveinzius qvidem in Synopſi Chronologica p. 252. hæc habet: *Nos facimus cum iis, qvi à primo edicto* (de templo inſtaurando) *initium* (LXX hebdomadum) *ex Chron. 2. c. 36. v. 22. & 23. ſumunt, quia propriè tunc, ubi CHRISTUS dixit, conſummatum eſt, adimpleta ſunt omnia, qvæ dicta erant. Manet itaqve initium ſub Dario Medo factum. Neqve enim turbari debemus profanis hiſtoricis, cùm Photius ipſe ſcribat in Cteſiâ, qvòd ferè in omnibus repugnantia Herodoto narret.* Prorſus hæc ſunt Beroaldica, hoc eſt, λῆροι, λῆροι. Initium LXX hebdomadum conſtituit iſte in primo anno Cyri, & ſimul in primo Darii Medi, qvem unà cum Cyro Babylonios debellâſſe pu-

ſe putat. A primo autem Cyri anno ad extrema CHRISTI tempora numerat CCCCXC annos, qvos LXX hebdomades continent. Nec ſe turbari ſinit autor prophanis hiſtoricis, ut aliter ſentiat de rebus chronologicis. Qvod unus Cteſias magnô conatu nugatus eſt, ex eo putat ſe rectè colligere, feciſſe idem & ceteros. Magnis Chronologis in iſtum modum de temporibus ſentire, viſum eſt εὐηθες ac abſurdum. Neqve hi pigrati ſunt, Beroaldi, Paræi, ac aliorum nugis ὁμόσε χορεῖν, ac impudentiam hominum dignis modis ipſis exprobrare. Fecit id extremâ vitâ Ill. *Scaliger in elencho utriuſqve orationis Pareanæ.* Fecerunt & Behmius, ac alii. Sed πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια εἶπε. Qvod igitur de initio LXX annorum Beroaldus ſenſit, eſſe illud in qvarto anno Jojakimi, id tantum abeſt ut impugnare nos velimus, ut etiam idipſum firmaturi ſimus, ac contra adverſa qvædam tutum præſtituri. Qvid verò dicemus de tempore, in qvo LXX annorum finem conſtituit Beroaldus? Sanè id non malè habet, qvod finem iſtum cohærere dixit cum illo anno Cyri, qvi in ſacris literis ejus primus dicitur. Id enim rectiſſimè fieri, ex ſacris literis ſatis ſuperqve liqvet. Sed non negaverit qviſpiam, eum annum Cyri, qvi primus ejus in ſcripturâ dicitur, non eſſe primum ejus in Perſidis regno; ſed eſſe aliqvem eorum, qvi primum iſtum ſunt ſecuti. Et ſi credere ſuſtinet Beroaldus, Cyrum regnâſſe XXX annos, fuerit aliqvis ex illorum poſtremis. Utrum verò ejus vigeſimus primus ſit, an alius

qvi-

qvidam, per ſuam qvidem Chronologiam minimè licet ſcire Beroaldo: nec magnopere id ipſi curæ eſt. Nos autem & hoc velimus ſcire, in qvoto anno illorum triginta finis LXX annorum ſit conſtituendus. Neqve enim nobis libet propheticâ iſtâ Beroaldi Chronologiâ contentis eſſe. Ut genuina Chronologia formetur, exiſtimamus cum doctis, hiſtoriam qvoqve τὴν ἔξω neceſſe eſſe conferri. Nunc verò nihil aliud, qvàm impudentiam iſtis hominibus exprobramus, qvòd fidem præſtantiſſimorum hiſtoricorum, Herodoti puta, Thucydidis, Xenophontis, Diodori Siculi, Dionyſii Halicarnaſſenſis & aliorum, elevare non verentur, & cum ab his ducentos ampliùs annos Perſarum Regibus tributos nos ſciamus, ipſi iiſdem centum modò & paulò ampliùs tribuunt.

XIV. In Euſebii verbis, qvæ ex ejus Chronicis ſuprà produximus, recenſentur tres ſententiæ de LXX annorum initio, ac fine. Poſtrema earum hæc eſt, LXX annos cœpiſſe decimô nonô annô Nabuchodonoſori, qvô templum eſt exuſtum, deſiiſſe in ſecundô annô Darii Hyſtaſpis. Qvæ qvidem ſententia procul dubio eſt falſa, & qvod ad initium attinet LXX annorum, & qvod ad finem. Sanè à decimô nonô Nabuchodonoſori ad ſecundum Darii Hyſtaſpis poſſunt numerari LXX anni. Non tamen in iſtis annis initium ac finis LXX annorum, qvos Jeremias determinavit, poſſunt conſtitui. Clariſſima ſunt verba in calce ſecundi Paralipp. verſ. 22. & initio libri Eſræ v. I: *In annô primo Cyri, Regis perſarum, ut compleretur verbum*

DO-

DOMINI *ex ore Jeremiæ*, *ſuſcitavit* DOMINUS *Spiritum Cyri*, *&c.* Ex qvibus utiqve intelligitur, LXX annos captivitatis deſiiſſe primô annô Cyri. Si autem primô Cyri deſierunt, non poteſt eorum finis in ſecundum annum Darii Hyſtaſpis conferri. Hunc enim annum Darii aliqvot annis poſteriorem eſſe primô Cyri, nemo negaverit. Ea qvoqve ſententia, qvæ inter tres ab Euſebio recenſitas media eſt, procul dubio eſt falſa. Qvid enim eſt, qvô oſtendi poſſit, LXX annos, qvos Jeremias determinavit, cœpiſſe decimô tertiô Joſiæ annô, qvô Jeremias munus ſuum propheticum exorſus fuit? Deinde qvis credat, Cyrum primô annô regni Perſici Hebræis permiſiſſe, ut in Palæſtinam remigrarent. Tum enim nondum viciſſe potuit Babyloniæ Regem, in cujus ditione Hebræi fuerunt: neqve igitur hos ipſius exemiſſe poteſtate.

XV. Qvid ergò tandem? cùm qvinqve jam rejecerimus ſententias, qvas Viri docti & olim, & noſtrâ memoriâ tenuerunt, an ſperare licet, cogitari poſſe qvidqvam de LXX annorum initio, ac fine, qvod rectiùs ſe habeat, qvàm prædicta omnia: qvodqve qvi teneat, non poſſit ἀπάγεσθαι εἰς ἀδύνατον. Audacter dicimus, poſſe tale qvid cogitari, & cogitatum jam fuiſſe multa abhinc ſecula. Qvod autem indigitamus, exſtat in Euſebii verbis, qvæ ſuprà produximus, nimirum LXX annos, qvos Jeremias determinavit, cœpiſſe tertiô, vel qvartô annô Jojakimi: deſiiſſe autem vigeſimô aut vigeſimô primô Cyri. Hoc illud eſt, de qvo nobis in men-

tem venerat, cùm Euſebii verba nondum animadvertiſſemus. Poſtqvàm autem animadvertimus, viros doctos multa abhinc ſecula idem ſenſiſſe, valdè nobis gaviſi ſumus. Sed obſervavimus etiam, qvibuſdam noſtræ ætatis viris doctis idem illud de initio, & fine LXX annorum veniſſe in mentem. Ceterùm probandæ ſententiæ noſtræ producemus clariſſima verba Jeremiæ, qvæ leguntur in ejus libri c. XXV. verſ. 17. 18. Ea ita ſe habent: *Accepi calicem de manu* DOMINI, *& propinavi cunctis gentibus, ad qvas miſit me* DOMINUS, *Jeruſalem, & civitatibus Juda, & Regibus ejus, & Principibus ejus;* לתת אותם לחרבה לשמה לשרקה ולקללה כיום הזה *ut darem eos in ſolitudinem, & in deſolationem, & in ſibilum, & in maledictionem, ſicut eſt dies iſta.* Primùm ex his verbis liqvere poteſt, tùm, cùm Jeremias ea pronunciavit, Hieroſolymis jam fuiſſe חרבה ושמה *ſolitudinem, & vaſtitatem.* Cùm ſermoni alicui adduntur voculæ כיום הזה *ſicut eſt hôc die, hôc tempore*, qvis dubitabit, qvin id, de qvo ſermo inſtitutus eſt, illô tempore jam extiterit, qvô ipſe ſermo eſt inſtitutus? Freqvens verò eſt ejus ῥήσεως uſus in ſacris literis, ut vis ejus non facilè poſſit ignorari. Nunc conſideremus, qvô tempore iſta pronunciaverit Jeremias. Ex primis verbis ejus capitis, qvod paulò antè commonſtravimus, liqvere poteſt, pronunciata eſſe ea verba qvartô annô Jojakimi. *Verbum*, inqvit Propheta, *qvod factum eſt ad Jeremiam de omni populo Juda in annô qvartô Jojakim, filii*

Joſiæ. Qvartô igitur annô Jojakimi apparet jam extitiſſe חרבה ושמה *ſolitudinem ac vaſtitatem* Hieroſolymis. Sed de rerum facie, qvæ temporibus Jojakimi in Palæſtinâ fuit, operæ pretium fuerit paulò pluribus agere.

XVI. Rex Ægypti Pharao Necho, qvi ab Herodoto Νεχὼς appellatur; Joſiæ filium Joahaſum in Ægyptum deportârat, & Regem Juda pro ipſo deſtinârat Eljakimum, qvem & Jojakimum transnominavit. Legere hæc eſt in II. Paral. capite XXXVI. verſ. 4. Jojakimus plenum κύριον tum non amplius habuit; ſed Regis Ægypti ſubjacuit poteſtati, ac tributa ipſi pependit. In eam ſententiam libro II. Reg. c. XXIII. v. 35. hæc leguntur: *Æſtimavit* (Jojakim) *terram, ut daret argentum juxta imperium Pharaonis; ab unoqvoqve juxta æſtimationem ejus exegit.* Sed Rex Ægypti proſperô fortunæ ſtatu non diu uſus fuit, ut exteros Reges in ſuâ ditione tenuerit. Et Rex Babyloniæ victricia arma undiqvaqve tùm cœpit circumferre. Annô igitur tertiô Jojakimi, ut ex primis verbis libri Danielis intelligimus, Hieroſolyma obſidere cœpit Nabuchodonoſorus: breviqve tempore Jojakimus in ejus venit poteſtatem. Utrum ipſa urbs vi expugnata tùm fuerit, an verò Jojakimus ſe dediderit, non ſatis liqvet. Divinus Daniel tantùm illud prodidit, DOMINUM tradidiſſe Jojakimum in manum Nabuchodonoſori. In ſecundo autem Paralipp. c. XXXVI. v. 6. legimus, Jojakimum in vincula fuiſſe conjectum, ut Babylonem deportaretur. Verò apparet ſimile, dedidiſſe ſe Jojakimum. Cùm enim in Nabucho-

buchodonoſori veniſſet poteſtatem, & victoris in manu eſſet: in ipſum conſulere, qvomodocunqve vellet, permiſſum ipſi fuit, ut amplius regnaret. Sanè ex Jeremiæ c. XXV & XXXV apparet, Jojakimum qvartô regni ſui annô, conditione uſum fuiſſe non prorſus pœnitendâ. De cetero etiam regni Jojakimi in II. Paralipp. cap. XXXVI. verſ. 5. memorantur undecim anni. Tranſactum igitur cum Nabuchodonoſoro videtur fuiſſe, ut Jojakimus Hieroſolymis amplius regnaret, ſed hactenus, ut Regi Babyloniæ obnoxius eſſet.

XVII. Poſtqvàm autem hæc ita geſta fuerunt, Nabuchodonoſorus cum exercitu movit ad Euphratem fluvium, qvô hoſtis ipſius Rex Ægypti, & ipſe conceſſerat. Confligendum igitur tum fuit cum hoſte. Et factum id eſt feliciter, ut ex Jerem. c. XLVI. v. 1. intelligimus. Jojakimus autem cùm tribus annis officium feciſſet, poſt ipſum conditionis ſuæ cœpit pœnitere; & contra Babyloniæ Regem rebellavit. De hoc in II. Reg. XXIV. 1. hæc ſunt verba: *In diebus ejus* (Jojakimi) *aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & factus eſt ei Jojakim ſervus tribus annis, & rurſum rebellavit contra eum.* Sed verſio non ſatis rectè per omnia ſe habet. Extrema qvidem expreſſa ſunt ex his Hebræis, וישב וימרד בו Qvæ verti ita debebant, *Et averſus fuit, & rebellavit contrà eum.* Neqve enim vocabulum שוב ſi alii verbo præmittatur, iterationem ſemper ſignificat ejus actionis, qvam verbum ei adjunctum ſignificat. Neqve ex iſtis intelligi

 debet,

debet, Jojakimum bis rebellâſſe. Rebellavit autem ſeptimô regni ſui annô, fretus fortâſſe auxiliô Regis Ægypti. Regnavit etiam poſtilla qvatuor annos, & ampliùs. Nam undecim regnavit in univerſum. Rex Babyloniæ, cùm aliis negotiis præpeditus Jojakimum non poſſet ſub jugum prorſus revocare, populabundum tamen exercitum immiſit in Palæſtinam. Id videtur ſignificari verbis illis, qvæ paulò antè producta excipiunt. Cùm autem Jojakimus diem ſuum obiiſſet, eiqve ſucceſſiſſet filius ejus Jojachinus, tùm demùm Nabuchodonoſorus jus ſuum ſeriò repetiit, oppugnandô Hieroſolyma, & Jojachinum, ut ſe dederet, cogendô. Memoratur hoc in capite demonſtrato v. 10. Cùm urbs occupata jam eſſet, exanimum corpus Jojakimi, qvòd hic fidem violaverat, ludibrio fuit habitum, & extra portas projectum. Intelligere licet ex Jerem. XXII. 18. ubi hæc habentur: *Non plangent eum* (Jojakimum) *væ frater, & væ ſoror: ſepulturâ aſini ſepelietur, trahetur & projicietur extra portas Jeruſalem.* Jojachinum autem unà cum populi flore in Babyloniam deportavit Nabuchodonoſorus, & pro eo regem deſtinavit Zedekiam. Legere de eo eſt in II. Reg. XXIV. capite. Atqve iſta omnia ex ſacris literis videntur ita poſſe intelligi. Non autem ſumus neſcii, Fl. Joſephum in libro X. Ἀρχαιολ. cap. VII. VIII. IX. ſcripſiſſe, prædicta illa paulò aliter eſſe facta. Nempe ipſum ſeqvi nos detrectamus. Neqve enim putandum eſt, Joſephum per omnia ſua egiſſe æqvè laudabiliter. Hiſtoriam ἀλώσεως ſcimus ipſum ſcripſiſſe bonâ fide.

fide. *In* aliis etiam qvibuſdam magnam ipſum meritum eſſe laudem. At in libris ἀρχαιολογίας, ubi ſacræ hiſtoriæ nonnulla voluit addere, leves, ac improbabiles ſæpe fecit conjecturas, haſqve pro verâ hiſtoriâ venditavit. Iſtos igitur libros qvicunqve legit, μεμνήσθω ἀπιστεῖν. Exempla talium, qvales diximus, conjecturarum, poſſemus referre pluſcula, ſi qvidem in præſentiâ id ageremus.

XVIII. Diximus, qvartô annô Jojakimi jam fuiſſe Hieroſolymis חרבה ושמה *ſolitudinem & vaſtitatem*, idqve clariſſimis verbis Jeremiæ demonſtravimus. Id eò valet, ut appareat, initium LXX annorum eſſe in qvartô annô Jojakimi. Si enim qvartô annô Jojakimi jam fuit ſolitudo, & vaſtitas, nihil cauſæ poteſt dici, qvin eô tempore jam fluxerint LXX anni, qvos Jeremias determinavit. Hi enim ſolitudine, ac vaſtitate illâ manifeſtè ſunt inſigniti. Jeremiæ verba ſunt in c. XXV. v. 11. *Et erit univerſa terra hæc* לחרבה לשמה *in ſolitudinem, & ſtuporem* (vaſtitatem) *& ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis* LXX *annis*. Ne autem qvis exiſtimet, vaſtitatem iſtam ac τὸ ſervire, de qvo in iſtis verbis, non iiſdem, ſed diverſis temporibus cœpiſſe: & ſervitutem qvidem LXX annos debuiſſe durare, vaſtitatem autem eô intervallô non eſſe definitam, conſiderari velim, qvod ſanctus Daniel ſcripſit c. IX. 2. ſe attendiſſe, ad numerum annorum, de qvô factus ſit ſermo DOMINI ad Jeremiam למלאות לחרבות ירושלם שבעים שנה *ut complerentur deſolationis Jeruſalem* LXX *anni*. Sanè in his

LXX anni, qvos Jeremias determinavit, vaſtitate, ac ſolitudine manifeſtè inſigniuntur. LXX igitur anni; qvi vulgò *captivitatis anni* dicuntur, debebant & *vaſtitatis ac deſolationis anni* appellari. Licet verò hoc idem intelligere ex ultimis verbis libri II. Paralipomένων, qvæ principiô hujus diatribæ produximus.

XIX. Sed dubium alicui poſſit eſſe, qvâ ratione qvartô annô Jojakimi, qvô hunc Regem conditione uſum diximus non prorſus pœnitendâ, Hieroſolymis putari poſſit חרבה ושמה *vaſtitatem ac ſolitudinem* fuiſſe. Illos igitur, qvi Scaligerum ſeqvuntur, monebimus, ne dicta habeant pro abſurdis, qvòd ipſi poſſint intelligere, Hieroſolymis חרבה ושמה *ſolitudinem & vaſtitatem* fuiſſe: cùm Zedekias poſt deportatum Jechoniam per XI annos Hieroſolymis adhuc regnaret; cùmqve excidia Hieroſolymorum, & aliarum urbium nondum eſſent facta. Funccianis reſpondebimus, qvàmvis excidia urbium in Palæſtinâ temporibus Jojakimi & Jojachini, nec non & Zedekiæ decem annis non fuerint facta: & cùm Jechonias deportaretur, multa millia manſerint in Palæſtinâ: plura etiam, cùm in vincula conjiceretur Jojakimus: tamen nihil prohibere, qvò minùs חרבה ושמה *deſolationem, ſolitudinem ac vaſtitatem* jam inde à qvartô annô Jojakimi fuiſſe, intelligi qveat. Certè Jojakimus in vincula fuit conjectus, ut Babylonem deportaretur. Eâ de re in II. Paral. XXXVI. verſ. 6. hæc ſunt: ויאסרהו בנחשתים להוליכו בבלה. Vulgata horum verſio ita habet: *Vinctum catenis*

(Joja-

(Jojakimum) *duxit in Babylonem.* Rectiùs autem, & ex verô ita vertenda ſunt: *Vinxerunt eum vinculis ferreis, ut Babylonem eum deportarent.* Non videtur Jojakimus Babylonem fuiſſe deportatus. Nabuchodonoſorus autem videtur primùm qvidem in animo habuiſſe Jojakimum Babylonem deportare, poſt autem conſilium mutâſſe, ac permiſiſſe, ut Jojakimus Hieroſolymis ampliùs regnaret, ſed ſummæ poteſtatis expers. Oſtendimus ſuprà, Jojakimum qvartô annô regni ſui conditione uſum non pœnitendâ. Sed tùm, cùm Jojakimus in vincula fuit conjectus, vaſa qvoqve aurea ex templo Hieroſolymitano aſportata, ac in fanum Beli, qvod Babylone fuit, tranſlata fuerunt, id qvod id loco Scripturæ noviſſimè demonſtrato itidem videre eſt. Deportati etiam tum temporis fuerunt nobiliſſimi juvenes, regibus ac proceribus nati, id qvod intelligimus ex Dan. c. primo v. 3. Omnis iſta calamitas, qvam expoſuimus, non qvidem tanta fuit, qvanta fuit illa, qvâ, factô jam excidiô urbis, Hebræi urgebantur. Commodè tamen τῇ חרבה ושמה *ſolitudini, & vaſtitati*, de qvâ Jeremias in c. XXV ſcripſit, ea ipſa calamitas poteſt accenſeri. Id nimirum in ſacris literis minimè inuſitatum eſt, calamitatem minimam, & maximam in eodem temporis intervallo poni. De Iſraëlitis legimus in Exodi cap. XII. v. 40. ipſos CCCCXXX annis Ægyptum incoluiſſe. Et Abrahamo prædixerat DEUS Gen. XV. 13. poſteros ipſius παροίκους fore in Ægypto, & duriter habitum iri CCCC annis. Iſtos CCCCXXX annos ipſi Funcciani putant
 ab

ab illo tempore, qvô Abrahamus peregrinari cœpit in Ægypto, atqve ita Gilb. Genebrardi abſurdam ſententiam rejiciunt. Abrahamus ſanè in Ægypto tantâ calamitate non fuit preſſus, qvantâ ipſius poſteri. Neqve ipſi poſteri prioribus temporibus tam addictè regnabantur in Ægypto, qvàm factum eſt poſtremis. Cùm in Ægyptum primùm hi commigrâſſent, pingvia ipſis à Rege data fuerunt prædia, ſorſqve ipſorum longè optima fuit. Et tamen prædixit DEUS Abrahamo, poſteros ipſius duriter habitum iri in Ægypto CCCC annis. Apparet igitur qvadringentis iſtis annis, qvibus futurum erat, ut Abrahami poſteri duriter haberentur in Ægypto, comprehendi ipſius Abrahami ſortem, & illam qvoqve, qvâ Iſaacus, Jacobus, hujuſqve filii duodecim cum ſuis liberis in Ægypto uſi fuerunt, illam, inqvam, qvæ proſpera, certè non adeò iniqva fuit. In præcedente qvoqve diatriba non abſimile qvid oſtendimus in verbis Herodoti, qvibus is dicit Medos τῆς ἄνω Ἀσίης ἤρχέν *in ſuperiore Aſia imperium obtinuiſſe* CXXVIII annis. Mirum verò, ni talibus adduci qveant Funcciani, ut jam inde à Jojakimi temporibus חרבה ושמה *ſolitudinem ac vaſtitatem* Hieroſolymis fuiſſe intelligant.

XX. Initium LXX annorum, ut vidimus, ſatis rectè ſe habet. Si autem illud eſt in qvarto anno Jojakimi, finem eorundem annorum neceſſe eſt in vigeſimo primo Cyri eſſe. Ut igitur hoc appareat, aliqvam etiam nos dabimus operam. Euſebius Cæſarienſis, ſecutus Canones

nones inſignium, qvi ante ipſum vixerunt, Chronologorum, ſcripſit in Chronicis ſuis, excidium Hieroſolymorum factum eſſe ſecundô annô Olympiadis XLVII, ſive annô Iphiti CLXXXVI Qvod cùm Funccius improbâſſet, Joſephus Scaliger, qvi magnâ ἀγχινοίᾳ poſt Funccium Chronologica tractavit, iſtuc pronunciavit ſe ſatis rectè habere. Allaborârunt etiam, & Scaligerum ſecuti ſunt clariſſimi Viri, Sethus Calviſius, Joh Behmius, Chriſtoph Helvicus, Ubbo Emmius, Joh. Henr. Alſtedius, aliiqve. Solidiſſimas ejus rei rationes in unum congeſſit Calviſius in Iſagoge Chronologicâ c. XXXI. Nos qvidem eas nunc non repetemus; ſed ſumemus id nobis, qvod Chronologi demonſtrârunt, excidium Hieroſolymorum annô Iphiti CLXXXVI finiente, vel CLXXXVII ineunte eſſe factum. Porro autem annus primus Cyri in Perſide eſt annus primus Olympiadis LV, ſive annus Iphiti CCXVII, ut conſentiunt plurimi Scriptores, qvos Tatianus, & Africanus allegârunt, Diodorus Siculus puta, Thallus, Caſtor, Polybius, Phlegon. Vide eâ ſuper re Scaligerum lib. V de emend. temporum p. 401. Qvia autem iſte annus Iphiti, qvô Cyrus cœpit, ultra dimidium jam effluxerat, refertur ejus initium ad annum Iphiti CCXVIII. Si nunc deducantur CLXXXVI anni Iphiti, qvorum ultimô finiente excidium urbis eſt factum, à CCXVIII, qvorum ultimus Cyri primus eſt, relinqventur XXXII anni. Atqve hi primò ponantur. Deinde addantur illis XX. anni Cyri, qvi primum ejus ſunt ſecuti, qvorum-

 rum-

rúmqve ultimô LXX annos finiri diximus. Sic conficietur ſumma LII annorum. Nunc diſpiciendum porrò eſt, qvantô intervallô qvartus annus Jojakimi, qvô LXX annos cœpiſſe diximus, diſtet ab eo tempore, qvô excidium Hieroſolymorum eſt factum. Jojakimus in univerſum regnavit XI annos, ut legere eſt II. Par. XXXVI, 5. Demptis tribus, qvi qvartum Jojakimi anteceſſerunt, ceteri, hoc eſt, VIII addantur prædictæ LII annorum ſummæ. Jojakimo ſucceſſit filius Jojachinus, regnúmqve obtinuit III menſibus. Amotô autem illô Rex Palæſtinæ à Nabuchodonoſoro deſtinatus fuit Zedekias, iſqve regnum obtinuit undecim ferè annis. Qvia autem undecimus ipſius annus concurrit cum anno Iphiti CLXXXVII, qvi priore ſummâ jam comprehenſus eſt, ſumantur decem modò ejus anni, hiqve prædictæ ſummæ addantur. Ita ſatis apparebit, ὃ ἔδει δεῖξαι.

XXI. Eamus etiam per annos Regum Babyloniæ, qvi in Canone Mathematico recenſentur. Parum enim aberit, qvin ex illis qvoqve, prout in iſto Canone & alibi ſunt annotati, noſtra conflat ſumma. Primus igitur Nabuchodonoſori annus concurrit cum qvarto Jojakimi, à qvo LXX annorum captivitatis initium duximus, uti conſtat ex Jer. c. XXV. v. 1. Regnavit autem Nabuchodonoſorus in univerſum XLIII annos. Proditum hoc eſt in nobili fragmento Beroſi, qvod Joſephus in libro I. c. Apionem aſſervavit. Idem qvoqve diſertè traditum eſt in Canone Mathematico, ut eum, tum Scaliger, tum Calviſius, & Petavius ediderunt.

Sed & ex ſacris literis idem illud liqvidò licet intelligi. Primò Jechoniam ſcimus ex II Regum XXIV, 12. Nabuchodonoſoro ſe dedidiſſe octavô ejus annô. Cum eo conferantur ex Jerem. LII, 31. hæc verba, *Et factum eſt in anno XXXVII tranſmigrationis Jojachini, duodecimô menſe, elevavit Evilmerodach* (filius Nabuchodonoſori) בשנת מלכו *in ipſo anno regni ſui* (qvô regnare cœpit) *caput Jojachin Regis Juda, & poſuit thronum ejus ſuper thronos Regum, qvi cum ipſo in Babylone erant.* Eadem iſta leguntur etiam in II. Regum c. XXV, 27. Intelligimus autem ex illis, annum primum Evilmerodachi connecti cum anno XXXVII à deportatione Jojachini. Trigeſimus ſextus igitur ab eadem deportatione connectendus eſt cum Nabuchodonoſori ultimo. Ille autem annus, qvô Nabuchodonoſorus Jojachinum deportavit, fuit ejus octavus, ut legimus II. Reg. XXIV, 12. Ponantur ergò primò triginta ſex anni Nabuchodonoſori. His deinde addantur ſeptem anni ejuſdem Nabuchodonoſori, qvibus is regnavit, anteqvàm deportavit Jojachinum. Sic conficietur ſumma XLIII annorum, eadem illa, qvæ & in Beroſi fragmento, & in Canone Mathematico omnium editionum diſertè tradita eſt.

XXII. Nabuchodonoſoro ſucceſſit filius ejus Evilmerodachus, is, qvi Jojachino, qvem pater ejus deportârat, honorem habuit non contemnendum, ut ex verbis Jeremiæ intelleximus. Hunc Beroſus in fragmento, qvod apud Joſephum eſt, appellat Ευιλμαραδοχον, eumqve narrat, qvòd malè res adminiſtraret, à Nerigliſſo-

liſſorooro, ſororis ſuæ marito ſublatum fuiſſe, cùm duobus annis regnâſſet. Sed ipſa Beroſi verba, qvæ ex tertio ejus χαλδαϊκῶν, ſive, ut Athenæus appellat, Βαβυλωνιακῶν excerpſit Joſephus, adſcribemus etiam. Habent igitur ita: τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο υἱὸς αὐτοῦ Ευιλμαράδουχος. οὗτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηριγλισσοροόρου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. Hujus (Nabuchodonoſori) *regni Dominus effectus filius ejus Evilmaraduchus propter iniqvitates, & libidines paſſus inſidias à marito ſororis ſuæ Nerigliſſorooro peremptus eſt, cùm duobus regnâſſet annis.* Gemina iſtis ſunt in fragmento Megaſthenis, qvod in Chronicis ſuis, & in nono προπαρασκευῆς nobis ſervavit Euſebius. ὁ δὲ οἱ παῖς Ευιλμαλούρουχος ἐβασίλευσε. τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισσάρης, λεῖπε παῖδα Λαβασσοάρασκον, *Poſt hunc* (Ναβουκοδρόσορον) *filius regnavit Evilmaluruchus. Hujus interfector, qui affinis ipſi fuerat, Nerigliſſares filium reliqvit Labaſſoaraſcum.* Mirum qvàm pauca iſta excellentium hiſtoricorum verba, qvæqve his proxima ſunt, hiſtoriam illorum temporum illuſtrent. Et immortales Ill. Scaligero debentur gratiæ, qvòd alios monuit, ut ad ea adverterent animos. Ceterùm in Canone Mathematico nomen Evilmerodachi ita exprimitur, Ιλουαρόδαμος. Et ut Calviſius ac Petavius eum Canonem ediderunt, tribuuntur Evilmerodacho in eodem duo itidem
anni.

anni. Scaliger eum Canonem duplici ratione expreſſit in Canonibus Iſagogicis, primùm qvidem ſecundùm Genethliacos ſcriptores: deinde ſecundùm Eccleſiaſticos. Ex Genethliacorum mente Evilmerodachus tribus annis regnavit. Ex mente autem Eccleſiaſticorum regnavit qvinqve. Qvicqvid verò ſit, ponantur tantiſper duo modô anni Evilmerodachi.

XXIII. Sublatô Evilmerodachô imperium obtinuit is, qvi ipſum ſuſtulit, ſororis ipſius maritus, idemqve adeò Nabuchodonoſori gener. Beroſi verba ſunt: Μετὰ δὲ ἀναιρεθῆναι τοῦτον, διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλισσορόορος ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα, *Eô* (Evilmerodachô) *ſublatô regni compos factus interfector ejus Nerigliſſoroorus imperium tenuit per annos qvatuor.* Qvi Nerigliſſoroorus à Beroſo appellatur, is à Megaſthene vocatur Νηριγλισσάρης: & in Canone Mathematico Νιρικασσολάσσαρος. Sed nomen, qvod in Canone ipſi tribuitur, remotius videtur eſſe à vero nomine, quàm qvod in Beroſi & Megaſthenis fragmentis eſt. III. Scaliger exiſtimavit, compoſitum id eſſe ex nomine נרגל *Nergal*, qvod fuiſſe idolo cuidam, ut ex II. Reg. XVII, 30. ſcimus, & ex nomine לאצר *Lezar*, qvod permutatum fuerit cum Nezar & Rezar. Nomen idoli eſt etiam in nomine Nergalſarezeri, qvi Jer. XXXIX. v. 13. inter Nabuchodonoſori purpuratos recenſetur. Ceterùm qvot anni Nerigliſſari iſti tribuuntur à Beroſo: tot etiam tribuuntur in Canone Mathematico; prout

prout Calviſius & Petavius eum ediderunt. Idem verò Canon ex editione Scaligeri, & qvidem ſecundum Genethliacos, qvinqve: ſecundùm Eccleſiaſticos autem tres ei tribuit. Ponantur etiam tantiſper IV anni Neriglisſaris.

XXIV. Neriglisſari ſucceſſit ejus filius, Nabuchodonoſori verò ex filiâ nepos, Laboroſarchodus, ſive, ut Megaſthenes appellat, Labaſſoaraſcus. De eo eſt in verbis Megaſthenis, qvæ paulò antè produximus. Beroſi de eo hæc ſunt: Οὗτος υἱὸς Λαβοροσοάρχοδος ἐκυρίευσε μὲν τῆς βασιλείας παῖς μὲν ὤν, μῆνας ἐννέα. *Hujus* (Neriglisſorori) *filius Laboroſoarchodus puer adhuc regnum tenuit menſes IX.* Nomen, qvod in his Beroſi eſt, videtur rectiùs eſſe expreſſum, qvàm id, qvod in verbis Megaſthenis eſt. Compoſitum autem videtur ex לבו *Lebo*, qvod permutatum fuiſſe cum נבו *Nebo* ſupra diximus, ex ראצר *Rezar* qvod in nomine Nebuchadrezar apparet, & ex כד *Chad*, qvod in nomine נבוכדראצר pars media eſt. Laboroſoarchodo Beroſus tribuit novem menſes. Sed hi in Canone non ſunt numerati. Qvâ verò ratione perierit, exponit Beroſus in verbis, qvæ noviſſimè producta excipiunt: Ἐπιβουληθεὶς δὲ διὰ τὸ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη, *ſed qvia pravæ in illo indolis multa ſigna apparerent, inſidiis amicorum trucidatus eſt.* In eandem ſententiam Megaſthenes in iis, qvæ ſuprà producta excipiunt: Τούτου δὲ (Λαβασσοαράσκου) ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ,

Na-

Ναϐοννίδοχον ἀποδεικνῦσι βασιλέα, προσήκοντα οἱ ὀδὲν, *Hôc violentâ morte exſtinctô Nabonnidochum regem faciunt, cum rege mortuo nullo junctum ſangvine.* Vulgatus Interpres poſtrema in his Megaſthenis ita vertit, *ſed ſibi inutilem.* Sed minùs rectè id fecit, ut facilè apparet.

XXV. Ex Megaſthenis verbis apparet etiam, qvis Laboroſoarchodo ſucceſſerit, qvódqve ſucceſſerit aliis non repugnantibus, & imperium ei ultrò deferentibus. Nabonnidochum iſtum Beroſus Nabonnedum vocat, & paulò etiam plurimis verbis de regni ejus initio narrat, his qvidem verbis: ἀπολομένε δὲ τέτε συνελθόντες οἱ ἐπιϐελεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναϐοννήδῳ, τινὶ τῶν ἐκ Βαϐυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως, *Hôc* (Laboroſoarchodô) *mortuô, cùm inter ſe coiiſſent ejus facinoris participes, communi conſenſu regnum detulêre Nabonnedo, ex Babylonii uni, qvi & ipſe in conjuratione fuerat.* Qvot item annis regnârit Nabonnedus iſte, & qvomodo, cùm à Cyro victus eſſet, in ipſum conſultum fuerit; exponit idem Beroſus in iis, qvæ paucis interjectis ſeqvuntur. *Cùm verò*, inqvit, *regni ejus annus ageretur decimus & ſeptimus, venit ex Perſide multo cum exercitu Cyrus, reliqvâqve Aſia ſubactâ ad Babylonem perrexit. Adventu ejus cognitô, Nabonnedus occurrit magno & ipſe cum exercitu, præliôqve factô victus, cum paucis fugit, concluſitqve ſe in urbem Borſippenorum. Cyrus autem, Babylone captâ, conſtituit exteriora ejus munimenta diruere, qvòd civitatem videret ad res no-*

vas

vas mobilem, urbem verò capi difficilem. Inde Borſippum proficiſcitur ad obſidendum Nabonnedum. Verùm is obſidionis non tolerans ſe dedidit. Cyrus benignè exceptum à Babyloniâ exire eum ad Carmaniam habitandam juſſit. Atqve ibi Nabonnedus *tranſactô vitæ ceterô diem ſuum obiit.* Megaſthenes de poſtremo Nabonnedi fato pauca hæc habet: τῷ ἢ Κῦρ☉ ἑλὼν Βαβυλῶνα, καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται, *Cyrus hunc, cùm Babylonem cepiſſet, Carmaniæ præfecit.* Ceterùm qvot anni à Beroſo tribuuntur Nabonnedo: tot etiam tribuuntur in Canone Mathematico, prout à Calviſio & Petavio is eſt editus, ſeptendecim puta. Sed & una editio earum, qvas Scaliger fecit, totidem habet. Nomen autem, qvod ultimo Babyloniæ Regi fuit, in Canone ita exprimitur, Ναβονάδι☉.

XXVI, Egregiè ſanè duo nobilia fragmenta, qvæ per partes produximus, de poſtremis Babyloniæ Regibus inter ſe congruunt. Series etiam iſtorum Regum, qvæ eſt in Canone Mathematico, pulchrè qvadrat. Beroſus verò, cujus unum eſt ex fragmentis, Babylonius fuit, καὶ Βήλε ἱερεὺς, *Beli Sacerdos*, qvem res ſuæ gentis veroſimile eſt non malè compertas habuiſſe. Ut igitur nihil ſit dubitandum, qvin iſtô ordine Reges imperaverint uſqve ad Cyri tempora. Legimus verò de Babyloniæ Regibus in ſacris qvoqve literis, de Nabochodonoſoro puta, Evilmerodacho, Belſazaro, & Dario Medo. Et cogitare igitur operæ pretium eſt, qvomodo hiſtoria ſacra cum τῇ ἔξω ſit componenda.

henda. Darium Medum proximè anteceſſiſſe Cyrum, non inepte colligi videtur ex poſtremis verbis cap. VI Danielis, v. 28. qvæ ita habent: *Et Daniel proſperè egit in regno Darii, & in regno Cyri Perſæ.* In toto iſto capite de Danielis agitur ſorte. Cúmqve expoſitum eſſet, qvas ipſi inſidias ſtruxerint Satrapæ, qvâqve ratione pernicies illa, qvam Danieli conciliare laboraverant, depulſa fuerit, adduntur tandem iſta verba. Qvibus utiqve id videtur dici, Danielem, cùm iſtæ á Satrapis excitatæ nebulæ diſpulſæ eſſent, per ceteros Darii Medi annos feliciter degiſſe in Babyloniâ: & hôc ampliùs, regnante etiam Cyrô, qvi Dario Medo in regno Babylonico ſucceſſerit, uſum fuiſſe eâdem ſorte. Si autem Darius Medus proximè anteceſſit Cyrum, fuerit is iſte Babyloniorum Rex, qvi in hiſtoriâ τῇ ἔξω Nabonnedus appellatur. Accedit, qvód eôdem pactô Darium ad imperium evectum ſacræ literæ memorant, qvô Nabonnedum evectum fuiſſe autores ſunt Beroſus & Megaſthenes. In Daniele cùm narratum eſſet de Belſazaro, eum, cùm purpuratis ſuis convivium apparâſſet, ac mirabili ſcripturâ exitium eidem denunciatum eſſet, eâdem nocte, qvâ convivium agitavit, interemptum fuiſſe: mox de Darii Medi initio proditum eſt his verbis Dan. V. 31: ודריוש מדיא קבל מלכותא *Et Darius accepit regnum.* Itémqve in Danielis nono capite v. 1. hæc habentur: *In annô primô Darii filii Aſſveri de ſemine Medorum*, אשר המלך על מלכות כשדים *qvi imperavit* (rex conſtitutus fuit) *ſuper regnum*

Chaldæorum. Cùm iſtis pulchrè ſanè congruunt, qvæ de Nabonnedi initio Beroſus & Megaſthenes prodiderunt, ei puta, ἀποτυμπανισθέντος καὶ βιαίῳ μόρῳ ἀπολομένου τοῦ Λαβοροσοαρχόδου, *cùm baculis ac ſcamnis à ſuis obrutus eſſet, atqve ita violentâ morte periiſſet Laboroſoarchodus*, communi ſuffragiô delatum fuiſſe regnum Babyloniæ. Porrò, ſi Darius Medus eſt Nabonnedus, neceſſe eſt Belſâzarum, qvi Darium proximè anteceſſit, eſſe Laboroſarchodum. Hoc verò probabile etiam fit ex iis, qvæ de Belſazari interitu in ſacris literis, & de Laboroſarchodi à Beroſo & Megaſthene ſunt prodita. Scio, obverſa his à viris doctis nonnulla eſſe, & paucos adeò abhinc annos. Sed nec ſumus neſcii, ipſorum item ſententiis qvædam adhærere, qvæ probabilitatem iſtam, qvam illis conciliaverant, evertere qveant.

XXVII. Colligamus nunc annos, qvos tributos ſcimus Babyloniæ Regibus, in unam ſummam: Nabuchodonoſori puta XLIII, Evilmerodachi duos, Nerigliſſaris IV, Nabonnedi ſeptendecim. Apparet verò eam eſſe LXVI modò annorum, paulò qvidem ea minor iſtâ ſummâ, qvam colligere volebamus, LXX puta annorum. In primo anno Nabuchodonoſori initium conſtituimus LXX annorum captivitatis: in decimô ſeptimô autem, hoc eſt, ultimo Nabonnedi eorundem finem. Cum decimô ſeptimô Nabonnedi ſcimus unâ fluxiſſe Cyri, Perſarum Regis, vigeſimum primum. In hoc igitur Cyri anno LXX annorum finis eſt itidem conſtituendus. Vigeſimus ſecundus autem Cyri

annus

Digitized by Google

annus eſt primus illorum novem, qvi Cyro, ut Babyloniæ Regi, in Canone Mathematico tribuuntur: atqve item iſte primus, qvi in extremo poſteriore Paralipp. libro, & initio libri Eſræ indigitatur his verbis: *In annô primô Cyri, ut compleretur verbum* D O M I N I *ex ore Jeremiæ* (de reducendo in Palæſtinam poſt elapſos LXX annos Hebræo populo) *Juſcitavit* D O M I N U S *ſpiritum Cyri* &c. Sed ſumma, qvam colligere debebamus à primo Nabuchodonoſori uſqve ad vigeſimum primum, aut ſecundum Cyri, LXX puta annorum, non potuit liqvidò colligi ex iſtis annis, qvos Nabuchodonoſoro, Evilmerodacho, Neriglíſſari, & Nabonnedo tributos eſſe oſtenderamus. Collecta enim eſt LXVI modò annorum ſumma. Ut autem altera illa conficiatur, adjiciendi ſunt IV anni. Qvibus autem Regibus tribuemus illos? Nabuchodonoſoro ſanè non poſſunt tribui. Neqve Nabonnedo videntur tribui poſſe. Credamus igitur tres ex illis adjiciendos eſſe annis Evilmerodachi. Ut adeò hic, non duobus, ſed qvinqve annis imperium tractârit. Sanè Evilmerodacho qvinqvè annos tribuit qvoqve Canon Mathematicus, prout hic à Scaligero ſecundùm Eccleſiâſticos eſt editus. Penes ſummum Virum, Th. Reineſium, MS. eſt Georgii Syncelli, in qvo Evilmerodacho qvinqve annos tribui, idem ſuis ad me literis eſt teſtatus. Unus deniqve annus, qvem præter iſtos neceſſe eſt adjici, ſi LXX annorum ſumma debeat confici, tribuatur Laboroſoarchodo, qvem IX menſibus poſt Neriglíſſaris, parentis ſui, obitum ſcimus ſolùm regnaſſe.

XXVIII. Sed ſi qvatuor anni interſerantur ſummæ LXVI annorum, qvam à primo Nabuchodonoſori ad vigeſimum primum Cyri colligi licuit ex Beroſo, & qvadam Canonis Mathematici editione: Nabuchodonoſori initium in anteriora paulùm fuerit ſubmovendum. In Canone qvidem initium Nabuchodonoſori fixum reperimus in anno CXLIV ære Nabonazaréæ. Submovendum autem illud eſt in annum CXL ejuſdem æræ. Putemus tempora retro à Cambyſis initio. Sanè Cambyſis initium certò fuit in anno æræ Nabon. CCXIX. Nam ſeptimum ejus annum in CCXXV ejuſdem æræ eſſe demonſtravit Ptolemæus. Ante Cambyſem Cyrus regnavit XXX annis, ut plurimi prodiderunt Scriptores. Et qvidem XXX illorum annorum poſtremis novem regnavit poſt victum Nabonnedum Babyloniæ Regem. Primus igitur illorum novem, hoc eſt, annorum triginta vigeſimus ſecundus eſt annus æræ Nabonazaréæ CCX. Ante Cyri novem poſtremos annos Nabonnedus, ultimus Babyloniæ Rex, regnavit XVII annis. Cujus igitur initium eſt in anno æræ Nab. CXCIII. Hactenus dubitare nihil eſt opus. Ante Nabonnedum regnârunt Nabuchodonoſorus, Evilmerodachus, Neriglisſares, & Laboroſoarchodus. Et his in Canône tribuuntur XLIX anni. Nam Nabuchodonoſoro tribuuntur XLIII, Evilmerodacho duo, Nerigliſſaro qvatuor. Deducamus autem XLIX annos de CXCIII annis æræ Nabonazarèæ. Atqve ita intelligemus Nabuchodonoſori initium eſſe in anno ejuſdem æræ CXLIV, uti diximus. Si autem Evilmerodacho tribuamus

qvin-

qvinqve annos, ſecundùm unam editionem Canonis Mathematici, & præterea Laboroſoarchodi menſes pro anno ponamus: ſumma conficietur LIII annorum. Qvam ſi deducamus à CXCIII annis æræ Nabonazoréæ qvorum ultimô Nabonnedum diximus cœpiſſe, initium Nabuchodonoſori intelligetur figendum eſſe in anno CXL ejuſdem æræ. An verò commodè hoc fieri poteſt? Nabopollaſſaro, Nabuchodonoſori parenti, ſcimus in Canone tributos eſſe XXI annos. Si igitur Nabuchodonoſori initium eſt in dicto anno CXL: Nabopollaſſari initium fuerit in anno CXIX æræ Nabonazaréæ. At hoc non poteſt. Eſſe illud initium in anno ejus æræ CXXIII, & ex Canone ſcimus, & ex Ptolemæi demonſtrationibus. Qvid modò igitur igitur? Credere licet, Nabopollaſſaro in Canone plures annos eſſe tributos, qvàm tribui debebant. Tributi ſunt XXI. Debebant autem tribui XVII modò. Si XVII modò tribuantur, nihil prohibet, qvô minùs Nabuchodonoſori initium ſit in dicto CXL anno; & Nabopollaſſari in anno CXXIII.

XXIX. Licet autem Nabopollaſſaro plures annos in Canone dicamus tributos eſſe, qvàm tribui ei bebebant: non tamen exiſtimamus, XXII modò annis regnâſſe eum in univerſum. In nobili Beroſi fragmento, qvod Joſephus in libro I. c. Apionem ſervavit, proditum ſcimus, Nabopollaſſarum regnâſſe XXIX annis. Ipſa Beroſi verba ſunt: τῷ τε πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβοπολλασάρῳ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀρρωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βε-

XXVIII. Sed ſi qvatuor anni interſerantur ſummæ LXVI annorum, qvam à primo Nabuchodonoſori ad vigeſimum primum Cyri colligi licuit ex Beroſo, & qvadam Canonis Mathematici editione: Nabuchodonoſori initium in anteriora paulùm fuerit ſubmovendum. In Canone qvidem initium Nabuchodonoſori fixum reperimus in anno CXLIV ære Nabonazaréæ. Submovendum autem illud eſt in annum CXL ejuſdem æræ. Putemus tempora retro à Cambyſis initio. Sanè Cambyſis initium certò fuit in anno æræ Nabon. CCXIX. Nam ſeptimum ejus annum in CCXXV ejuſdem æræ eſſe demonſtravit Ptolemæus. Ante Cambyſem Cyrus regnavit XXX annis, ut plurimi prodiderunt Scriptores. Et qvidem XXX illorum annorum poſtremis novem regnavit poſt victum Nabonnedum Babyloniæ Regem. Primus igitur illorum novem, hoc eſt, annorum triginta vigeſimus ſecundus eſt annus æræ Nabonazaréæ CCX. Ante Cyri novem poſtremos annos Nabonnedus, ultimus Babyloniæ Rex, regnavit XVII annis. Cujus igitur initium eſt in anno æræ Nab. CXCIII. Hactenus dubitare nihil eſt opus. Ante Nabonnedum regnârunt Nabuchodonoſorus, Evilmerodachus, Neriglisſares, & Laboroſoarchodus. Et his in Canône tribuuntur XLIX anni. Nam Nabuchodonoſoro tribuuntur XLIII, Evilmerodacho duo, Neriglisſaro qvatuor. Deducamus autem XLIX annos de CXCIII annis æræ Nabonazarèæ. Atqve ita intelligemus Nabuchodonoſori initium eſſe in anno ejuſdem æræ CXLIV, uti diximus. Si autem Evilmerodacho tribuamus

IIII qvin-

qvinqve annos, ſecundùm unam editionem Canonis Mathematici, & præterea Laboroſoarchodi menſes pro anno ponamus: ſumma conficietur LIII annorum. Qvam ſi deducamus à CXCIII annis æræ Nabonazoréæ qvorum ultimô Nabonnedum diximus cœpiſſe, initium Nabuchodonoſori intelligetur figendum eſſe in anno CXL ejuſdem æræ. An verò commodè hoc fieri poteſt? Nabopollaſſaro, Nabuchodonoſori parenti, ſcimus in Canone tributos eſſe XXI annos. Si igitur Nabuchodonoſori initium eſt in dicto anno CXL: Nabopollaſſari initium fuerit in anno CXIX æræ Nabonazaréæ. At hoc non poteſt. Eſſe illud initium in anno ejus æræ CXXIII, & ex Canone ſcimus, & ex Ptolemæi demonſtrationibus. Qvid modò igitur igitur? Credere licet, Nabopollaſſaro in Canone plures annos eſſe tributos, qvàm tribui debebant. Tributi ſunt XXI. Debebant autem tribui XVII modò. Si XVII modò tribuantur, nihil prohibet, qvô minùs Nabuchodonoſori initium ſit in dicto CXL anno; & Nabopollaſſari in anno CXXIII.

XXIX. Licet autem Nabopollaſſaro plures annos in Canone dicamus tributos eſſe, qvàm tribui ei bebebant: non tamen exiſtimamus, XXII modò annis regnâſſe eum in univerſum. In nobili Beroſi fragmento, qvod Joſephus in libro I. c. Apionem ſervavit, proditum ſcimus, Nabopollaſſarum regnâſſe XXIX annis. Ipſa Beroſi verba ſunt: τῷ τε πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβοπολλασάρῳ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀῤῥωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βε-

βασιλευκότι εἰκοσιεννέα. *Sub id tempus* (cùm Nabuchodonoſorus in tranſeuphratenſia à Nabopollaſaro miſſus, plurima eorum in ſuam poteſtatem denuò redegiſſet) *evenit, ut pater Nabopollaſarus, cùm morbum contraxiſſet, in urbe Babylone de vita decederet, poſtqvàm regnârat annos* XXIX. Sic qvidem in primo c. Apionem Beroſi verba leguntur. In decimo Ἀρχαιολογίας autem reperimus ſcriptum *εἴκοσι ἓν viginti & unum.* Qvem numerum & Rufini verſio habet: & ex verbis iſti lectis in Canonem Mathematicum idem ille fortaſſis eſt tranſlatus. Qvamvis autem poſterior hæc ſcriptio antiqva ſit: perperam tamen procul dubio ea eſt facta. Prior verò, qvæ in primo c. Apionem extat, optimè ſe habere deprehenditur. Nam & in ſacris literis talia extant, ex qvibus non ſolùm illud colligere licet, Nabopollaſſarum integris XXIX annis regnâſſe, ſed hoc qvoqve, regnâſſe eum XVII annis ſolùm, ceteris verò duodecim unà cum eo regnâſſe filium ejus Nabuchodonoſorum. Qvæ indigitamus, ſunt verba qvædam Prophetæ Ezechielis, qvæ in ejus volumine omnium ſunt prima. Habent verò ita: *Et factum eſt in triceſimô annô, in qvartô menſe, in qvintâ die menſis, cùm eſſem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones* DEI. *In qvintâ menſis, ipſe eſt annus qvintus tranſmigrationis Regis Jojachin, factum eſt verbum* DOMINI *ad Ezechielem.* Ex his utiqve apparet, cùm qvintus à deportatione Jechoniæ laberetur annus, lapſum unà fuiſſe annum qvendam trigeſimum. Hunc

verò

verò trigeſimum annum non temerè licet credere, aliâ de causâ trigeſimum eſſe dictum, qvàm qvòd trigeſimus alicujus Regis imperii eſſet. Neqve deeſt aliud ejus rei exemplum, memorari in Scriptura, qvôdam alicujus Regis annô qvidpiam eſſe factum, nec tamen ipſum Regis nomen eſſe expreſſum. Nimirum in principio libri Nehemiæ reperimus, Hananim ex Palæſtinâ veniſſe Suſa annô viceſimô. Nomen autem illius Regis, cujus iſte annus viceſimus fuit, adſcriptum non reperimus. Intelligi tamen facilè licet, viceſimum iſtum annum fuiſſe Arthaſaſtæ Perſarum Regis. Porrò autem diſpiciamus de ipſo Rege, cujus iſte annus potuit dici trigeſimus. Zedekiæ Regis Palæſtinæ non potuit trigeſimus dici. Is enim XI modò annis regnavit. Et tùm, cùm qvintus à deportatione Jechoniæ annus agebatur, Zedekiæ itidem qvintus modò fuit actus. Sed nec Nabuchodonoſori iſte annus potuit trigeſimus dici. Ejus enim duodecimum modò tum fuiſſe actum, ex eo ſcimus, qvòd primus ejus connectitur cum qvartô Jojakimi, qvódqve Jechoniam idem Rex in poteſtatem ſuam redegit, ac in Babyloniam deportavit annô imperii ſui octavô. Aliorum verò Regum, qvi nec Palæſtinæ, nec Babyloniæ Reges eſſent, annum iſtum trigeſimum fuiſſe dictum, prorſus eſt improbabile. Qvid enim cauſæ Ezechieli, in Babyloniâ inter deportatos tum verſanti, credemus fuiſſe, ut, cùm χρηματίζειν ſuum exponere vellet, cum ſcriberet factum temporibus talium Regum, in qvorum ditione, nec ipſe, nec gens Hebræa eſſet? Cùm igitur aliter non liceat, credendum ſanè eſt trigeſimum iſtum annum eſſe

Nabopollaſſari, ejus Babyloniæ Regis, qvi Nabuchodonoſorum anteceſſit, hujuſqve parens fuit. Qvod ſi facimus, connectendus omninò eſt trigeſimus annus Nabopollaſſari cum duodecimo Nabuchodonoſori. Nam trigeſimus iſte in verbis Ezechielis connectitur cum qvinto à deportatione Jechoniæ. Et ſic igitur facilè intelligitur, qvàm verum illud ſit, qvod paulò antè diximus, Nabopollaſſarum XVII modò annis regnâſſe ſolùm: duodecim verò poſtremis regni conſortem habuiſſe filium ſuum Nabuchodonoſorum. Habuiſſe autem Nabopollaſſarum aliqvot annis regni conſortem filium ſuum, liqvidò etiam apparet ex aureo fragmento Beroſi, cujus paulò antè partem produximus. Ut tota res rectiùs intelligatur, adſcribam paulo plura, ſed in Latinum ſermonem verſa: *Cùm audiſſet pater ejus Nabopollaſarus, eum, qvi in Ægypto Syriaqve Cœle & Phœnice præpoſitus fuerat, Satrapen defeciſſe, ipſe ferendis laboribus per ætatem impar, filio Nabuchodonoſoro adhuc juveni tradidit partem exercitus, ut deſertorem bellô peteret. Hic autem, cùm eum aggreſſus eſſet præliô, ipſum cepit, regionemqve omnem iterùm ſub imperium redegit. Sub id tempus evenit, ut pater Nabopollaſſarus, cùm morbum contraxiſſet, in urbe Babylone de vitâ decederet, poſtqvàm regnâſſet annis* XXIX. *Nabuchodonoſor poſt id, ſimul patris morbum intellexit, rebusqve Ægypti vicinarumqve gentium benè ordinatis, amico cuidam commiſit captivos ex Judæis, Phœnicibus ac Syris, & ex Ægypti populis, unde cum exercitu, rebuſqve aliis ſervari dignis, deportandos Babylonem. Ipſe cum comitibus paucis breviore*

vlore per deſertum viâ Babylonem ſe contulit. Ibi cùm reperiſſet res à Chaldæis adminiſtrari, & ipſum regnum aſſervari ab eorum potiſſimo, totum patris, qvod fuerat imperium adeptus eſt, captiviſqve conſpectis juſſit illis idoneas per Babylonicum imperium colonias aſſignari. Ipſe verò de belli manubiis Beli, aliaqve templa ornavit &c. Supra diximus, Nabuchodonoſori parentem in fragmento Beroſi Nabulaſſarum appellari, & omiſſam eſſe à Beroſo mediam compoſitionis partem. Et verum utiqve eſt, ut in Joſepho iſtuc fragmentum legimus, Nabulaſſarum in eo appellari. Nunc tamen malimus ſtatuere, non ab ipſo Beroſo omiſſam eſſe mediam compoſitionis partem, ſed à librariis neglectam. Rectè enim Joſephus Scaliger ex Euſebio videtur reſtituiſſe integrum nomen *Nabopollaſarus*, qvod in Ptolemæo, & in Canone Mathematico legimus.

XXX. Poſſit ſuper iſtis, qvæ de annis Nabopollaſſari diximus, dubium oriri. Qvod igitur poſtremò omnium eximemus. Diximus ſanè, Nabopollaſſarum XXIX annis regnâſſe, & cùm XVII annis ſolus regnâſſet, duodecim poſtremis annis eum imperii conſortem habuiſſe. Deinde in verbis Ezechielis diximus intelligi trigeſimum Nabopollaſſari annum. Ex qvo colligat qviſpiam, Nabopollaſſaro à nobis tribui triginta annos, id qvod prioribus iſtis parum ſit conſentaneum. Sciendum igitur, licere credere, Nabopollaſſarum regnâſſe integris XXIX annis, huncqve integrorum annorum numerum à Beroſo eſſe expreſſum: regnâſſe verò paulò etiam ampliùs, aliqvot puta menſibus poſt XXIX an-

num, iſtóſqve menſes, qvi ſanè trigeſimi anni Nabopollaſſari pars fuiſſent, ſi is fuiſſet expletus, intelligi ab Ezechiele, cùm hic ſcripſit, χξηματιϛμὸν ſuum trigeſimô annô Nabopollaſſari eſſe factum. Sic Beroſus annos integros numeraverit; non etiam inchoatos. Ezechiel verò eum qvoqve, cujus modò partem exegit Nabopollaſſarus. Scimus Beroſum & alterius Regis annos modò integros numerâſſe; non menſes qvoſdam, qvi fuerunt poſt iſtos annos. Nabuchodonoſoro nimirum Nabopollaſſari filio tribuit Beroſus XLIII annos, qvot ex ſacris qvoqve literis poſſe colligi ſuprà diximus. Sed ex initio Evilmerodachi, de qvo eſt in Jeremiæ LII. capite, Viri docti colligunt, Nabuchodonoſorum VII ferè menſibus ultra XLIII annos regnâſſe. Sed de argumento, qvod tractare inſtitueramus dictum fortâſſe nobis eſt plus ſatis.

EXER-

EXERCITATIO
TERTIA,

Qvâ de Tempore agitur, qvô Templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuit.

ILluſtris & incomparabilis Vir Joſephus Juſtus Scaliger, cujus operâ admirabilis curſus in multifariam literaturam, præcipuè verò in temporum ſupputationem eſt factus, inter alia, qvæ accuratiſſimè ipſe demonſtravit ac alios docuit, ἀναντιῤῥήτως demonſtrâſſe ſibi viſus fuit, inſtaurationem templi Hieroſolymitani auſpiciis Darii Nothi, Perſarum Regis; neqvaqvam verò Darii Hyſtaſpis, Perſarum itidem Regis, fuiſſe factum. Dici non poteſt, qvantopere Vir maximus iſtam ſuam ſententiam propugnârit, eoſqve, qvi diverſum ſenſerunt, increpârit. Qvicqvid etiam elegantiorum hominum vel cum ipſo, vel poſt ipſum vixit, id ferè omne, ut in aliis qvamplurimis, ita in his qvoqve meritiſſimò aſſentiendum: diſſentire verò ſupervacuum & tantùm non temerarium judicavit. Nos cùm plurimam Viri maximi doctrinam lubentes meritóqve amplexi eſſemus, fieri tamen non potuit, qvin ad ſententiam, qvæ dictæ Scaligeri adverſa eſt, qvæqve ante ipſum

ipſum ſeculis multò plurimis obtinuerat, ſubinde reflecteremus oculos. Neqve verò movere nos poterat, qvòd Vir maximus in diſſentientes pauló graviùs fuit invectus, & acerbè eos increpavit. Perſvaſi qvippe ſumus, ipſum feciſſe id qvandoqve immeritò, & ubi ſatis cauſæ, qvamobrem faceret, non extiterit. Fit adeò in præſentiâ, ut dum exercitium academicum inſtituere nobis libet, iſtuc argumentum pro noſtrâ tenuitate capiamus nobis expendendum. Hoc autem dum faciemus, temporum accuratiſſimam ſeriem, qvam Ill. Scaliger in ſcriptis ſuis nobis expoſuit, neqvaqvam turbabimus: ſed diſpecturi modò ſumus, cujus Perſarum Regis temporibus, & qvotô regni annô unica res, inſtauratio puta templi Hieroſolymitani, facta eſſe ſit putanda.

II. Sethus Calviſius, Chronologus in primis ſanè habendus, ubi annum, qvô inſtauratio templi Hieroſolymitani fuit facta, inveſtigare inſtituit, inter alia ſcripſit iſta: *Chronologi pleriqve ſtatuunt, templum ſecundum à Zorobabele inſtauratum eſſe annô ſecundô Darii Hyſtaſpis Perſarum Regis, vaticinantibus ſimul duobus Prophetis Haggæô & Zachariâ. Opinio hæc de tempore inſtaurati templi originem ſuam trahit ex Joſepho hiſtorico, qvem ſecutus poſtea eſt Euſebius, & Euſebium alii Chronologi. Et qvidem horum omnium tanta eſt autoritas, ut iis contradicere velle temeritas qvibuſdam videri poſſit. Sed tamen, cùm neminem alium habeant, qvem ſeqvantur, qvàm Joſephum, age conferamus Joſephum cum S. Scripturâ.* Horum partim veriſſima ſunt; partim verò

verò aliter ſe habent. Veriſſimum id eſt, pleroſqve Chronologos ſtatuere, inſtaurationem templi Hieroſolymitani eſſe factam ſecundô Darii Hyſtaſpis annô. Ut eos prætermittam, qvi ſuperioribus proximis ſeculis vixerunt, ex veteribus ſunt iſti: Joſephus l. XI. *ἀρχαιολογίας* cap. IV. & I. c. Apionem, Clemens Alexandrinus l. *στρωματέων*, Euſebius in Chronicis, Hieronymus Commentar. in Haggæum & Zachariam, Auguſtinus lib. XVIII. de Civ. DEI c. XXVI. Baſilius Seleucienſis *ἀποδείξει κατὰ Ἰουδαίων περὶ τῆς τοῦ σωτῆρος παρουσίας*, Theodoretus Comm. in Hagg. & Zachariam. In eo autem Vir clariſſimus manifeſtè falſus fuit, quòd exiſtimavit, ſolius Joſephi autoritate ſtare eos, qvi ſtatuunt, inſtaurationem templi Hieroſolymitani non ſecundô annô Darii Nothi; ſed ſecundô alterius Darii fuiſſe factam.

III. In ſecundo anno Darii cujusdam, qvô DEUS templi inſtaurationem fieri ſerio voluit, divinus Phropheta Zacharias per qvietem vidit Angelum, hùncqve conqverentem audivit hiſce verbis: יהוה צבאות עד מתי אתה לא תרחם את ירושלם ואת ערי יהודה אשר זעמתה זה שבעים שנה: *Domine exercituum uſqveqvò non miſereberis Jeruſalem & urbium Judæ, qvibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Legere ea licet in Zachariæ c. primo v. 12. Latina verba deprompta ſunt ex vulgata verſione: & habentur etiam eôdem modô in verſione ac commentariis S. Hieronymi. Velimus nos, poſtrema paulùm immutari, hôc modô: *Qvibus iratus fuiſti his*

LXX

LXX annis ? Ex iſtis igitur verbis diſcimus utiqve, tùm temporis, cùm Zacharias ea audivit, hoc eſt, ſecundô annô alicujus Perſarum Regis, cui Dario nomen fuit, elapſos fuiſſe ipſos LXX annos, ex qvo DEUS Hieroſolymorum, aliarumqve Palæſtinæ urbium non fuerat miſertus, hoc eſt, ex qvo Hieroſolyma, atqve adeò auguſtiſſimum templum, qvod in illis fuerat, exuſtum, neqve novum exædificatum rurſus fuerat. Expreſſit Angelus qverelas ac deſideria illorum hominum, qvi iſtis temporibus degebant in Palæſtina. Hi qvidem divinâ ope agnoſcebant ſe ex Babyloniâ reductos eſſe in priſtinas ſedes. Sed habebant tamen, qvæ graviter adhuc dolerent, iſtas nimirum parietinas, qvas Nabuchodonoſori olim fecerant milites, ſuis adhuc obverſari oculis, neqve licere ſibi vel templum rurſus exſtruere, vel urbes mœnibus cingere. Atqve hoc etiam dolebant magis, qvòd, cùm permiſſu atqve adeò hortatu Cyri in Palæſtinam reduces eſſent facti, permiſſum etiam fuerat ab eodem Rege, ut unum maximè exſtrueretur templum: poſteà verò à malevolis Cuthæis opus impeditum fuerat, ipſiqve ſpe ſuâ miſerandum in modum exciderant. De machinationibus Cuthæorum ſcribit Eſdras in cap. qvarto, v. 5. his qvidem verbis: *Conduxerunt* (Cuthæi) *adverſus eos*, (Iſraëlitas) *ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri, Regis Perſarum, & uſqve ad regnum Darii, Regis Perſarum.* Ceterùm, cùm qverelam Hebræi populi exponentem Angelum audiviſſet Zacharias, idem eundem Angelum audivit referen-

ferentem qvoqve, qvid à DEO datum eſſet reſponſi. De eo verba Zachariæ in c. primo v. 14. hæc ſunt: *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur mecum: Clama dicens: Hæc dicit* DOMINUS *exercituum: Zelatus ſum ſuper Jeruſalem & Zion zelô magnô. v. 16. Revertar ad Jeruſalem in miſericordiis: domus mea ædificabitur in ea: & perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem. v. 17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit* DOMINUS *exercituum: Adhuc affluent civitates meæ bonis, & conſolabitur adhuc* DOMINUS *Zion, & eliget adhuc Jeruſalem.* In his promiſſum præcipuè eſt de templi exædificatione ac Hieroſolymorum reparatione in univerſum: deinde de aliarum qvoqve urbium futurâ affluentiâ ac nitore. Qvod igitur præcipuum erat, templum eôpſe annô, qvô iſte χρηματισμὸς obtigit Zachariæ, hoc eſt, ſecundô Darii, extrui cœptum, ac paucis poſt annis, hoc eſt, ſextô Darii exædificatum fuit. Satis ea ſunt obvia Haggæum, Zachariam, ac Eſdram legentibus. Sed & ipſa urbs cincta tandem mœnibus fuit, cùm iſtuc effectum permiſſu Artaſaſthæ in Palæſtinam veniſſet Nehemias, id qvod factum eſt viceſimô annô Artaſaſthæ, ut ex ſecundo capite Nehemiæ conſtat. Sed ex verbis Angeli apud Zachariam, qvæ primò omnium produximus, obſervandum præcipuè eſt, tùm, cùm ſecundus Darii annus ageretur, elapſos fuiſſe ipſos LXX annos, ex qvo DEUS Hieroſolymorum, ac ceterarum Palæſtinæ urbium non fuerat miſertus. Certè plures ab iſto tempore non potuerunt eſſe elapſi. Neqve enim ex his verbis,

Qvibus

Qvibus iratus fuiſti his LXX annis, aliud intelligi licet, qvàm LXX modò fuiſſe elapſos. Qvid autem id ſit, DEUM non miſertum eſſe Hieroſolymorum, ceterarúmqve urbium Palæſtinæ, neſcire nemo poteſt, niſi qvi hiſtoriæ illorum temporum prorſus expers ac ignarus fuerit. Nos perſpicuè expoſuimus antè: & dicimus qvoqve iterum, illa ῥήσει hoc ſignificari, DEUM LXX iſtis annis non effeciſſe, ut Hieroſolyma, aliæqve urbes Palæſtinæ, qvæ exuſtæ aut exciſæ à Nabuchodonoſore fuerant, priſtino nitori reſtituerentur, vel reſtitui ſaltem cœpiſſent.

IV. Porrò in qvarto anno ejusdem Perſarum Regis, cui Dario nomen fuit Zacharias gentem ſuam juſſus fuit affari hiſce verbis: *Cùm jejunaretis & plangeretis in qvinto & ſeptimo menſe* זה שבעים שנה *per hos LXX annos, nunqvid jejunium jejunâſtis mihi?* Leguntur ea in cap. VII. v. 5. Miſerant nonnulli qvæſitum ex Sacerdotibus ac Prophetis, an illud luctûs ac jejunii tempus, qvod ipſi ſibi præſtituerant Hebræi, ac qvotannis menſe qvintô obſervârant, obſervare oporteret ampliùs. Occaſio qvidem dubitandi orta ex eo fuit, qvòd templum ferè exædificatum tum temporis videbant, reſqve ſuas cœpiſſe haud paulò meliùs ſe habere, qvàm habuerant anteà. Qvô fine autem ſtata illa luctûs ac jejunii tempora credemus præſtituta fuiſſe, niſi ut memoriâ recoleretur miſerabilis Hieroſolymorum & auguſti, qvod in iis fuit, templi excidii? Sanè qvintô menſe templum à Nebuzaradane exuſtum fuerat, uti legimus in II. Re-

gum

gum c. XXV. v. 8. Septimô autem menſe Gedalja Vir optimus, qvem Nabuchodonoſorus præeſſe juſſerat iis, qvos in Palæſtinâ reliqverat, â διεφθαρμένοις qvibuſdam fuerat interemptus, qvo de legere eſt in eodem capite v. 25. Cùm igitur ita qvæſitum eſſet, DEUS Zachariam juſſit ad id reſpondere. Ipſô autem reſponſô, qvod redditum fuit, id utiqve ſignificatum fuit, nón fuiſſe præceptum â DEO, ut ſtata iſta tempora obſervarent, idqve DEO adeò non placere, ut ſi non obſervarentur ſtata iſta tempora, eô ipſe graviter offenderetur: eſſe autem aliud, qvod ſeriò reqviratur à populo, ut nimirum pietati daret operam, atqve adeò præſtaret ea, qvæ præcepta eſſe, non poſſet ignorare. Hoc ipſum diſertiùs etiam expoſitum eſt in qvibuſdam verbis, qvæ in ſeptimo c. Zachariæ v. 16. itidem leguntur: *Hæc ait* DOMINUS *exercituum, dicens: Judicium verum judicate, & miſericordiam & miſerationes facite unuſqvíſqve cum fratre ſuo*, &c. Ceterum animadvertere licet, duo qvoqve alia tempora ab Hebræis inſtituta fuiſſe, qvibus memoria luctuoſorum, qvæ ipſis acciderant, itidem recoleretur, qvartum puta & decimum menſem. Apparet ex qvibuſdam verbis, qvæ ſunt in octavo cap. Zachariæ, verſ. 19. *Hæc dicit* DOMINUS *exercituum: Jejunium qvarti, & jejunium qvinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Judæ in gaudium, & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem (tantùm) & pacem diligite.* Qvænam autem fuerint luctuoſa iſta, qvæ qvartô & decimô menſe Hebræis eve-

nerant, qvorumqve memoriam illis ipſis menſibus qvotannis ipſi recoluerunt, ex ſacris literis itidem licet intelligi: qvartô qvidem ſanctam urbem à Babyloniis fuiſſe expugnatam: decimô autem ab iisdem obſideri primùm cœptam. De priori legere eſt in Jeremiæ c. XXXIX. de poſteriori in ſecundo Regum c. XXV. Nunc cogitemus, qvot annis ſtata illa luctûs ac jejunii tempora Hebræi obſervârint. Verba, qvibus Zacharias reſpondere juſſus eſt, hæc ſunt: *Cùm jejunarêtis in qvinto & ſeptimo menſe per hos LXX annos, nunqvid jejunium jejunâſtis mihi?* Ex his apparet utiqve, annô qvartô Darii, qvô iſta pronunciata ſunt, elapſos fuiſſe LXX annos, ex qvo tempora iſta obſervare cœperant. Qvia igitur conſtat, per ſeptuaginta annos memoriam qvadruplicis iſtius, qvam diximus, calamitatis qvotannis recoluiſſe Hebræos, vero plus qvàm ſimile exiſtimamus eſſe, illos ipſos LXX annos non ab aliqvo tempore, qvod luctuoſa iſta centum aut amplius annorum intervallô inſecutum fuit, ſupputandos eſſe; ſed à tempore, qvod excidium Hieroſolymorum intervallô non longô fuit inſecutum, hoc eſt, qvô Judæi in Babyloniâ primùm verſari cœperunt. Cui enim credibile videbitur, poſt centum demum annos, qvi à tempore excidii Hieroſolymorum effluxerint, Judæis primùm in mentem veniſſe, qvòd memoriam dicti excidii qvotannis recoli oporteret. Monendum autem eſt, verba Zachariæ, qvæ ex ipſius libri c. VIII produximus, intelligenda eſſe κατὰ πλάτος. Si enim jam ſecundô annô Darii, ut in ſuperioribus eſt dictum, LXX anni

anni elapſi fuerunt, ex qvo Hieroſolyma fuerunt exuſta: ſanè qvartô ejuſdem Darii annô neceſſe eſt elapſos fuiſſe annos LXX, & paulò ampliùs.

V. Licet, credo, ſatis certò ſcire, tùm, cùm Zacharias χρηματισμὸν habuit, & templum cœptum fuit inſtaurari, elapſos fuiſſe LXX annos, & non amplius, ex qvo Hieroſolyma exuſta fuerant: tùm qvoqve, cùm Zacharias genti ſuæ reſpondit, cùmqve templum exædificatum ferè eſſet, elapſos fuiſſe LXX annos, & paulò amplius. Scimus verò & hoc, habuiſſe Zachariam χρηματισμὸν ſecundô annô alicujus Perſarum Regis, cui Dario nomen fuerit: ſuæ autem genti reſpondiſſe annô ejuſdem Darii qvartô. Porrò igitur diſpiciendum nobis eſt, qvis fuerit Darius iſte, cujus temporibus Zacharias χρηματισμὸν habuit, & templum fuit inſtauratum. Ex hiſtoria ſcimus, tres fuiſſe Perſarum Reges, qvibus iſtuc nomen fuerit, primum qvidem Hyſtaſpis fuiſſe filium, & regnare cœpiſſe, cùm Magus Smerdis interemptus eſſet: alterum Artaxerxis Longimani fuiſſe filium, & Nothum dici à Græcis hiſtoricis: tertium poſtremum fuiſſe Perſarum Regem, & ab Alexandro victum. Poſtremum illorum trium eſſe eum Regem, cujus temporibus prædicta illa evenerint, nemo ſanè dixerit. Ill. Scaliger, qviqve eum ſecuti ſunt, Darium Nothum crediderunt intelligi. Nos contra ea ſine hæſitatione dicimus, Darium Hyſtaſpis eſſe eum Regem, cujus ſecundô annô Zacharias χρηματισμὸν habuit, & tem-

plum cœptum fuit inſtaurari. Si ſecundum iſtum annum ſecundum Darii Hyſtaſpis credimus eſſe, omnia rectè ſe habent. Licet enim ex hiſtoria demonſtrare, tùm, cùm ſecundus annus Darii Hyſtaſpis actus fuit, elapſos fuiſſe ipſos LXX annos, ex qvo excidium Hieroſolymorum fuerat factum. Si verò ſecundum iſtum annum credemus Darii Nothi ſecundum eſſe, uti Scaliger, Calviſius, Behmius, plurimiqve alii crediderunt, credendum utiqve ſimul eſt, tùm, cùm ſecundus iſte annus, qvô templum cœpit inſtaurari, ageretur, non LXX modò elapſos fuiſſe annos; ſed centum & multo ampliùs. Ut res abundè intelligatur, ἀπλούστερον argumentamur hunc in modum: Cujus Darii ſecundô annô non ampliùs LXX anni elapſi fuerunt, ex qvo Hieroſolyma fuerunt exuſta, is hic eſt, cujus temporibus templum fuit inſtauratum. Darius Hyſtaſpis eſt iſte Darius, cujus ſecundô annô non ampliùs LXX anni fuerunt elapſi, ex qvo Hieroſolyma exuſta fuerunt. Darius Hyſtaſpis igitur eſt iſte Rex, cujus temporibus templum inſtauratum fuit. Qvin ſi maximè nomen Regis non eſſet adſcriptum, qvemadmodùm principiô libri Ezechielis, & libri Nehemiæ; & modò proditum eſſet, tùm, cùm templum inſtauratum fuit, elapſos fuiſſe ipſos LXX annos, ex qvo Hieroſolyma exuſta fuerant: ſatis nihilô ſecius intelligi liceret, templum inſtauratum fuiſſe temporibus Darii Hyſtaſpis, & ſecundô qvidem ejus annô. Poſſet enim colligi hunc in modum: Rex Perſarum, cujus ſecundô annô elapſi fuerunt LXX anni, & non ampliùs, putandus eſt hic

eſſe, cujus temporibus, atqve adeò ſecundô annô templum cœptum fuit inſtaurari. Darius Hyſtaſpis fuit iſte Perſarum Rex, cujus ſecundô annô elapſi fuerunt LXX anni, & non ampliùs. Darius Hyſtaſpis igitur putandus eſt hic eſſe, cujus temporibus atqve adeò ſecundô annô templum inſtaurari cœptum fuit. Primas ſive majores illarum argumentationum λήψεις putamus iis, qvæ paulò antè diſſeruimus, ſatis ſuperqve probatas eſſe. Qvemadmodùm autem ab iſto tempore, qvô Hieroſolyma ſunt exciſa, ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis numerari poſſint LXX anni: qvodqve inter idem excidium & ſecundum annum Darii Nothi multò plures, qvàm LXX intercesſerint, operæ etiam pretium fuerit brevi oſtendere.

VI. Euſebius Cæſarienſis ſcripſit in Chronicis, excidium Hieroſolymorum ſecundô annô Olympiadis XLVII, hoc eſt annô Iphiti CLXXXVI eſſe factum. Sive ſedulò diſpectû inſtitutô, ſive caſu, qvod Ill. Scaliger exiſtimavit, eò delatus fuerit Euſebius, nobis perinde ſit in præſens. Et ſufficiat nobis, qvòd iſtuc Euſebii pronunciatum minimè improbavit Scaliger: qvódqve idem ille ac alii bonis rationibus id demonſtrârunt. Sumemus igitur id nobis, excidium Hieroſolymorum annô Iphiti CLXXXVI finiente eſſe factum. Porrò Cyrus, primus Perſarum Rex regnare cœpit annô primô Olympiadis LV, hoc eſt, annô Iphiti CCXVII. Id prodiderunt plurimi Scriptores, Diodorus Siculus, Thallus, Caſtor, Polybius, Phlegon. Deducantur nunc CLXXXVI anni Iphiti de

CCXVII annis. Sic relinqventur XXXI anni. Et hi primò ponantur. Adjiciantur deinde XXIX anni, qvi Cyri primum ſunt ſecuti. Cyrus enim in univerſum regnavit XXX annis, ut prodiderunt Cteſias, Cicero, Juſtinus, aliiqve. Ampliùs verò adjiciantur VII anni Cambyſis, & unus prætereà, qvi conficiatur ex qvinqve menſibus Cambyſis, qvibus is ultra VII annos regnavit, & ex ſeptem menſibus Smerdis, qvi imperium aſtu occupavit. Addantur deniqve primus ac alter annus Darii Hyſtaſpis, cui poſt interemptum Magum ceſſit imperium. Atqve ita ſatis apparebit, ab eo tempore, qvô excidium templi fuit factum, ad ſecundum Darii Hyſtaſpis LXX annos & non ampliùs numerari. Si etiam ad annos æræ Nabonazaréæ attendamus, idem iſtud facilè apparebit. Nabuchodonoſori, Babyloniæ Regis, initium eſt in anno æræ Nabonazaréæ CXL, ut demonſtravimus ſuperiore diatribâ. Ejus Regis annô decimô nonô ineunte exuſta urbs fuit. Qvod idem factum igitur fuit annô CLVIII æræ Nabonazaréæ. Secundus autem Darii Hyſtaſpis annus, connectendus eſt cum anno ejusdem æræ CCXXVIII. Nam ſeptimum Cambyſis Ptolemæus demonſtravit fluxiſſe unà cum anno æræ Nab. CCXXV. Deducantur nunc CLVIII anni æræ Nab. de CCXXVIII. Qvod ubi factum erit, ſumma remanebit LXX annorum, tot puta, qvot ab excidio templi ad ſecundum Darii Hyſtaſpis colligere oportebat. Si autem credendum eſt, ſecundô Darii Nothi annô templum fuiſſe inſtauratum: inter excidium templi & ejus inſtaura-

tionem multò plures, qvàm LXX anni interceſſerint. Nam Darius Hyſtaſpis poſt ſecundum regni ſui annum, qvô templum inſtauratum diximus, XXXIV adhuc annis regnavit. Darium Hyſtaſpis excepit Xerxes: iſqve regnavit XXI annis. Xerxi ſucceſſit Artaxerxes Longimanus, regnavitqve XLI annis. Artaxerxem iſtum, ſecutus demum fuit iſte Darius, qvi ab hiſtoricis Nothus appellatur, cujusqve temporibus templum inſtauratum fuiſſe Ill. Scaliger exiſtimavit. Colligere qvidem licet ex iſtis annis, qvi inter ſecundum Darii Hyſtaſpis, & ſecundum Darii Nothi interceſſerunt, ſummam XCVII annorum. Cui ſummæ ſi addantur LXX anni, qvos ab excidio templi ad ſecundum Darii fluxiſſe diximus, fit ſumma CLXVII annorum. Si igitur credimus ſecundô annô Darii Nothi templum fuiſſe inſtauratum, interceſſiſſe neceſſe eſt inter excidium templi & ejuſdem inſtaurationem CLXVII annos. At interceſſerunt LXX non ampliùs anni, ut ſuprà abundè demonſtravimus. Qvare ſecundum annum Darii Nothi minimè credendum eſt annum iſtum eſſe, qvô templum inſtauratum fuit.

VII. Illa ipſa Zachariæ verba, qvæ nos produximus, produxerat jam olim ad idem probandum Euſebius Pamphili. Nimirum ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis χρονικῷ κανόνι pag. 151. edit. Scal. notavit iſta: περὶ δὲ τοῦ μέχρι δευτέρου ἔτους Δαρείου τὸ ο τῆς ἐρημίας τοῦ ἱεροῦ ἔτος παρατεῖναι, μάρτυς ἐχέγγυος προφήτης Ζαχαρίας, ἔτους δευτέρου Δαρείου εἰπών, Κύριε παν-

παντοκράτωρ, ἕως τίνος ού μὴ ἐλεήσεις τὴν Ιερουσαλὴμ καὶ τὰς πόλεις Ιούδα, ἃς ὑπερεῖδες τοῦτο ο ἔτος; *Quòd autem ſeptuageſimus annus deſolationis templi alterô annó Darii fuerit expletus*, (uſqve ad alterum annum Darii pertingat) *domeſticus* (idoneus, fide dignus) *teſtis eſt Zacharias Propheta, ſecundô annô Darii ita dicens: Domine omnipotens, qvouſqve non miſereberis Jeruſalem & civitatibus Juda, qvas deſpexiſti? hic ſeptuageſimus annus eſt.* Produxerat etiam Euſebius, ut ὁμόψηφον ſibi, Clementem Alexandrinum, cujus ſint iſta: Καὶ ἔμεινεν ἡ αἰχμαλωσία ἔτη ο, καταλήξασα εἰς τὸ β ἔτος Δαρείου τοῦ Υστάσπου. Hieronymus iſta Euſebii interpretatus eſt, & ipſe qvoqve eandem ſententiam tenet in propriis. Ejus in Zachariam commentarii prima verba hæc ſunt: *Secundò annô Darii filii Hyſtaſpis ſeptuageſimum deſolationis templi annum, qvi ab Hieremiâ prædictus eſt, fuiſſe completum, ipſe Zacharias teſtis eſt, dicens: Domine exercituum, uſqveqvo non miſereberis, &c.* Ill. autem Scaliger in Animadverſionibus in Euſebium pag. 91. contra ea ita exclamat: *Atqui non eſt locus, qui pertinaciæ magis petat jugulum, qvàm iſte.* Addat idem ille rationes: *Non enim Angelus loqvitur de annô ſeptuageſimô deportationis, ſed qvòd ab edicto Cyri toties Judæa gens à finitimis infeſtata fuerit, ut nullas urbes tutò habitare, nullos muros excitare, facultas ei data fuerit: quô intervallô, qvod eſt annorum CVI, per ultimos LXX annos nullum non calamitatis genus experta fuerit, ut nullas urbes in Judæa inſtaurandi copia facta ſit.* Et aliqvibus inter-

interjectis: *Anni igitur illi ſeptuaginta, de quibus agit Angelus apud Zachariam, incipiunt à 30 aut 29 anno Darii Hyſtaſpis, cùm Hebræi duriter à finitimis haberentur, ut diſertè extat Eſr. IV. v. 5. & duriùs adhuc habiti mortuô Dariô ineunte imperiô Artaxerxis ibid. v. 6.* Ceterùm etiam in diſſentientes graviter invehitur Ill. Scaliger, in verbis, qvæ proximè inſeqvuntur. Ἀλλὰ τὰ μὲν τετύχθαι ἐάσομεν ἡμεῖς.

VIII. Nos iſtis Scaligeri adeò adduci non poſſumus, ut verba Zachariæ dimittamus, iiſqve alteram ſententiam firmari non ampliùs credamus, ut miremur etiam, alios adduci potuiſſe, ut in Scaligeri ſententiam pedibus irent, alteram verò rejicerent prorſus. Sanè illa Scaligeri interpretatio, qvâ meliorem à nemine proferri poſſe ipſe pronunciavit, à mente ſacri Scriptoris nobis valde videtur aliena. Statuit Scaliger, id qveri Angelum, & in eo verborum ipſius vim eſſe poſitam, qvòd ab illo tempore, qvô edictum Cyri eſt editum, aliqvoties Judæa gens à finitimis fuerit infeſtata. At à dicto tempore uſqve ad ſecundum Darii Nothi annum effluxerant CVI anni, ut ipſe Scaliger computat. Cur igitur Angelus non dicit *his CVI annis*, ſed *his LXX annis*? Addit Ill. Scaliger, Angelum præterea id indigitare, Judæos per CVI annorum poſtremos ſeptuaginta, qvi incipiunt à trigeſimô aut vigeſimô nonô Darii Hyſtaſpis anno, valdè duriter habitos, nullúmqve non calamitatis genus expertos fuiſſe, & Angelum adeò non immeritò dixiſſe *his LXX annis*. Hæc ita commodè excogitâſſe ſibi viſus fuit Ill. Scaliger.

Nos contra ea perſvaſiſſimi ſumus, verborum Angeli neqvaqvam vim illam eſſe. Ante autem, qvàm verba Scaligeri preſſiùs conſideremus, profitendum nobis eſt, non probari nobis per omnia, qvæ ex Euſebio, Clemente & Hieronymo paulò antè produximus. Qvòd Euſebius credidit, *ὁμόψηφον* ſe habere Clementem Alexandrinum, id videtur minùs rectè ſe habere. Qvippe Clemens non ſcripſit, *ἐρημίαν τοῦ ἱεροῦ* deſiiſſe ſecundô annô Darii Hyſtaſpis, ſed *τὴν αἰχμαλωσίαν* illô annô deſiiſſe. Η *αἰχμαλωσία* verò ex mente Clementis tum facta eſt, cùm Jojachinus deportatus fuit. *Ipſa* Clementis verba hæc ſunt: Τοῦ ἑνδεκάτου τείνην ἔτους πληρουμένου κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐπομένου, βασιλεύοντος Ἰωακεὶμ (Jojachinum ſive Jechoniam intelligit) ἡ αἰχμαλωσία εἰς Βαβυλῶνα γίνεται ὑπὸ βασιλέως Ναβουχοδονόσορ. Καὶ ἔμεινεν ἡ αἰχμαλωσία ἐπὶ ἔτη ἑβδομήκοντα, καταλήξασα εἰς τὸ δεύτερον ἔτος τῆς Δαρείου τοῦ Υστάσπου βασιλείας. Qvòd verò Clemens ſcripſit, captivitatem cœpiſſe tùm, cùm Jechonias deportatus fuit: deſiiſſe autem ſecundô annô Darii Hyſtaſpis, id utrúmqve eſt falſum. Prius iſtorum falſum eſſe demonſtravimus in ſuperiore diatriba. Falſum autem eſſe & poſterius, in proclivi eſt oſtendere. Sanè de LXX annis *τῆς αἰχμαλωσίας captivitatis* prædixerat divus Hieremias cap. XXV. & XXIX. Sed omnes eos jam elapſos fuiſſe, cùm iſte Cyri annus ageretur, qvi in ſacris literis ejus primus dicitur, liqvidò apparet ex poſtre-

mis

mis libri II. Paralipomένων verſ. 22, & primis libri Eſdræ verbis v. 1, qvæ adſcribemus etiam: *In annô primô Cyri, Regis Perſarum, ut compleretur verbum DOMINI ex ore Jeremiæ, ſuſcitavit DOMINUS ſpiritum Cyri &c.* Si autem jam tum elapſi fuerunt LXX anni, qvos Jeremias determinaverat, cùm annus primus Cyri ageretur, utiqve tùm, cùm ſecundus Darii Hyſtaſpis ageretur, non elapſi fuerunt ipſi LXX anni, ſed multò plures. Nam inter Cyri ætatem ac Darii Hyſtaſpis regnum intercedit & iſtud intervallum, qvô Cambyſes & Smerdis regnârunt. Ab iſto autem Cyri anno, qvi in ſacris literis ejus primus dicitur, hoc eſt, ab ejus vigeſimô ſecundô ad poſtremum ejus aliqvot itidem annos numerare licet; novem puta. Ut ita intervallum illud, qvod à primo Cyri ad ſecundum Darii Hyſtaſpis numerare licet, XVIII ſit annorum. Et inter initium captivitatis ac ſecundum annum Darii Hyſtaſpis apparet XC ferè annos interceſſiſſe. Illud qvoqve, qvod S. Hieronymus ſcripſit, divum Jeremiam vaticinatum eſſe de LXX annis, qvorum finis ſit in ſecundo anno Darii Hyſtaſpis, omnino eſt falſum. Iſti LXX anni, qvos Jeremias determinavit, dubio procul jam tum elapſi fuerunt, cùm vigeſimus ſecundus annus Cyri ageretur, qvi in ſacris literis ejus primus dicitur, hoc eſt, XVIII annis ante ſecundum annum Darii Hyſtaſpis, uti verbis Jeremiæ jam demonſtravimus.

IX. Qvod Ill. Scaliger credidit, templum Hieroſolymitanum ſecundô annô Darii Nothi inſtauratum fuiſſe, id ipſe non tàm verbis Angeli

geli apud Zachariam, qvibus nos firmavimus noſtram ſententiam, qvàm ex Eſræ qvarto capite, & ex iis, qvæ in Danielis nono capite de LXX hebdomadibus leguntur, probare voluit. Angeli autem verba apud Zachariam cùm ſibi obverti videret ab adverſa parte, neceſſe habuit cogitare de verbis Angeli ita exponendis, ut ejus ſententiæ non adverſentur. Dixit igitur LXX annos, de qvibus in verbis Angeli, non incepiſſe ab eo tempore, qvô templum exuſtum fuit, ſed à vigeſimô nonô demum, aut trigeſimô Darii Hyſtaſpis, ut ita commodè ab eo tempore ad ſecundum annum Darii Nothi LXX annos numerare liceat. Sed Angelus conqveſtus fuit, qvòd DEUS non miſertus fuerit Hieroſolymorum & ceterarum urbium iſtis LXX annis. Cogitandum igitur Scaligero de tali re fuit, qvam proximis LXX annis ante ſecundum annum Darii Nothi extitiſſe diceret, ut ita DEUM omni iſtô tempore Hieroſolymorum non miſertum fuiſſe & Angelum de eo præcipuè qveri voluiſſe appareret. Dixit autem per iſtos LXX annos, qvi à vigeſimô nonô Darii Hyſtaſpis ad ſecundum Darii Nothi fluxerunt, Iſraëlitas perqvàm duriter fuiſſe habitos, hoc eſt durius, qvàm anteà. Hoc deinde, qvod ita cogitavit, firmare voluit divi Eſræ verbis, qvibus qvippe idem illud dicatur, qvod verbis Angeli apud Zachariam, Iſraëlitas per LXX annos, qvi in ſecundo Darii Nothi deſinant, à XXIX autem, aut XXX Darii Hyſtaſpis, incipiant, graviùs fuiſſe infeſtatos qvàm anteà. Id igitur concedi ſibi voluit, in verbis Eſræ, qvæ ſunt in cap. IV.

illa verſ,

verſ. 5. 6. 7. & 24, intelligendos eſſe illos Perſarum Reges, qvos ipſe intelligit, hoc eſt, Cyrum, Darium Hyſtaſpis, Xerxem, Artaxerxem μακρόχειρα, & Darium Nothum. De aliqvibus autem non immeritò qvis dubitaverit. Sed fingamus ſanè tantiſper, rem per omnia ſe ita habere. An vero qvicqvam in verbis divini Eſræ apparet cauſæ, qvamobrem anni, qvibus præcipuè impedita fuerit ex ædificatio templi, numerandi ſint à XXX aut XXIX Darii Hyſtaſpis anno? Qvid eſt, cur ſtatui debeat, annis, qvi ab edicto Cyri uſqve ad trigeſimum Darii annum effluxerunt, Iſraëlitas non æqvè duriter fuiſſe habitos? Sanè divini Eſræ in cap. IV. verſ. 5. 6. 7. hæc ſunt verba: *Conduxerunt* (hoſtes Juda & Benjamin) *adverſus eos* (Iſraëlitas) *ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, & uſqve ad regnum Darii Regis Perſarum. In regno autem* (& in regno, ex mente utiqve Scaligeri) *Aſſveri in principio regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Juda & Jeruſalem. Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam, Mithridates & Tabeël ad Artaxerxem accuſationem.* Intelligamus tantiſper, ut dixi, Reges, qvos intellexit Ill. Scaliger, Cyrum puta, Darium Hyſtaſpis, Xerxem, & Artaxerxem Longimanum. Non autem apparet ex iſtis verbis, qvod Scaliger dixit, ultimis Darii Hyſtaſpis annis, ac temporibus Xerxis & Artaxerxis duriùs fuiſſe habitos Iſraëlitas, qvàm imperantibus Cyrô & Cambyſe, & XXVIII annis Darii Hyſtaſpis. Tantùm id narrat divinus Eſras, ut imperante Cyrô, ita Aſſveri & Artach-

Artachſaſthæ temporibus Cuthæos ſuis accuſationibus effeciſſe, ut templum non fuerit exædificatum. Poſtremorum etiam Darii ſex ſeptemvè annorum, qvi incluſi ſunt ſeptuaginta illis, qvos Angelus apud Zachariam ex mente Scaligeri indigitat, prorſus nulla in verbis Eſræ apparet mentio. Nam iſta verba *uſqve ad regnum Darii*, non niſi initium regni ſignificare poſſunt. Si igitur Angelus de eo qveri voluiſſet, qvod Iſraëlitæ ſæpenumero impediti fuerint, poſtqvam ſemel ipſis, ut templum inſtaurarent, conceſſum fuerat, dixiſſet utiqve *bis CVI annis*. Nihil cauſæ apparet ex verbis Eſræ, ſi maximè ita, ut Ill. Scaliger volebat, intelligantur, qvamobrem credamus, imperantibus Cyrô & Cambyſe, atqve annorum Darii Hyſtaſpis maximâ parte, hoc eſt XXVIII annis Iſraëlitarum meliorem fuiſſe conditionem, qvàm poſtremis ſex ſeptemvè Darii, ac omnibus Xerxis & Artaxerxis annis.

X. Et ſanè verba Angeli apud Zachariam per ſe tam ſunt clara atqve illuſtria, ut ſi illa verborum Eſræ interpretatio, qvam Ill. Scaliger excogitavit, obtinere debeat, divini ſcriptores manifeſtè inter ſe committantur: utqve vel propter ſolum verborum Angeli τὸ σαφὲς dicta verborum Eſræ interpretatio admitti non debeat. Satis apparet intelligi in verbis Angeli omne tempus, qvô Hieroſolyma & aliæ Palæſtinæ urbes in ruinis jacuerant, eiuſqve initium ponendum eſſe in illo anno, qvô excidium urbis & templi fuit factum; non in aliqvo Cyri: multò minus vigeſimô nonô aut trigeſimô Darii Hyſtaſpis

ſtaſpis annô. Sed nunc porrò verba Eſræ exponemus ex noſtrâ mente. Eorum pars ita habet cap. IV. v. 5: *Conduxerunt* (populus terræ) *adverſus eos* (Iſraëlitas) *ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri uſqve ad regnum Darii.* Super hæc intellectus noſter ita fertur, ut credamus, Cuthæos præpediviſſe ædificationem templi, dum regnavit Cyrus, & ampliùs etiam uſqve ad regnum Darii: non potuiſſe autem præpedire ampliùs, cùm regnare cœpit Darius. Verba qvæ proximè inſeqvuntur, v. 6. 7. hæc ſunt: ובמלכות *&* (nam) *in regno Ahaſveri in principio regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Juda & Jeruſalem. Et in diebus Artaxerxis ſcripſerunt Beſelam, Mithridates, & Tabeël ad Artaxerxem &c.* Hæc αἰτιολογίαν ex noſtra mente continent ejus, qvod in ſuperioribus fuerat dictum. Significant, inqvam, hæc poſteriora, duos Reges, Ahaſverum & Artachſaſtham, regnâſſe inter Cyri ac Darii tempora, qvódqve Cuthæorum accuſationibus & ipſi moverentur, inſtaurationem templi concedere itidem noluiſſe. Atqve hoc commodè obſervavit Germanicus noſter interpres, B. Lutherus. Vertit enim: **Denn da Ahaſverus König ward.** Præfixum ו vim habere conjunctionis cauſalis, non ſanè inſolens eſt in ſacris literis. In Eſaiæ cap. XXXIX. v. 1. hæc leguntur: *Miſit Merodach literas ad Ezechiam*, וישמע *& audierat* (audierat enim) *qvòd ægrotaſſet, & convaluiſſet.* Secundo Regum cap. XX. v. 12. ubi eadem narrantur, ad ſignificandum idem illud, qvod וישמע

ſigni-

ſignificare debet, adhibitæ ſunt duæ voces, כי שמע *qvia audiverat.* Et ſatis igitur apparet, in dictis Eſaiæ verbis præfixum ו habere vim cauſalis particulæ. Eandem vim obtinet etiam in cap. XX. Geneſeos v. 3. *Ecce tu morieris propter hanc mulierem*, והיא *& ipſa* (ipſa enim) *juncta eſt marito.* In Eſræ verbis, qvæ nunc verſamus, non aliter ſignificare, ipſa verborum συνάφεια ſatis oſtendit. Cùm dictum eſſet, malevolos Cuthæos ſufflaminâſſe inſtaurationem templi omnibus Cyri annis, & ampliùs uſqve ad regnum Darii, cúmqve adeò finis illius impeditionis jam eſſet oſtenſus: dicitur deinde in ſeqventibus, malevolos ad Ahaſverum & ad Artachſâſthàm ſcripſiſſe accuſationem, ac Iſraëlitarum inſtitutum interturbâſſe. Neceſſe igitur eſt, poſteriora hæc facta eſſe ante illud tempus, in qvo finis ponitur dictæ impeditionis, hoc eſt, anteqvàm Darius rerum fuit potitus. Inconveniens ſanè eſſet, dici aliqvid factum aut impeditum eſſe uſqve ad regnum alicujus Principis, & tamen narrari idem eſſe factum, aut impeditum regnantibus illius ejuſdem Principis ſucceſſoribus. Ut igitur impeditio, qvæ regnantibus Ahaſverô & Artachſaſthâ eſt facta, ante Darii regnum facta eſſe intelligatur, neceſſe eſſe, ut præfixum ו vim habeat cauſalis conjunctionis, cuivis liqvere poteſt.

XI. Diſpiciendum porrò eſt, qvinam ſint illi Reges, qvorum uni Dario: alteri Ahaſvero: tertio Artachſaſthæ in verbis Eſræ nomen eſt. Ante omnia autem ſeriem, Regum Perſarum, prout ex ſcriptoribus τοῖς ἔξω ipſorum nomina

cuivis

cuivis ſunt nota, huc referemus, & , qvot annis ſinguli regnârint, id repetemus etiam. Cyrus in univerſum regnavit XXX: poſt devictum verò Nabonnedum Babyloniæ Regem IX annis. Ejus filius Cambyſes regnavit VII paulò amplius annos: Magus VII menſes: Darius Hyſtaſpis XXXVI annos: XXI Xerxes: XLI Artaxerxes: XIX Darius Nothus: XLIII Artaxerxes Mnemon: XXIII Artaxerxes Ochus: III Arſes: Darius Codomannus deniqve annis VI. Sunt in iſtis Perſarum Regibus tres, qvibus Darii nomen fuit, Darius Hyſtaſpis, Darius Nothus, & Darius Codomannus. Horum poſtremum intelligi in verbis Eſræ, nemo ſanè dixerit. Duorum priorum autem qvin alteruter intelligatur, cùm Eſras memorat, Cuthæos impediviſſe inſtaurationem templi uſqve ad regnum Darii, non poteſt cuiqvam eſſe dubium. Veteres intellexerunt Darium Hyſtaſpis, ut ſuprà diximus. Illuſt. Scaliger itidem intellexit iſtum Darium, ut & ex poſtremis verborum Scaligeri, qvæ ſupra produximus, & ex iis, qvæ in præclaro opere de emend. temp. p. 593 edit. poſt. leguntur, & deniqve ex iis, qvæ p. 90. Animadverſ. in Euſeb. leguntur, liqvidò apparet. Non tamen conſtantiſſimè id fecit Vir ſummus. Cùm ſeriem Regum Perſiæ accuratè oſtendere voluit ex ſacris literis, ſcripſit: eas feciſſe mentionem Darii Hyſtaſpis Dan. XII, 2. Xerxis, ibid & Eſr. IV, 6. & ind. Eſther: Artaxerxis, τȣ̃ μακρόχειρος Eſr. IV, 7. Leguntur hæc in præclaro opere de emend. temp. p. 285. edit. prioris. Darii Hyſtaſpis in Eſræ

qvarto cap. v. 5. mentionem eſſe factam, nondum credidit Ill. Scaliger, cùm iſta ſcriberet. Sed nec Calviſius credidit, uti id apparet ex c. XLII Iſag. Chronologicæ. Porrò Ahaſverum & Artachſaſtham, qvorum in verbis Eſræ fit mentio, Scaliger credidit illos eſſe, qvorum alteri in ſcriptoribus τοῖς ἔξω Xerxi nomen eſt: alteri Artaxerxi Longimano. Joſephus Ahaſverum exiſtimavit Cambyſem eſſe. Exiſtimârunt item alii plurimi, iiqve tùm Interpretes, tùm Chronologi. Μέχει μὲν οὖν τούτου καλῶς. Μετὰ μέντοι τοῦτο οὐκ ἔτι ὀρθῶς. Compegerunt qvidam illorum Ahaſverum & Artachſaſtham in unam perſonam, & eô ipſô cauſæ ſuæ malè conſuluerunt, eamqve oppidò reddiderunt ſuſpectam. In ipſa vulgata verſione extant talia, qvibus hoc ipſum, qvod nunc indigitamus, proponi videtur, qvæqve errandi occaſionem plurimis videntur præbuiſſe. Nimirum verba qvædam Eſræ, qvæ ſunt in ejus cap. IV, 6. in ea verſione ita exprimuntur: *In regno autem Aſſveri (ipſe eſt Artaxerxes) in principio regni ejus ſcripſerunt accuſationem.* Iſtis, qvæ parentheſi ſunt incluſa, oſtendi utiqve videtur, Aſſverum eſſe ipſum Artaxerxem, cujus in v. 7. fit mentio. Sed συνάφεια verborum Eſræ manifeſtè refragatur, & Aſſverum ac Artachſaſtham diverſos eſſe abunde oſtendit.

XII. III. Scaliger & Calviſius, dum crediderunt Darium, cujus in verbis Eſræ fit mentio, eſſe Darium Nothum, convenientiùs videntur arbitrati fuiſſe alteri ſuæ de Ahaſvero & Artach-

Artachſaſtha opinioni. Sic enim, qvæ de Ahaſvero & Artachſaſthâ Eſras narrat, poſſunt intelligi facta eſſe, anteqvàm dictus Darius regnavit, id qvod omnino neceſſe eſſe ſuprà diximus. Si autem, cum Scaligero & Calviſio credimus, três iſtos Reges, Ahaſverum, Artachſaſtham & Darium eſſe Xerxem, Artaxerxem Longimanum & Darium Nothum: nihil cauſæ prodidit divinus Eſras, cur omni illô intervallô, qvô Cambyſes, Smerdis & Darius Hyſtaſpis regnârunt, hoc eſt, XLII annis, templum non fuerit inſtauratum. Tantùm dixiſſet, imperantibus Cyrô, &, qvi XLII annorum intervallô Cyrum ſecutus fuit, Xerxe, hujusqve filiô Artaxerxe propter Cuthæorum delationes non potuiſſe inſtaurari. Animadvertit, credo, Ill. Scaliger iſtuc incommodum, & poſteà maluit credere Darium, qvi in verbis Eſræ memoratur, eſſe Darium Hyſtaſpis, ut adeo Darii Hyſtaſpis non prorſus nulla facta ſit mentio. Sed &, ſi hac viâ cum ipſo rem aggrediamur, minùs tamen procedit, uti jam ferè oſtendimus. Non pigrabimur id adhuc clariùs docere. Reſumamus verba Eſræ: *Deſtruxerunt conſilium eorum omnibus diebus Cyri & uſqve ad regnum Darii. Et in regno Ahaſveri ſcripſerunt accuſationem &c. Et in diebus Artachſaſthæ ſcripſerunt Beſelam &c.* Si in his intelligamus Darium Hyſtaſpis, Xerxem, & Artaxerxem Longimanum, qvàm ἀσυνάπτως ac inconcinnè eô ipſô fingemus locutum eſſe ſacrum ſcriptorem? Dixiſſet ita Eſras, inſtaurationem templi impeditam fuiſſe, dum Cyrus regnavit & ampliùs uſqve ad regnum Darii Hyſtaſpis, hoc

eſt, illis qvoqve annis, qvibus Cambyſes regnavit: & qvamvis adeò finem illius impeditionis jam oſtenderit, dum nimirum particulam ועד poſuit, qvæ finem iſtum nativâ ſuâ vi ſignificare debet: tamen poſtilla Xerxis qvoqve & Artaxerxis Longimani temporibus eandem inſtaurationem fuiſſe impeditam. Qvin neqve cauſæ qvicqvam dixiſſet Eſras, cur XXXVI Darii Hyſtaſpis annis ædificatio templi non fuerit facta. Nam illa verba, *& uſqve ad regnum Darii*, non niſi initium regni ſignificare poſſunt. Ut igitur ex poſtremis verbis c. IV Eſræ, 24. *Intermiſſum eſt opus* DOMINI *uſqve ad ſecundum annum Darii*, unà cum Scaligero colligimus, inſtaurationem templi fuiſſe intermiſſam uſqve ad ſecundum Darii annum, poſt autem feliciter ſucceſſiſſe: ita ex ejuſdem capitis commate qvinto, qvod hactenus verſavimus, id commodè videmur nobis intelligere, Cuthæos impediviſſe inſtaurationem templi uſqve ad regnum Darii, poſt autem non ampliùs potuiſſe impedire.

XIII. Satis apparuit, niſi valde fallimur, illud, qvod Ahaſveri & Artachſaſthæ temporibus factum eſſe in verbis Eſræ memoratur, non poſſe putari poſt tempora Darii Hyſtaſpis eſſe factum, ipſosqve adeò Reges, Ahaſverum & Artachſaſtham, non poſt Darium Hyſtaſpis, ſed ante eum regnâſſe. Sed illud qvoqve perſvadere nobis debet, Artachſaſtham illum non eſſe Artaxerxem Longimanum, qvod ex epiſtolâ Cuthæorum, qvam Eſras in capite IV. 11. ſ. hiſtoriæ ſuæ expreſſit, apparet, memoriam ex-

cidii Hieroſolymorum apud complures tum temporis adhuc viguiſſe, multoſqve eorum fuiſſe ſuperſtites, qvi excidio interfuerant. Verba epiſtolæ ſunt illa v. 14: כען כל־קבל די־מלח היכלא מלחנא *Qvandoqvidem igitur templum deſtruximus, neqve contemptum Regis adſpicere nos decet, idcirco miſimus, & nunciavimus Regi.* Si ſuperſuerunt tempore Artachſaſthæ, qvi excidio urbis interfuerant, ſiqve Artachſaſtha eſt Artaxerxes Longimanus: neceſſe eſt illos ipſos natos fuiſſe minimùm CXLV annos. Ab excidio urbis uſqve ad ſecundum Darii Hyſtaſpis annum putavimus LXX annos. Fuerint autem illi, qvi ſe templum deſtruxiſſe profitentur, XX annos nati, cùm iſtuc fecerunt. Atqve ita habemus XC annos. Addantur XXXIV Darii Hyſtaſpis: XXI Xerxis. Atqve ita ſumma conficietur CXLV annorum: qvot annos homines natos fuiſſe, & multos qvidem, vix fit veriſimile.

XIV. Suppetunt & alia, qvibus doceri poteſt, Ahaſverum & Artachſaſtam, qvi ab Eſrâ in cap. IV. 6. 7. 11. 23. memorantur, non eſſe Xerxem & Artaxerxem Longimanum. Sanè Ahaſverus & Artachſaſtha permiſerunt minimè, ut templum inſtauraretur, inqve Iſraëlitas fuerunt inclementes. Xerxem autem & Artaxerxem vero valdè ſimile eſt Iſraëlitis non paſum faviſſe, ſiqve ipſorum temporibus templum nondum inſtauratum fuiſſet, πρόφρονι θυμῷ ut inſtauraretur, concedere voluiſſe. Ahaſverum, qvi in libello Eſther memoratur, eſſe Xerxem, huncqve adeò Eſtheræ fuiſſe maritum pertendit utiqve Ill. Scaliger. Neqve, ut nobis qvidem videtur,

 tur,

tur, idipſum temerè facit. Colligit autem inter alia ex eo, qvòd nomen maritæ congruit, hoc eſt, qvòd ex ſacris ſcimus, Ahaſverum matrimonio ſibi junxiſſe virginem Iſraëliticam, cui *Eſther* nomen fuerit: qvódqve ex profanis itidem conſtat, Xerxem habuiſſe maritam, cui nomen fuerit Αμαϛεις & Αμιϛεις. Xerxes igitur ille ipſe fuit, qvi ingentia in Iſraëlitas beneficia contulit: qvi, qvæcunqve marita ipſius Eſthera ab ipſo petiit, lubens præſtitit. Permiſiſſet idem de facili, ut templum inſtauraretur, ſi ipſius temporibus nondum extitiſſet. Qvin autem id rogâſſet Eſthera, ſi tum temporis nondum inſtauratum fuiſſet, id non poteſt eſſe dubium. Porrò Amaſtridis ſive Eſtheræ & Xerxis filius fuit Artaxerxes Longimanus. Sanè Cteſias in Perſicis inter filios maritæ Xerxis, qvam Αμιϛειν appellat, recenſuit & Artaxerxem. Plato item in Alcibiade primo Amaſtridem prodidit τȢ Ἀρταξέρξȣ μητέρα, Ξέρξȣ ȷ̈ γυναῖκα *Artaxerxis matrem, Xerxis verò uxorem* fuiſſe. Iſtum igitur Amaſtridis filium clementiæ nomine profani Scriptores dilaudârunt. Ipſe, teſte Plutarchô, τῶν ἐν Πέρσαις βασιλέων πρᾳότητι καὶ μεγαλοψυχίᾳ ἐπρώτευσε. Qvamobrem etiam illi Reges, qvi ipſum fuerunt inſecuti, Artaxerxis nomine appellari voluerunt. Teſtis Diodorus Siculus lib. XV Bibliothecæ: Τȣ γὰρ Ἀρταξέρξȣ καλῶς βεβασιλευκότ☉ καὶ γενομένȣ πανῖελῶς εἰρηνικȣ καὶ ἐπιῖοχȣς τȣς μὲν τȣ́τον βασιλεύονῖας μεῖωνόμαζον, καὶ τὴν τȣ́τȣ προσηγορίαν ἔχειν προσέταῖιον. Iſte igitur

Arta-

Artaxerxes fuerit etiam Artachſaſtha ille, cujus auſpiciis Eſdras αὐτονομίαν in Palæſtinam reduxit, Nehemias autem urbem mœnibus cinxit, ut in Eſræ ſeptimo & Nehemiæ ſecundo ac ſeqq. capp. eſt proditum. Nomen Artachſaſthæ non ſatis commodè expreſſerunt Græci. Reperimus conſtanter eos ſcripſiſſe Ἀρταξέρξης. Commodiùs potuiſſent, atqve etiam debuiſſent ſcribere Ἀρταξέσης.

XV. Qvid igitur ſtatuendum tandem? Audacter & ſine hæſitatione dicimus; A ſverum & Artachſaſtham, qvorum in verbis Eſræ fit mentio, eſſe duos Reges, qvi Darium Hyſtaſpis præceſſerunt, Cambyſem puta, Cyri filium, & Magum, qvi ſub perſona alterius Cyri filii, qvem Herodotus Smerdin, Cteſias Tanyoxarcem appellat, per VII menſes regnavit. Ahaſverum eſſe ipſum Cambyſem, animadverterunt & alii. Sed iidem Artachſaſtham qvoqve in eandem compegerunt perſonam. Καὶ λίαν τοῦτο ἁπλῶς. Magi ſcilicet putârunt non magnoperè rationem eſſe habendam, qvod is paucis modò menſibus regnârit, & præterea regnum per vim occupârit. At animadvertendum erat, ô boni, in ſacris literis inter alios recenſeri & illos Reges, qvi brevi modò tempore imperium obtinuerunt, atqve item per vim illud invaſerunt. Simri tametſi ſeptem modò diebus imperium obtinuit, atqve item tyrannus fuit: tamen in ſacris literis Rex appellatur. Legere licet in I. Regum XVI. capite verſ. 15. Atqve illud, qvod de Smerde diximus, conſentaneum etiam

 eſt

eſt verbis Angeli Gabriëlis, qvæ ipſe imperante Cyrô pronunciavit. *Ecce*, inqvit, *adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & qvartus ditabitur opibus nimis ſuper omnes.* Leguntur ea in cap. XI Danielis v. 2. Qvartus iſte procul dubio eſt Xerxes. Tres autem, qvi ſunt inter Cyrum & Xerxem, qvin ſint Cambyſes, Smerdis & Darius Hyſtaſpis, nemini itidem poterit eſſe dubium. Et Magum igitur inter ceteros Perſarum reges recenſeri, minimè eſt inſolens, aut minùs conveniens.

XVI. Sed in nominibus Regum haud leve ſententiæ ſuæ præſidium qvæſivit Ill. Scaliger. Noſtra autem ſententia propter eadem nomina poſſit alicui videri non amplectenda. Scaliger qvidem in Animadverſionibus in Euſeb. pag. 90. indignabundus ſcripſit iſta: *Ille Darius, qvi eſt inter duos Artaxerxes* (Longimanum, qvem Eſr. IV. 7. & Mnemonem, qvem Eſr. VII. 1. intelligit) *ſi non eſt Darius Nothus: & ille Axverſes, qvi eſt inter Darium* (Eſr. IV. 6.) *& Artaxerxem priorem* (v. 7.) *ſi non eſt Xerxes, pereat omnis memoria veteris hiſtoriæ, & vincat Ἑλληνομαςίγων natio.* Itane ſui qvem eſſe diſſimilem, ut in qvô aliqvando nihil præſidii qværendum exiſtimat, in eo aliô tempore ejus qværat plurimum? Meminimus Ill. Virum in dictis Animadverſionibus pag. 85. ſcripſiſſe iſta: *Qvàm futilis objectio de nominibus, ut cùm reliqua omnia conveniunt, diſcrimen nominis faciat, ne Mævius ſit Mævius.* Credidit ſanè Scaliger, neqve temerè cum ipſo credunt alii, illum Babyloniæ Regem, qvi Λαϐαϐσοάρχοδος in fragmento

gmento Megaſthenis apud Euſebium : Λαβοροσοάρχοδος in fragmento Beroſi apud Joſephum appellatur, eſſe eum, qvi in ſacris literis Belſazar appellatur. Credidit item, eum qvi Ναβοννίδοχος in dicto Megaſthenis fragmento: Ναβόννηδος in Beroſi fragmento : Λαβύνιτος ab Herodoto: Ναβονχάδιος in Canone Mathematico appellatur, eſſe eum, qvi in ſacris literis Darius Medus appellatur. An igitur ſatis cauſæ habere poteſt Vir ſummus, cur Ahaſverum & Artachſaſtham in Eſræ cap. IV. incmoratos contendat non eſſe Cambyſem & Smerdim? cur item in iſtis nominibus maximum ſuæ ſententiæ qværat præſidium? Qvid qvod ipſe Scaliger in libro VI. de em. temp. pag. 592. apertè ſcripſit ac probavit, omnibus Perſarum Regibus ad imperium accedentibus nomen mutari moris fuiſſe? Sic Artaxerxem Mnemonem, cùm privatus adhuc eſſet, vocatum fuiſſe Ἀρσίκαν & Οάρσην: Patrem ejus Darium Nothum priùs dictum fuiſſe Ἄχον & Ὦχον; filium ejus, priùs Ἄχον dictum, in imperio Ἄχον Ἀρταξέρξην tranominatum : eum deniqve, qvi Codomannus priùs dicebatur, in imperio Darium dictum. De Babyloniæ item Regibus idem Scaliger ſcripſit, omnes, cùm ad imperium acceſſerunt, nomen mutare ſolitos fuiſſe. Sed verba Scaligeri, qvæ noviſſimè produximus, conſideremus ampliùs. Darius ille, cujus mentio fit in extremo qvarto & ſeqq. capp. Eſræ, procul dubio hic eſt, cujus temporibus templum fuit

 inſtau-

inſtauratum. Sed hunc inter duos Artachſaſthas ſive Artaxerxes eſſe poſitum, id ſatis apparet, ſi Eſræ qvartum & tria ſeqq. cap. legamus. Cùm igitur ex hiſtoria profana ſciamus, eum Perſarum Regem, cui Dario nomen fuit, qviqve inter duos Artaxerxes regnavit, eſſe Darium Nothum: credidit Scaliger, eum Darium, de qvo in extremo Eſræ cap. IV. & ſeqq. duobus fit mentio, non alium, qvàm Darium Nothum eſſe. Nos contra ea ex συνεπεία textus oſtendimus, Artachſaſtham eum, cujus in qvarto cap. Eſræ fit mentio, eſſe Regem Smerdim, qvi regnum aſtu occupavit: & ne qvis obverteret, non ſatis congruere nomen, ipſius Scaligeri ſententiam de mutatis Babyloniæ ac Perſiæ regum nominibus recenſuimus. Ita Scaligero arbitramur planiſſimè ſatiſfactum. Illud qvoqve, qvod de Axverſe in dictis Scaligeri verbis eſt, omnino falſum eſſe, ex iis, credo, ſatis apparet, qvæ de verborum Eſræ συναφεία prolixè diſſeruimus. Axverſem ſive Ahaſverum illum, de qvo eſt in Eſræ qvarto cap. v. 6. demonſtratum nobis eſt, non eſſe poſitum ab Eſra inter Darium & Artaxerxem, ſed utrúmqe horum ante Darium eſſe poſitum.

XVII. Id autem non omittendum eſt, non prorſus nihil apparere cauſæ, qvamobrem duo Reges Cambyſes & Smerdis nomina ſua immutârint, cùm imperium tractare cœperunt. Qvi nomine avi ſui, viri inter Perſas haud illuſtris, Cambyſes dictus fuerat, is cùm imperium tractare cœpit, maluit Ahaſverus appellari. Qvod nomen ſi idem eſt cum nomine Xerxis, ut ſanè

vide-

videtur, ſiqve Herodoto credimus, *ἀρήιον bellicoſum* ſignificat. De Mago minùs mirum eſt, voluiſſe eum nomen priſtinum immutare, & aliô magnificô Artachſaſtâ appellari. Id nimirum voluit, ut eò tutiùs lateret, nec à ſuis facilè agnoſceretur. Et qvoniam jam ante fecerat Cambyſes, potuit & ipſe eò commodiùs facere. Ne autem miremur, VII menſibus, qvibus imperium tractavit Smerdis, potuiſſe ad eum Iſraëlitas deferri à Cuthæis, & his ipſis per literas reſponderi: advertamus ad illud, qvod Herodotus in libro tertio prodidit, Magum Smerdim id dediſſe operam, ut brevi omnes demereretur, ac beneficiis ſibi devinciret. *Omne genus liberalitatis* inqvit, *in ſubditos exhibuit, adeò ut ejus defuncti magnum ceperit deſiderium omnes Aſiam incolentes, ipſis Perſis exceptis. Nam miſſis ad ſingulas, qvibus imperabat, nationes edictis, Magus immunitatem tributorum ac vacationem militiæ in triennium tribuit: atqve hoc qvidem ſtatim adeptus imperium edixit.* Cùm igitur Cuthæi, qvi rebus in Palæſtina tum temporis præerant, Iſraëlitas deferrent ad novellum Regem, hic illis facilè qvô eos ſibi demereretur, gratificatus fuit. Ipſi etiam Cuthæi, cur ad novellum Regem Iſraëlitas deferrent, id cauſæ videntur habuiſſe, ut novello Regi fidem ſuam probarent, & qvantopere omnes contra eundem rebellandi occaſiones præcidere ſtuderent, demonſtrarent.

XVIII. Satis, credo, excuſſimus ea, qvæ de qvibuſdam Eſræ verbis III Scaligero cogitata ſunt. Ipſa Eſræ verba ingeſſerat Scaliger, ut

verba

verba Angeli, qvæ apud Zachariam ſunt, aliter intelligenda doceret, qvàm nos ea intelligenda eſſe principiô hujus diatribæ oſtendimus. Sed Eſræ qvoqve verba, tantum abeſt, ut noſtræ ſententiæ adverſa ſint, ut eam etiam confirment. Nunc porrò conſiderabimus nonnulla, qvibus Vir ſummus exiſtimavit ſe illos, cum qvibus nos ſentimus, poſſe εἰς ἀδύνατον ἀπάγειν. Leguntur ea in eâdem paginâ, in qvâ altera illa, pag. XCI. puta Animadverſionum in Euſebium. *Si*, inqvit, *qvod ipſi volunt*, *ſeptuageſimus annus captivitatis agebatur annô* Darii (Hyſtaſpis) *ſecundô, ergò captivitas non deſinit in annô primô Cyri contra vaticinium Prophetarum, præſertim Jeremiæ, qvi prædicit illis, eos ſeptuageſimô annô illius deportationis redituros. Redierunt autem annô primô Cyri. Ergò annô primô Cyri finitur annus ſeptuageſimus deportationis, non Darii. Qvòd ſi non finitur annô ſecundô Darii, ergò ſeptuageſimus annus, de qvo agit Angelus, non eſt ſeptuageſimus captivitatis.* Non ſanè inficias nos ibimus, captivitatem deſiiſſe primô annô Cyri, atqve tum repetiiſſe Iſraëlitas Palæſtinam antiqvas ſedes. Id qvoqve ἔνδηλον eſt, ſi Cyri primus annus eſt ſeptuageſimus à deportatione, aliqvem Darii Hyſtaſpis non poſſe eſſe illum ipſum annum. Atqve id lubentes meritóqve nos concedimus. Verba epiſtolæ, qvam Jeremias ad Jechoniam & ceteros deportatos miſerat, ſunt ſatis illuſtria: *Cùm cœperint impleri in Babylone LXX anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Hoc, qvod promiſſum

fuerat,

fuerat, omnino ita factum eſſe, intelligimus ex poſtremis ſecundi Paralipoméνων & primis libri Eſræ verbis.

XIX. Sed contenderit viciſſim qvidam ex Scaligeri aſſeclis, non modò Iſraëlitas per LXX annos debuiſſe in Babyloniâ captivos manere: ſed & חרבה ושמה *ſolitudinem & vaſtitatem* non debuiſſe antè deſinere, qvàm LXX anni effluxiſſent. Voluit ſanè hoc ipſum Joh. Henr. Alſtedius. Qvamqvàm non animadvertit autor, id ſibi, qvippe qvi alteram ſententiam tenet, oppidò eſſe adverſum. Sed id autori iſti non inſvetum eſſe, ut parum ſibi ὁμολογέμενα ſcribat, Chronologica ejus attentè legenti liqvere ſatis poteſt. Verba ipſius ſunt iſta: *Alii ſunt anni captivitatis, & alii ſolitudinis & vaſtitatis Hieroſolymorum. De illis loqvitur Jeremias c. 29. At c. 25. idem loqvitur de annis 70. deſolationis, qvi anni cœperunt ab ultimo anno Zedekiæ,* cùm nimirum excidium fuit factum. Leguntur ea in Theſauro Chronologico pag. 144. Si res ita ſe habet; & ab excidio urbis ac templi numerandi ſunt LXX anni, qvibus adhuc labentibus חרבה ושמה *vaſtitas & ſolitudo* non debuerit, qvibusqve elapſis eadem debuerit deſinere: neceſſe eſt ſecundô Darii Hyſtaſpis annô illos, ipſos deſiiſſe. Qvomodo autem oſtendet iſte autor, deſiiſſe dictam vaſtitatem ſecundô Darii Hyſtaſpis annô, nî dicat id factum per inſtaurationem templi. Et haberemus ſanè nos ex iſtis argumentum pro noſtrâ ſententiâ. Vaſtitas ex mente Alſtedii tum demum deſinere debuit

in

in Palæſtinâ, cùm LXX anni ab excidio urbis elapſi fuerunt. Ergò neceſſe eſt templum fuiſſe inſtauratum, cùm LXX illi anni effluxiſſent; hoc eſt, ſecundô Darii Hyſtaſpis annô. Neqve enim qvidqvam aliud oſtendi poteſt, per qvod illa vaſtitas exiſtimari poſſit deſiiſſe. Hôc modô contra Alſtedium, qvi cum Ill. Scaligero ſentit, poſſemus noſtra defendere. Nolumus autem ſeriò id facere. Perſvaſi ſumus Jerem. XXV. 11. ut & II. Paral. XXXVI 21. & Dan. IX. 1. eoſdem LXX annos intelligi, qvi intelliguntur Jer. XXIX, hoc eſt, qvi idem habuerint initium & eundem finem. Perſvaſi etiam ſumus, ipſam captivitatem & חרבה ושמה *ſolitudinem ac vaſtitatem* cœpiſſe unô eôdemqve tempore, qvartô nimirùm annô Jojakimi: deſiiſſe item utrâmqve annô XXI aut XXII Cyri.

XX. Fuiſſe jam qvartô Jojakimi annô Hieroſolymis חרבה ושמה ſolitudinem ac vaſtitatem, ſatis apparet ex Jer. XXV capite, cujus qvippe tmemation XVII ita habet, *Accepi calicem de manu* DOMINI, *& propinavi cunctis gentibus, ad qvas miſit me* DOMINUS, *Jeruſalem & civitatibus Judæ, & Regibus ejus, & Principibus ejus, ut darem eos in ſolitudinem, & deſolationem, & in ſibilum & in maledictionem, ſicut eſt dies iſta* ſicut eſt hôc die, hôc tempore.) Cùm iſta pronunciavit Jeremias, Hieroſolymis utiqve jam fuit חרבה ושמה *ſolitudo & vaſtitas*. Pronunciavit autem qvartô annô Jojakimi, ut apparet ex primis verbis ejus, qvod diximus, capitis. Per eadem verò tempora & captivi-

tas

tas cœpit. Deportati tum fuerunt nobiliſſimi juvenes Regibus & Proceribus nati, uti ex principio libri Danielis apparet. In dicto Jeremiæ capite de utroqve prædicitur, & vaſtitatem ad LXX annos duraturam, nec captivitatem ac ſervitutem ante deſituram, qvàm LXX anni effluxiſſent. Undecimum capitis tmemation ita habet: *Et erit univerſa terra hæc* לחרבה לשמה *in ſolitudinem & in ſtuporem* (vaſtitatem) ויעברו *& ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis LXX annis.* Qvod igitur ad Jechoniam & ceteros deportatos Jeremias in XXIX capite ſcripſit, *Cùm cœperint impleri in Babylone LXX anni, viſitabo vos & reducam vos ad locum iſtum*, ex eo non colligendum eſt cum Scaligero, LXX annos captivitatis tùm demùm cœpiſſe, cùm Jechonias deportatus fuit. Propheta illis verbis nihil aliud ſignificat, qvàm illud, deportatos in Palæſtinam reduces factum iri, cùm LXX anni effluxiſſent. Partem autem LXX iſtorum annorum jam elapſam fuiſſe, ex alio loco intelligendum ſupponit. Sic nec cum Funccio, Alſtedio & aliis ex Paralipomé*wv* extremo ſecundo libro eſt colligendum, חרבה ושמה *ſolitudinem & vaſtitatem* cœpiſſe tùm demùm, cùm urbs & templum exuſta eſſent. Verba, qvæ indigitamus, hæc ſunt v. 20. 21: *Si qvis evaſerat gladium, ductus in Babylonem, ſervivit Regi & filius ejus, donec imperaret Rex Perſarum, ut compleretur ſermo DOMINI ex ore Jeremiæ, & (donec) celebraret terra ſabbatha ſua. Cunctis* (enim) *diebus* השמה *deſolationis egit ſabbathum, uſqvedum complerentur* [illegible] *LXX*

anni

LXX anni. Ex his putant ſe colligere poſſe, LXX annos, qvibus vaſtitas ac ſolitudo extiterit, tùm cœpiſſe, cùm excidium urbis eſſet factum. Neqve enim השמה vaſtitatem putari poſſe ante excidium urbis extitiſſe, neqve terram ante idem putari poſſe ſabbatha egiſſe. Reſpicitur autem in illis ad Jeremiæ vaticinium, ut ſatis apparet. Et Jeremias igitur, cùm de LXX annis השמה vaſtitatis in c. XXV prodit, ex ipſorum mente de talibus prædixit, qvi viginti ferè annis poſt cœpturi demum eſſent. Nobis id minùs rectè videtur ſe habere. Oſtendimus ex XXV capite Jeremiæ, fuiſſe jam tùm qvartô annô *Jojakimi* vaſtitatem Hieroſolymis. Sed id vix credent iſti. Expoſtulent igitur cum Jeremia, qvi id apertè ſcripſit. Nobis ſufficiat Jeremiæ verba produxiſſe. Qvamqvàm ſi nunc liberet, & aliis qvibusdam iſtos homines poſſemus adigere, ut id pro abſurdo minimè putent habendum. Fecimus id aliàs: neqve nunc omnem iſtam reſumemus operam. Fit & in Danielis nono capite LXX annorum חרבות ירושלם *vaſtitatis Hieroſolymorum* mentio. In iis verò manifeſtè etiam reſpicitur ad Jeremiæ vaticinium. Atqve igitur nec illi anni in alio tempore putari debent cœpiſſe, qvàm in qvarto Jojakimi.

XXI. Diximus non libere nobis cum Alſtedio Scaligeri aſſeclâ ſtatuere, LXX annos vaſtitatis tùm demùm cœpiſſe, cùm excidium urbis factum fuit. Neqve igitur finem eorundem ſtatuemus fuiſſe in ſecundo anno Darii Hyſtaſpis. Exiſtimamus autem, finem cum fuiſſe in vigeſimo

ſimo primo aut vigeſimo ſecundo anno Cyri. Si initium fuit eô tempore, qvô id fuiſſe diximus, finem qvoqve neceſſe eſt in iſto anno Cyri fuiſſe. Licet verò etiam de fine priùs ſtatuere, & ad prædictum initium regredi. Sanè cùm ultimus Babyloniæ Rex, Nabonnodus nomine, devictus fuit, LXX anni captivitatis jam elapſi omnes fuerunt. Sic enim Jeremias in c. XXV, 12. loqvitur: *Cùm impleti fuerint LXX anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis &c.* Victus autem Nabonnedus fuit vigeſimô primô annô Cyri, uti habet conſtans ſententia Scaligeri & aliorum. Vigeſimô igitur primô Cyri LXX annos fuiſſe expletos, liqvidò utiqve apparet. Cum autem hæc ita ſe habeant, neceſſe eſt initium LXX annorum in qvarto Jojakimi fuiſſe, uti diximus. Nunc tandem ſerio Scaligero reſpondebimus aliô pactô. Negamus nos velle illud, ſeptuageſimum annum à deportatione eſſe aliqvem Darii Hyſtaſpis. Diximus jam ampliùs, qvàm Ill. Scaliger, captivitatem non vigeſimô nonô Cyri; ſed vigeſimô primô aut vigeſimô ſecundô ejusdem Regis deſiiſſe. Qvid modò igitur? Ergone illud ſeqvetur, Angelum iſtis verbis, qvæ apud Zachariam ſunt, non dicere, annos, qvibus DEUS Hieroſolymorum non fuerat miſertus, fuiſſe non amplius ſeptuaginta? & finem illorum fuiſſe in ſecundo Darii Hyſtaſpis? Minimè verò. Tantùm illud oſtendunt iſta Scaligeri, alium LXX annorum captivitatis ac vaſtitatis fuiſſe terminum, qvàm illorum LXX eſt, qvos Angelus intellexit; utpote qvi ab ipſo urbis & templi excidio cœperunt.

XXII. Hactenus probatam dedimus noſtram ſententiam, & nonnulla, qvæ ab Ill. Scaligero obverſa illi ſunt, examinavimus ac refellimus. Qvòd verò idem Scaliger iis qvoqve, qvæ in Danielis nonô capite de LXX hebdomadibus leguntur, ſententiam ſuam credidit firmari poſſe, id itidem putamus minùs rectè ab ipſo eſſe factum. Non tamen ea nunc excutiemus; ſed peculiari id facturi ſumus diatribâ. Porrò autem exponemus incommoda qvædam, qvibus Ill. Scaligeri ſententia videtur urgeri. Principiò per ſe ſanè ſatis eſt improbabile Iſraelitas, cùm in Palæſtinam hi remigrâſſent, per CXX annos adhuc caruiſſe templô: *illos, in qvam*, qvibus illuſtres promiſſiones edere DEUS complures juſſerat Prophetas Per divum Eſaiam c. XLIV. 28. DEUS ita fuerat locutus: *Ego ſum* DOMINUS, *qvi dico Cyro: Paſtor meus es & omnem voluntatem meam complebis, ut dicatur Jeruſalem, ædificaberis, & templo, fundaberis.* Hæc qvomodo ita facta eſſe commodè intelligi poſſint, ſi ſtatuatur, CXX annis poſt Iſraëlitarum in Palæſtinam reditum templô eos caruiſſe, nobis ſanè parum liqvet. Qvòd autem neceſſe ſit, tantô tempore eos templô caruiſſe, ſi ſextô demum Darii Nothi templum exædificatum fuit, id in proclivi eſt probare. Principio conſtat, Hebræos in Palæſtinam remigrâſſe vigeſimô ſecundô annô Cyri. Demonſtravimus illud denuò paulò antè. Cyrus autem regnavit XXX annis. Atqve ex his igitur capiantur IX anni. Addantur deinde illis VIII anni Cambyſis: XXXVI Darii Hyſtaſpis; XXI Xerxis; XLI Artaxerxis

Longi-

Longimani: VI deniqve Darii Nothi. Sic dictam ſummam licebit conficere. Si autem ſecundô annô Darii Hyſtaſpis templum inſtaurari cœpit, per annos non ita multos Iſraëlitæ caruerunt templô, poſtqvàm in Palæſtinam ipſi remigraverant. Apparet viginti modò & paulò ampliùs annis caruiſſe poſt ea tempora.

XXXIII. Porrò ex Nehemiæ capite duodecimo & ex Joſephi Originum libris ſcimus, inde à Cyri temporibus uſqve ad Darii Codomanni, ultimi Perſarum Regis tempora fuiſſe ſex Pontifices Maximos, Jeſuam, Jojakimum, Eliaſibum, Jojadam, Jonathanem, & Jadduam. Jeſua vigeſimô ſecundô Cyri annô, qvô Iſraëlitas ad antiqvas ſedes remigrâſſe, qvemqve Cyri primum in ſcriptura ſacra appellari demonſtratum eſt in ſuperioribus, Pontificatum utiqve geſſit, & operas Hebrææ gentis unà cum Zorobabele moderatus fuit. Idem verò Jeſua ſecundô qvoqve Darii annô, cùm templum inſtaurabatur, pontificatum adhuc geſſit, ac operas itidem moderatus fuit, uti id ex Eſræ qvinto v. 2. & ex Zachariæ ſextô, v. 11. aliiſqve capp. liqvidò apparet. Fuerit autem mortuus eô ipſô annô, qvô templum exædificatum fuit, hoc eſt, annô ſextô Darii. Si jam ſextus hic Darii annus ſextus eſt Darii Nothi: neceſſe eſt Jeſuam Pontificatum geſſiſſe CXXI annis, natum autem C ferè & L annos, cùm deceſſit. Ponantur primò IX anni Cyri. Nam regnavit is in univerſum XXX annis. Vigeſimô ſecundô autem ipſius regni annô Iſraëlitæ in Palæſtinam remigrârunt, & tum Jeſua, uti diximus, ſum-

mus Pontifex jam extitit. Addantur porrò VII Cambyſis anni: & unus, qvi conflatur ex qvinqve Cambyſis, & ſeptem Smerdis menſibus. Ampliùs addantur XXXVI Darii Hyſtaſpis: XXI Xerxis: XLI Artaxerxis Longimani: & deniqve VI Darii Nothi. Atqve ita ſumma, qvam diximus, poteſt confici. Tot verò annis unum virum geſſiſſe pontificatum, & tot annos natum fuiſſe, per ſe parum eſt veroſimile. Sed magis etiam vero id videbitur abſimile, ſi qvinqve ceterorum Pontificum comparaverimus tempora, qvæ, ſi altera illa rectè ſe haberent, ipſis forent tribuenda. Fingamus ex mente Scaligeri, Jeſuam, primum illorum ſex Pontificum, qvos recenſuimus, ſextô Darii Nothi annô obiiſſe diem ſuum. Ex Joſephi autem extremo undecimo libro ſcimus, poſtremum illorum ſex Pontificum, hoc eſt, Jadduam, Alexandro Magno, cùm hic indignabundus Hieroſolyma contenderet, pontificali habitu indutum, proceſſiſſe obviam, eumqve placaviſſe. Nunc igitur à ſexto Darii Nothi ad iſta Jadduæ ac Alexandri tempora putemus annos. Darii Nothi ſuperſunt XIII anni. Nam novendecim is regnavit in univerſum. Addantur XLIII Artaxerxis Mnemonis: XXIII Ochi: III Arſis: IV deniqve Darii Codomanni anni, Tribuuntur qvidem Codomanno in univerſum ſex anni. At non ultimô ejus annô Alexander Magnus Hieroſolyma contendit; ſed bienniô ferè antè. Ex iſtis verò annis ſummam colligere licet LXXXVI modò annorum. Intra paucos iſtos annos, ſi Scaligeri ſententia obtineat, qvinqve omnino extiterint

ſummi Pontifices, Jojakimus puta, Eliaſibus, Jojada, Jonathan & Jaddua. Et hi qvidem in rectâ lineâ deſcendente collocati, pater nimirum, filius, nepos, pronepos, & abnepos. Solus autem primus illorum ſex Pontificum, qvos Nehemias recenſuit, ſupra modum longævus fuerit, & pontificatum geſſerit per CXXI annos, hoc eſt, temporibus ſeptem Regum Perſarum, Cyri, Cambyſis, Smerdis, Darii Hyſtaſpis, Xerxis, Artaxerxis Longimani & Darii Nothi. Qvæ an credibilia videri qveant, vehementer ſanè nos dubitamus.

XXIV. Qvantô autem concinnius eſt dictis ſacerdotibus ea aſſignare tempora, qvæ nos putamus ipſis aſſignanda eſſe. Qvoniam credimus, Artachſaſtham, cujus in cap. VII. Eſræ & in Nehemiâ fit mentio, Artaxerxem Longimanum eſſe: credere ſimul poſſumus atqve etiam debemus, ejuſdem Artaxerxis primis temporibus ſummum ſacerdotem fuiſſe eum, qvi inter recenſitos ſex Pontifices ſecundus eſt, Jojakimum puta. Etenim Eſras in dicto libri ſui capite v. 8. prodidit; ſe, cùm ſeptimô Artaxerxis annô Hieroſolyma remigrâſſet, vim illam auri & argenti, qvam ſecum apportaverat, appendiſſe inter alios Joſabado, Jeſuæ, primi utiqve dictorum ſex Pontificum, filio, atqve adeò ſummo Sacerdoti c. VIII. 33. Qvòd verò is, qvi in Nehemiæ libro Jojakimus appellatur, ab Eſrà appellatur Joſabadus, id neminem turbare debet. Notum qvippe eſt, in ſacris literis memorari complures, qvibus duo, imò & tria nomina fuerunt indita. Uzias Rex Juda appellatur & Aſarias.

Jojada, ſummus Sacerdos, qvi Joam regno reſtituit, vocatur & Jochanan, I. Paral. VI. v. 9. & Barachias Matth. XXIII. v. 35. Ahimelech, ſummus itidem Sacerdos, de qvo legimus in I. Sam. XXI. v. 1. vocatur & Abjathar Marc. cap. II. v. 26.

Porrò Jojakimo ſive Joſabado non multò poſt ſucceſſit filius ejus Eliaſibus, tertius inter recenſitos ſex Pontifices. Nehemias enim in cap. III. v. 1. prodidit, cùm ipſe vigeſimô annô Artaxerxis (ejuſdem utiqve, cujus permiſſu Eſras redierat) in Palæſtinam remigrâſſet, ac urbem mœnibus cingi decretum eſſet, ſummum Sacerdotem extitiſſe Eliaſibum illum. Qvia autem Eliaſibus jam tum vigeſimô annô Artaxerxis Longimani ſucceſſerat parenti: veriſimile eſt, ipſum ejus parentem Jojakimum, qvem ſeptimô ejuſdem Artaxerxis annô pontificatum geſſiſſe probavimus, benè multis annis ante ſeptimum Artaxerxis ſucceſſiſſe ſuo parenti Jeſuæ. Atqve igitur Xerxis qvoqve temporibus, qvi Artaxerxem anteceſſit, pontificatum geſſerit Jojakimus. Jeſua autem, Jojakimi parens, qvi vigeſimô ſecundô annô Cyri in Palæſtinam remigraverat, Pontifex fuerit, dum imperium tractârunt Cyrus, Cambyſes, Smerdis & Darius Hyſtaſpis. Porrò Eliaſibo, qvem apparuit vigeſimô annô Artaxerxis Longimani pontificatum geſſiſſe ſucceſſit Jojada. Geſſerit is pontificatum ſub finem Artaxerxis Longimani, & ſub Dario Notho. Jojadæ verò filius fuit, ipſiqve ſucceſſit Jonathan, qvem & Jochananum dictum ex Neh. XII. 12. apparet. Hic temporibus Darii Nothi videtur Ponti-

Pontifex fuiſſe, & ſub Artaxerxe Mnemone. Poſtremus deniqve dictorum ſex Pontificum, Jaddua nomine, fuerit ſub Artaxerxe Ocho, Arſe & Dario Codomanno. Sanè cùm ipſe Alexandro Magno indignanti obviam proceſſit, provectâ jam ætate videtur fuiſſe, atqve adeò bene multis annis pontificatum jam geſſiſſe. Joſephus in extremo undecimo libro; cùm hæc ſcripſiſſet; τελευτήσαντος δὲ Ἀλεξάνδρου ἡ μὲν ἀρχὴ εἰς τοὺς διαδόχους ἐμερίσθη, *poſt obitum Alexandri imperium inter ſucceſſores ejus diviſum fuit*: mox iſta ſubdit, τελελευτήκει δὲ καθ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν καὶ ὁ ἀρχιερεὺς Ἰαδδοῦς, καὶ τὴν ἀρχιερωσύνην Ὀνίας ὁ παῖς αὐτοῦ παρειλήφει, *Eâdem tempore & Jaddus Pontifex obierat, ejuſqve filius Onias ipſi ſucceſſerat in Pontificatu.* Apparet ex his, ſub finem Alexandri Magni deceſſiſſe Jadduam. Et veroſimile igitur fit, per iſta, qvæ diximus tempora, hoc eſt, qvæ mortem Alexandri aliqvantò intervallô præceſſerunt, Jadduam eum pontificatum gerere cœpiſſe.

XXV. Oſtendimus non ſemel, qvàm μακροβίους neceſſe ſit fuiſſe homines, ſi ſecundô demùm Darii Nothi annô templum cœptum fuit inſtaurari. Si Artachſaſtha ille, cujus mentio fit in Eſræ qvarto capite, Artaxerxes Longimanus eſt, vixerunt tum temporis homines, qvi CXLV annos nati fuerunt. Si ſextô demum Darii Nothi annô templum exædificatum fuit, neceſſe eſt Jeſuam & Zorobabelem C ferè & L annos fuiſſe natos. Horum verò utrumqve parum eſt credibile. Nunc porrò aliud qvidpiam

 expo-

exponemus, qvod adhuc incredibilius videbitur, ducentos ferè annos homines fuiſſe natos, ſi Scaligeri ſententia obtinere debeat. Haggæus igitur ſecundô annô Darii qvô templum inſtaurari cœpit, gentem ſuam juſſus fuit alloqvi iſtis verbis: מי בכם הנשאר אשר ראה את הבית הזה בכבודו הראשון ומה אתם ראים אותו עתה הלוא כמוהו כאין בעיניכם *Quis inter vos eſt, qvi vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Et qvid vos videtis hanc nunc? Nunqvid non ita eſt, qvaſi nihil ſit in oculis veſtris?* Leguntur hæc in cap. II. Haggæi verſ. 4. Liqvidò autem ex his apparet, ſuperfuiſſe ſecundô annô Darii homines, qvi priſtinum templum vidiſſent, qvantuſqve ejus fuiſſet ſplendor, probè potuerint meminiſſe: qviqve igitur etiam illud, qvod tum extruebatur, cum priſtino potuerint contendere. Non ignoro, Illuſt. Scaligerum Haggæi verba conatum eſſe ita exponere, ut ne ex illis colligi liceat, tùm, cùm templum inſtauratum fuit, ſuperfuiſſe adhuc homines, qvi priſtinum templum vidiſſent. In libro VI. de emend. temp. pag. 603. verba Haggæi ipſe explicare voluit his ſuis: *O ſi qvis veſtrum prioris domus gloriam vidiſſet, eam cum iſtâ contendens, qvàm nihili hanc faceret!* Scripſit etiam ſimilem ῥῆσιν in Evangelio Luc. XV. v. 4. XIV. v. 5. hanc eſſe: τίς ἐςιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃς ἕξει πρόβατον ἓν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ; Iſtam enim ῥῆσιν æqvipollentem eſſe huic: εἴ τινος ἐξ ὑμῶν πρό-

σάββατον εἰς βόθυνον ἐμπέσῃ. Non negabimus nos, iſtum verborum CHRISTI eſſe intellectum, qvem Scaliger oſtendit. Sunt verò complures iſtiuſmodi ῥήσεις in N. Teſtamento. Gemina prorſus & hæc eſt Matth. cap. VII. v. 9: τίς ἐςιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον. Formatæ autem ſunt Græcæ iſtæ ῥήσεις ad genium Hebræarum. Hebræi cùm iſtiuſmodi propoſitiones formant, faciunt id per interrogationem qvandam. Exemplum eſt in his: מי בעל דברים יגש אליהם *Qvis eſt Dominus litium, adeat ad illos*, hoc eſt, ſi qvis jure cum aliqvo vult experiri &c. Exod. XXIV. 14. Aliud in his: מי האיש אשר בנה בית חדש ולא חנכו ילך וישב לביתו *Quis eſt homo, qvi ædificavit domum novam & non dedicavit eam? Vadat & revertatur in domum ſuam*, hoc eſt, ſi qvis eſt homo. &c. Deut. XX. 5. Sunt in eodem hoc cap. v. 6. 7. & alia ejus rei exempla. Neqve igitur opus habuiſſet Scaliger ex N. Teſt. exempla petere. Habentur in voluminibus Hebræis complura, cum qvibus Hebræa verba Haggæi æqve potuiſſet conferre, ſi qvidem potuiſſet, ac cum alteris illis, ex N. T. petitis.

XXVI. Sed contendimus nos minùs rectè id habere, qvòd Scaliger credidit, iſta verba, qvibus ipſe verba Haggæi explicare voluit, ſimilia eſſe his, qvæ ipſe ex Græcis, & nos ex Hebræis voluminibus produximus. Conſideremus verba CHRISTI, qvæ Scaliger exempli cauſâ propoſuit. Eorum utriqve intellectus hic eſt: *Si qvis ex vobis ovem habet quæ ſabba-*

thô incidat in foveam, is illico eam apprehendit & extrahit. His igitur ſimilia Scaliger credidit hæc eſſe: *O ſi qvis veſtrum prioris domus gloriam vidiſſet, qvàm nihili hanc faceret!* Nos id negamus. Poſteriora hæc κατὰ πλάσιν *ſecundùm fictionem* neceſſe utiqve eſt intelligi: ſuntqve illa enunciatio multiplex, qvæ & hanc negativam includit: *Neqve aliqvis veſtrum prioris domus gloriam vidit, neqve nihili hanc præſentem domum nunc facit*, qvia nimirum hanc cum priſtinâ non poteſt contendere. Talis etiam eſt hæc Tullii oratio: *Si mihi obtemperatum eſſet, aliqvam Rempubl. haberemus.* Comprehendit ea hanc negativam: *Nec obtemperatum mihi eſt, nec ullam Rempubl. habemus.* Talis eſt & hæc Ovidii:

Si qvis in hâc ipſum terrâ poſuiſſet Homerum,
Eſſet, crede mihi, factus & ipſe Getes.

Includit ea & hanc: *Nec poſitus eſt Homerus in iſtâ terrâ, nec factus eſt Getes.* Non verò his ſimilia ſunt verba CHRISTI. Sunt ea compoſita utiqve oratio, qvam ὑποθετικὴν appellant. At non ſunt multiplex oratio, qvæ aliqvam aliam comprehendat. Non, inqvam, comprehendunt hujuſmodi negativam: *Neqve ex vobis ovem qvis habet, neqve ſi ſabbathô ea incidat in foveam, eam apprehenditis atqve extrahitis.* Debebant autem negativam hanc comprehendere, ſi ſimilia eſſent prædictis illis κατὰ πλάσιν orationibus. Sic igitur apparet, fruſtra fuiſſe Scaligerum, cùm orationem, qvam ex Haggæi

verbis

verbis ipſe effingere voluit, cum verbis CHRISTI contulit, hiſqve eam credidit eſſe ſimilem. Annon verò, ſi per ſe conſideretur ea oratio, qvam Scaliger effinxit, mentem Haggæi ea exponere poteſt? Nego poſſe. Oratio, qvam effinxit Scaliger, orationem negativam utiqve comprehendit hanc: *Nec qviſqvam veſtrûm priorem ædem vidit, neqve hanc præſentem, qvia priſtinam non vidit parum magnificam eſſe putat.* Hæc nimirum eſt vis πλάσεως, uti diximus. Haggæi autem verbis duo iſta affirmantur, & fuiſſe iſtâ ætate homines, qvi priſtinum templum vidiſſent, & hos ipſos parum magnificum crediſſe illud eſſe, qvod tum exſtruebatur. Reſumamus ipſa Prophetæ verba: *Quis inter vos eſt, qvi vidit domum iſtam in gloriâ ſuâ primâ? Et qvid vos videtis hanc nunc? Nunqvid non ita eſt, qvaſi nihil ſit in oculis veſtris?* Ex horum poſtremis intelligimus utiqve, illis ipſis, qvos Propheta allocutus eſt, parum magnificam fuiſſe viſam ædem iſtam, qvæ tum exſtruebatur. Nimirum τῆς Haggæi ζητήσεως iſta vis eſt: *Annon iſtuc templum, qvod nunc ædificatur exile vobis & parum magnificum videtur?* Interrogatione iſtâ affirmativam orationem ſignificari, qvis non intelligit? Primò igitur id obſervetur, ea verba, qvibus ex Scaligeri mente id negatur, eam ædem, qvæ tum temporis exſtruebatur, exilem fuiſſe viſam, ea, inqvam verba, planiſſimè æqvipollere huic affirmativæ orationi: *Vobis iſta ædes, qvam nunc videtis exſtrui, exilis & parùm magnifica videtur.* Porrò ſi ita eſt, hoc eſt, ſi exilis omnino viſa fuit ea ædes, qvæ tum

tum exſtruebatur: ſatis intelligitur, id ita viſum fuiſſe, qvod eam ædem contendere potuerint cum illâ, qvæ à Nabuchodonoſori militibus exuſta fuerat. Si contendere potuerunt, priſtinam viderint neceſſe eſt. Si viderunt deniqve, extiterunt jam illô tempore, cùm priſtina ædes adhuc eſſet incolumis. Hoc illud eſt, qvod prioribus Prophetæ verbis dicitur, qvorum qvippe hic eſt intellectus: *Vos, qvi vidiſtis priſtinam ædem, ego nunc compello, velimqve ex vobis cognoſcere, qvalis iſta ædes, qvam nunc videtis exſtrui, videatur vobis.* Hæc deinde commodè excipit interrogatio, qvæ in poſtremis eſt, hæc nimirùm: *Annon cùm hanc ædem, qvam nunc videtis exſtrui, cum priſtinâ illâ contenditis, exilis & parum magnifica ea vobis videtur?* Cùm autem ζητήσεις iſtas propoſuiſſet Propheta, qvidqve Hebræi de ſtructurâ templi tum cogitarent, expoſuiſſet: tum deinde ſubdit illuſtrem promiſſionem de שכינה, qvæ in illo ipſo templo, qvod tum exſtruebatur, ac parum magnificum videbatur, exſtitura aliqvando eſſet. Verba ita habent v. 7; *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam,* v. 8. *Et movebo omnes gentes,* ובאו חמרת כל־גוים *& veniet deſideratus omnibus gentibus* (deſiderium omnium gentium) *& implebo domum iſtam gloriâ, dicit* DOMINUS *exercituum* v. 9. *Meum eſt aurum, & meum eſt argentum, dicit* DOMINUS *exercituum* v. 10. גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון וגו׳ *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plus qvam primæ &c.* Ipſa hæc, qvæ dictis

ζητή-

ζητήσεσι ſubduntur à Prophetâ, ſatis id oſtendunt, qvod ante dicebamus, externam ſpeciem ſecundi templi Hebræis parum magnificam fuiſſe viſam, dum eam cum priſtini templi ſplendore contenderunt. Propterea enim, qvod id ita viſum fuit, Propheta de futuro templi ſplendore juſſus fuit vaticinari. Sed de intellectu verborum Haggæi plus ſatis. Apparuit, credo, abunde, tum, cùm iſta verba pronunciavit Haggæus, hoc eſt, ſecundô annô Darii, ſuperfuiſſe adhuc homines, qvi priſtinum templum vidiſſent.

XXVII. Si nunc igitur ſecundus iſte Darii annus, qvô Haggæus iſta pronunciavit, qvóqve templum inſtauratum fuit, ſecundus eſt Darii Nothi: neceſſe eſt tum temporis inter Hebræos fuiſſe, qvi ducentos ferè annos fuerint nati. Tantam autem ætatem in hominibus iſtôc ævô viventibus potuiſſe deprehendi, vero non parum eſt abſimile. Sanè jam tum illô annô Cyri, qvi in ſacris literis ipſius ſecundus dicitur, qviqve CXVI annis abeſt à ſecundo Darii Nothi, ſenes eſſe neceſſe erat, qvi priſtinum templum vidiſſent, id qvod ex tertio Eſræ capite v. 12. intelligimus. *Plurimi*, inqvit divinus Scriptor, *de Sacerdotibus & Levitis, & Principes patrum, & Seniores, qvi viderant* (vidiſſe poterant) *templum prius, cùm fundatum eſſet & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magnâ*, qvòd ſcilicet initia iſtius ædificii non viderentur reſpondere priſtini templi ſplendori. Ex qvo incredibilius etiam videri poſſit, ſecundô Darii Nothi annô vixiſſe qvoſdam, qvi templum prius vidiſſe potue-

fuerint. Sed qvod diximus, neceſſe eſſe, illos ducentos ferè annos fuiſſe natos, id paucis nunc oſtendemus. Principiò fuerint modò illi, qvos ex verbis Prophetæ intelligi licet probè potuiſſe meminiſſe, qvantus priſtini templi fuiſſet ſplendor, & illud ipſum, qvod tum exſtruebatur, cum eo contendere, fuerint, inqvam, XX modò annos nati, cùm templum exureretur à Nabuzaradane. Porrò ab excidio urbis uſqve ad ſecundum Darii Hyſtaſpis annum numerantur ipſi LXX anni, ut ſuprà oſtendimus. Addantur illis reliqvi Darii Hyſtaſpis, hoc eſt, XXXIV anni: itemqve XXI anni Xerxis: XLI Artaxerxis Longimani: Darii Nothi duo. Ita ſummam colligere licebit CLXXXVIII annorum. Et illos, qvi ſecundô annô Darii Nothi ædificationi templi intererant, priſtinum autem itidem viderant, neceſſe eſt egiſſe annum centeſimum octogeſimum octavum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Cùm autem illa ita ſe habeant, judicamus de duabus adverſis ſententiis, dicimuſqve Hieroſolymitanum templum non fuiſſe inſtauratum ſecundô annô Darii Nothi, qvòd improbabile ſit, ſupereſſe tum temporis potuiſſe, qvi templum priſtinum vidiſſent: fuiſſe autem exſtructum annô ſecundô illius Darii, qvô imperante ſupereſſe potuerunt, hoc eſt, Darii Hyſtaſpis. Sanè tantam ætatem, qvanta dictis hominibus tribuenda foret, ſi adverſa ſententia obtinere debeat, neqve ipſi Patriarchæ, Abrahamus, Iſaacus & Jacobus attigerunt: nedum illi, qvi poſt eos vixerunt, atqve itidem inter μακροβίυς fuerunt Levi, Moſes, Jojada, aliiqve. Abrahamus

qvidem

qvidem tum deceſſit, cùm CLXXV annos natus eſſet: Iſaacus autem, cùm vixiſſet CLXXX annis: Jacobus deniqve, cùm vixiſſet annis CXLVII. Poſt iſtos verò maximæ hominum ætati demptum ferè fuit. Notum eſt illud ex Pſalmo XC. 10. ימי שנותינו בהם שבעים שנה ואם בגבורות שמונים שנה: Qvòd de Pinehaſo, Eleazari filio, Aaronis verò nepote, ex ſacris literis qvidam colligunt, eum CCC annis vixiſſe, id parum liqvet. Sentimus cum illis, qvi putant ea, qvæ de ipſo in Judicum libro c. XX. 28. legimus per ὑστερολογίαν eſſe memorata. Sanè ὑστερολογίαις, itemqve προλήψεσιν in ſacris literis nihil eſt freqventius.

XXVIII. Sed objicitur nobis μακροβιότης qvorundam hominum, qvam Plinius ac Phlegon Trallianus memoriæ prodiderunt. Deinde ejuſcemodi incommodum, qvale nos adverſæ parti noviſſimè objecimus, hæc nobis & ipſa ſe oggerere poſſe autumat. Qvæ igitur antè, qvàm finem faciamus, penſitanda ſuſcipiemus. Non ſanè negabimus, fuiſſe olim, & noſtrâ qvoqve ætate exiſtere homines, qvi communem ætatem multùm ſupergreſſi fuerint, aut ſupergrediantur. Primò certa climata ſunt ac regiones, qvæ meros ferè μακροβίους alunt. In his ipſæ aqvæ, aër ac cœlum longævitatis cauſæ exſiſtunt. Apolloniæ in Macedoniâ incolæ μακρόβιοι fuerunt dicti, qvòd diutiùs viverent, qvàm aliorum locorum incolæ. Inter Æthiopes fuerunt, qvi ob longævitatem ſuam peculiari nomine μακρόβιοι, pòſt autem & Homeritæ fuerunt di-

ēti.

ſti. Vide de hoc excerpta Theophanij & Nonnoſi, apud Photium. Deinde inter illos, qvi in una eademqve regione degunt, ſunt qvidam, qvorum ætas excedit eam, qvæ communis eſt plerorumqve omnium. Ejus cauſæ non ineptè putatur ipſa ſeminis, ex qvo procreati tales ſunt, conditio: & deinde ἡ δίαιτα ſeu vivendi ratio. Plinius in libro VII naturalis hiſtoriæ c. XLVIII & XLIX complures recenſet cujus poſterioris generis. In capite qvidem XLIX memorat in cenſu Imperatorum Cæſarum Veſpaſianorum CXX annos Parmæ tres edidiſſe: Brixelli unum CXXV: Parmæ duos edidiſſe CXXX: Placentiæ unum CXXXI: Faventiæ unam mulierem CXXXII: Bononiæ L. Terentium Marci filium, Arimini vero M. Aponium C & L: circa Placentiam M. Mutium CXL edidiſſe, & qvæ ſunt his ſimilia. In capite vero XLVIII narrat ferè iſtis majora: Arganthonio Tarteſſiorum Regi CL annos tributos fuiſſe ab Anacreonte: Cinyræ Cypriorum Regi X annis amplius. Ægimio CC tributos fuiſſe à Theopompo: Epimenidi Gnoſſio CLVII ab Hellanico. Proditum item fuiſſe qvoſdam in Ætoliâ Epiorum gentis CC annos explere: Pictoreum qvendam etiam CCC vixiſſe. Fuiſſe deniqve prodita de ætatibus hominum, qvæ iſta longè etiam ſuperant. Subdit vero his ipſe Plinius ἐπίκεχειν ſuam, dicitqve inſcitiâ temporum ea accidiſſe: annum enim alios æſtate unum determinâſſe, & alterum hyeme: alios qvadripartitis temporibus, ſicut Arcades, qvorum anni trimeſtres fuerint: qvosdam Lunæ ſeniô, ut Ægyptios.

tios. Sed ad Arganthonii ætatem dicat qvis iſtam Plinii ἐπίκρισιν non pertinere. Proditum enim ab ipſo Plinio eſſe in c. XLIX in cenſu Cæſarum Veſpaſianorum M. Aponium & L. Terentium edidiſſe CL annos: alios item edidiſſe non multò pauciores. Non igitur moroſè nos contendemus, ea, qvæ de ætate CL annorum, aut hâc minore ſunt prodita, prorſùs conficta eſſe. Qvanqvàm Arganthonio poſſemus dicere C modò & XX annos tributos eſſe ab Herodoto in libro primo. Tantùm pluribus annis, qvàm CL vixiſſe aliqvos, ægrè ſanè conceſſerim. Qvod Vir ſummus, Cl. Salmaſius ſcripſit, illa, qvæ de longiſſimis vitæ ſpatiis Plinio ſunt memorata, fidem adrogare Patriarcharum μακροβιότητι, vel inde eam accipere, id parum liqvet. Qvî fidem illa adrogare poſſunt his, qvæ creduntur ob alias cauſas? Qvî etiam fidem ab his accipere qveunt? Annon peculiarem qvandam rationem credemus fuiſſe Patriarcharum? Inter ea, qvæ Plinius ex aliis recenſet, & hoc eſt, Dandonem qvendam in Illyrico D annis vixiſſe: alium vixiſſe DC & hujus filium DCCC annis. Ni ante cataclyſmum hi vixerunt, aut paucis poſt illum annis, non potuit eorum tanta ætas eſſe. Non ipſe Semus DCCC annis vixit; ſed modò DC. Eorum verò ætati, qvi Semum ſecuti fuerunt, paulatim apparet fuiſſe demptum. Arphaxadus explevit CCCCXXXVIII annos: CCCCXXXIII Salah: CCCCLXIV Eberus: CCXXXIX Pelegus: CCXXXIX Regu: CCXXX Serug: CXLVIII Nahor: CCV Tharah: CLXXXV Abrahamus; CLXXX

Iſaacus: CXLVII Jacobus. Qvi Jacobum ſunt ſecuti, maximam ætatem habuerunt CX aut CXX aut CXXX annorum. Sanè in iſtâ ætatum varietate peculiare qvidpiam eſt: neqve cæterorum hominum ætas comparari cum iſtis poteſt aut debet. Intelligimus poſt cataclyſmum paulatim decreviſſe maximum vivendi ſpatium, donec centum paulo ampliùs annis idem fuit determinatum. Si Dandonem Iↄ. annis vulgaribus vixiſſe credit vir ſummus; ſi item Latmiorum inſulæ Regem (nam ſic ex MS ipſe reſtituit) Iↄc, ejuſqve filium Iↄccc annis: neceſſe eſt, hos vixiſſe ante cataclyſmum aut non multò poſt eundem. Qvanqvàm dubitare etiam licet, an iſta vivendi ſpatia, qvæ ex ſacris literis recenſuimus, cum illis, qvi ea habuerunt, communia fuerint aliis, qvi iiſdem ætatibus vixerunt. Fuiſſe autem iſtos homines cataclyſmo proximos, oppidò ſanè eſt incredibile. Sed conceſſimus ferè, Argonthonium Tarteſſiorum Regem explêſſe CL annos: totidem item annos edidiſſe duos in Veſpaſianorum cenſu. An igitur neceſſe qvoqve habemus concedere, Jeſuam & Zorobabelem explere potuiſſe XL annos? Non omnino. Mirum profectò, ſi duo iſti Viri, qvorum alter Pontifex, alter Dux fuit Hebræorum, tantam ætatem unà attigerunt, & iiſdem temporibus. Qvid verò ad id reſpondebitur, qvôd oſtendimus, ſi Artachſaſtha, cujus in Eſræ IV capite fit mentio, ſit Artaxerxes, neceſſe eſſe Cuthæorum non paucos vixiſſe CXLV annis; Qvid item ad illud, qvòd oſtendimus, ſi ſextô demum Darii Nothi annô exædificatum fuit templum,

plum, neceſſe eſſe, qvosdam homines CC ferè annos explevisſe? Negari non poteſt, qvin δυσπίϑανα ea ſint, uti diximus.

XXIX. Supereſt ut & alterum illorum, de qvibus pauló ante diximus, ſuſcipiamus expendendum. Exiſtimant qvidam, ex noſtrâ qvoqve ſententiâ ſeqvi, qvod non aliter ſeſe habeat, qvàm id qvod nos objecimus adverſæ. Dicunt igitur, Nehemiam ſuperſtitem adhuc fuiſſe Alexandri Magni temporibus: idqve eô conantur probare, qvod in libro Nehemiæ extremo memoratur Jaddua, utpote qvem Alexandri Magni temporibus vixiſſe ex Joſepho conſtet. Nehemiam diximus in Palæſtinam remigrâſſe viceſimô annô Artaxerxis Longimani. Fuerit tum XX annos natus. Ut intelligamus, qvantam ejus ætatem neceſſe ſit fuiſſe, ſi ad tempora uſqve Darii Codomanni & Alexandri Magni vixit, colligamus annos Regum, qvi interceſſerunt. Primo XX annis Artaxerxis Longimani addamus ejus ceteros, hoc eſt, XXI. Ampliùs XIX Darii Nothi: XLIII Artaxerxis Mnemonis: XXIII Artaxerxis Ochi: III Arſis: VI Darii Codomanni. Ex iſtis annis ſummam colligere licet CXXXV annorum. Et tot igitur annos neceſſe eſt vixiſſe Nehemiam, ſi ad tempora uſqve Darii Codomanni vixit. Sed non neceſſe eſt ſtatuere, Nehemiam Darii Codomanni tempora attigiſſe. Non continuò, ſi Jaddua ea attigit, eadem attigit & Nehemias, qvi Jadduæ mentionem fecit. Jadduam iſtis temporibus jam tum ſenem fuiſſe, collegimus ſupra ex Joſepho, qvòd hic prodiderit, Jadduam deceſſiſſe circa ea

tempora, qvibus deceſſit Alexander M. Si jam ſenex tum fuit, probabile eſt bene multis annis inde à temporibus Artaxerxis Mnemonis eum geſſiſſe pontificatum. Et credere licet, Nehemiam ſuâ ætate attigiſſe poſtremos annos Artaxerxis Mnemonis, primóſqve Jadduæ, Hebræorum Pontificis. Ita Nehemiæ tribuendi fuerint C admodum anni: qvot eum explêſſe, non ſanè eſt incredibile. Sed oggerunt Saneballetis qvoqve μακροβιότητα, qvam huic tribui ſit neceſſe, ſi noſtra ſententia obtinere debeat. Primò ex Nehemiæ ultimo capite oſtendere poſſunt, cùm is muros excitare laboravit, vixiſſe Saneballetem qvendam Horonitam; cum qvo affinitate ſe devinxerit Manaſſes filius Jojadæ ſummi Sacerdotis. Deinde ex Joſephi lib. undecimo cap. VIII. arceſſunt, temporibus Alexandri Magni vixiſſe itidem Saneballetem qvendam Samaritanum, qvi ab Alexandro impetraverit, ut genero ſuo Manaſſi liceret templum exſtruere in monte Garizim. Dicunt igitur, ſi noſtra ſententia obtinere debeat, Saneballetem vixiſſe C & XL amplius annos: Manaſſem item ferè totidem. Nos dicimus contra ea, non neceſſe eſſe ſtatuere, Saneballetem & Manaſſem, qvorum Nehemias mentionem fecit, eoſdem eſſe, de qvibus narravit Joſephus. Manaſſem non eundem fuiſſe, ex eo ſciri poteſt, qvod Nehemias in cap. XIII. v. 28. prodidit, Manaſſem, cujus ipſe mentionem fecit, fuiſſe filium Jojadæ, ſummi Sacerdotis, atqve adeò patruum Jadduæ: Joſephus autem, Manaſſem, cujus ipſe mentionem fecit, fuiſſe Jadduæ fratrem. Qvoniam verò

appa-

apparet, diverſos eſſe Manaſſes, fuerunt etiam diverſi Saneballetes. Qvòd verò Saneballetes, qvi Nehemiæ ætate vixit, & alter qvi temporibus Alexandri Magni, affines habuerunt eodem nomine appellatos, id neminem turbare debet. Sunt iſtiuſmodi συγχυρίαι ſive caſus in hiſtoriarum monumentis qvamplurimæ. Memorantur in ſacris literis duo viri, qvi & eôdem nomine dicti, & iiſdem malis artibus infames, Zedekias puta, qvi Achabo proſperum belli eventum prædicere voluit, & alter Zedekias, qvi, cùm à Nabuchodonoſoro deportatus eſſet, ceteris deportatis proſpera itidem prædixit, qvo de legere eſt in Jer. XXIX. capite. In ſacris literis & hiſtoriâ eccleſiaſticâ memoratur Simon qvidam Magus, Samarita genere. Ei nomine & malis artibus ſimilem memorat Joſephus l. XX. ἀρχαιολογίας c. V. Sed poſterior hic fuit Cyprius natione. Gregorii Magni, Romani Pontificis ætate ſedit in novâ Româ Johannes ὀνηστευτής. Cùm in veteri Româ ſedit alter Gregorius, in novâ Româ ſedit itidem alter Johannes. In eccleſiaſticâ hiſtoriâ duo memorantur Kiliani, qvorum uterqve Hibernus, uterqve Vir Apoſtolicus, uterqve ex patriâ in Germaniam profectus, uterqve Martyr vel confeſſor fuit. Complures iſtiuſmodi caſuum ſimilitudines recenſet Plutarchus in vitâ Sertorii & in parvis parallelis. Sed de argumento, qvod tractandum ſuſceperamus, tandem aliqvando finem faciemus commentandi.

EXERCITATIO QUARTA.

De voce Seſach, qvæ Jerem. XXV. & LI. legitur: deqve tempore, qvô Babylon expugnata fuit à Cyro.

IN ſacris literis, qvas ipſarum autores aſſeverant utiles eſſe ac unicè directas ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad inſtitutionem, in illis, inqvam, qvamplurima eſſe, ad qvorum intellectum ſine adminiculo hiſtoriæ ac eruditionis τῆς ἔξω vix ac ne vix qvidem penetrari poſſit, cordati Viri ſæpe multúmqve monuerunt. Tot etiam illuſtribus exemplis id demonſtrârunt ipſi, ut qvi negare auſit, minimè ſit audiendus, ſed meritô ſuô repellendus illico. Sanè nemo intelliget, qvi fuerint Aſiarchæ, qvid in ſtadio currere, qvid theatrum, qvid θριαμβεύειν, Areopagus & Areopagites, niſi ex dictâ hiſtoriâ id didicerit. Talibus verò accenſendam nos putamus vocem שֵׁשַׁךְ *Scheſchach*, qvæ in Jeremiæ capite XXV. 27. & LI. 41. legitur. Diſpicere item eſt animus, qvid ad eam intelligendam dicta hiſtoria conferre poſſit videri.

II. Principio id præclarum eſt, qvòd liqvere poteſt in utróqve loco Jeremiæ de rebus Babyloni-

byloniçis agi. In capite qvidem XXV. cùm Propheta ſcripſiſſet, ſe calicem DOMINI accepiſſe, ac propinâſſe, hoc eſt, pœnas denunciâſſe cunctis regibus ac gentibus, tandem in verſ. XXVI. hæc addit: ומלך ששך ישתה אחריהם *Et Rex Seſach bibet poſt eos.* Atqve in his Regem Babyloniæ indigitari, intelligi ex eo poteſt, qvòd cum in proximis ſeperioribus Reges enumeraverit qvamplurimos, qvibus pœnas denunciare fuerit juſſus, in iiſdem Regis Babyloniæ nulla ſit mentio; cùm tamen inprimis iſti Regi pœnas denunciare inſtituiſſet. In v. XII, de ejuſdem Regis clade Propheta ſcripſerat his verbis: *Cùm impleti fuerint LXX anni* (captivitatis Hebræorum, ac Hieroſolymorum vaſtitatis) *viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit DOMINUS, iniqvitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum.* Cùm verò iſtis verbis ac paulò etiam pluribus de clade Regis Babyloniæ ſeorſim prædixiſſet, in v. XV. & hunc ſeqventibus αἰτιολογίαν qvandam de qvorumvis Regum clade hæc ſubdit כי כה אמר יהוה *Quia ſic dicit DOMINUS, DEUS Iſraël: Sume calicem vini furoris hujus de manu meâ, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad qvas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladii, qvem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu DOMINI, & propinavi cunctis gentibus, ad qvas miſit me DOMINUS: Jeruſalem, & civitatibus Juda, & Regibus ejus & Principibus ejus; ut darem eos in ſolitudinem, & in deſolationem, & in ſibilum, & in*

& in maledictionem, ſicut eſt dies iſta. Pharaoni, Regi Ægypti, cunctis Regibus terræ Uz, & cunctis Regibus terræ Philiſtim, & Aſcalonis, & Gazæ, & Accaron, & reliqviis Azoti, & Idumææ, & Moab, & filiis Ammon: & cunctis Regibus Tyri, & univerſis regibus Sidonis &c. Enumerat Propheta plures qvoqve alios Reges, qvibus pœnas denunciare fuerit juſſus. Cùm verò in ceteris illis qvamplurimis Regem Babylonis non nominâſſet, poſtremò omnium de Rege Seſach prædicit, & ipſum neceſſe habiturum bibere. Apparet ſatis, nihil relinqvi dubii, qvin Rex Seſach ſit Rex Babylonis. In capite verò LI agi itidem de Babyloniorum clade, illud ipſum caput legenti minimè poteſt eſſe obſcurum. Cùm clades ea multis deſcripta jam eſſet, in v. XLI. hæc adduntur. איך נלכדה ששך ותתפש תהלת כל הארץ איך היתה לשמה בבל בגוים *Qvomodo capta eſt* Seſach *& comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ? qvomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter gentes?*

III. In utróqve loco de rege ac regno Babylonico agi, liqvere ſatis poteſt. Sed qvid voce Seſach ſeorſim ſignificetur, de eo parum convenit inter doctos: utrum urbs, an verò regio, aut idolum: & ſi urbs ſignificatur, qvænam illa ſit. Nos hic mox profitemur, perqvam commodas videri Prophetæ ῥήσεις, ſi voce Seſach ipſam Babylonem indigitavit. Chaldæorum ſive Babyloniorum Rex ſæpiſſime, imò & in prioribus verbis prædicti capitis מלך בבל *Rex Babel* appellatur. Huic igitur valdè ſimilis eſt iſta ῥῆσις, qvæ in Jer. XXV. capite eſt,

מלך ששך *Rex Seſach.* Deinde in altero capite dicitur utiqve de urbe Babylone, eam deſolatum iri. Cùm igitur in eodem etiam hæc habeantur, *qvomodo capta eſt Seſach*: voce Seſach idem indigitari, qvod nomine *Babel*, hoc eſt, primariam regni Babylonici urbem, id ſanè aliis ſacræ ſcripturæ ῥήσεσι valdè eſt ſimile. Hæc enim unam eandémqve rem diverſis vocabulis ac ῥήσεσι ſæpiſſime exprimit. Exemplum eſt in his Pſalmi CV. 23. *Iſraël proficiſcebatur in Ægyptum, & Jacob fiebat incola terræ Cham.* Hic una eadémqve regio duplici nomine appellatur: & una eadémqve enunciatio diverſis verbis exprimitur. Nec aliter fit in qvamplurimis aliis. Deinde ſi ipſam urbem Babylonem intelligamus, poteſt tamen dubium eſſe de ratione appellationis, qvæ puta cauſa aut occaſio fuerit, qvamobrem Babylon nomine *Seſach* ſit appellata. Sed ante, qvàm qvid veriſſimum ſit, apertè dicamus; ἀπορήσομεν paulum, & aliorum exponemus ac conſiderabimus ſententias.

IV. Illuſtri Scaligero nihil commodius viſum fuit, qvam Seſach eſſe nomen Deæ ſive Numinis tutelaris Babyloniis culti. Confidenter ipſe primus ſcripſit: *Seſach nomen Deæ apud Jeremiam LI.* Vide librum VI. de emend. temp. pag. 578. Conſenſerunt item clariſſimi & ſummi Viri, inter qvos ſunt Joh. Seldenus, Gerh. Joh. Voſſius. Laur. Fabricius. Seldenus meritò verendum cenſet, ut aliud omnino qvid de Seſach innoteſcat, qvàm Numen duntaxat hôc nomine Babyloniis fuiſſe cultum. Vide ejus ſyn-

 tagma

tagma II. de Dis Syris, cap. XIII. Voſſius, cùm aliam qvandam opinionem rejeciſſet, hæc ſubdit: *Qvanto veriſimilius eſt* κατὰ μεἰωνυμίαν *DEUM tutelarem ſumi pro urbe.* Vide præclarum ipſius opus de Theologiâ gentili p. 416. Verùm enimverò his talibus Ulpianus non meritò oggeſſerit ſuum πȣ͂ κεῖται. Conjecturam item fecerunt ſummi iſti Viri, à Numine Babyloniorum, qvod Seſach fuerit dictum, appellationem ſortita fuiſſe τὰ Σάκαια, feſtum illud Babyloniorum ac Perſarum, qvod memorant nonnulli Veterum. Voſſii dictô locô hæc ſunt verba: *Suſpicari qvis poſſet hoc nomen* (Σάκαια) *fortaſſe venire à Numine Babyloniorum Seſach, unde Sach fecerint.* Seldeni item hæc ſunt: *Seſach Numen eſt apud Jeremiam. Ab eo (ſic volunt Viri doctiſſimi) Sacea, feſtum Babyloniorum, dicta, ſeu* ἡμέρας Σακέας, *ut apud Romanos Saturnalia à Saturno.* Voſſius tamen conjecturam ſuam rurſus ferè abjicit. *Sanè*, inqvit, *niſi ſacra dicta eſſent à Sacris Scytico populo, non Babylonii ac Perſæ hoc feſtum Scythicâ veſte, qvod Strabo teſtatur, celebraſſent, nec Heſychius* Σάκαια Σκυθικὴν ἑορτὴν *interpretaretur.* Seldenus item cùm priora illa ſcripſiſſet, mox hæc ſubjungit: *Saceos dies ei* (numini) *ſacros conſtanter aſſerere non ita facile eſt.* Scaligero autem feſtum Σάκαια, qvod in profanis ſcriptoribus ipſe deprehenderat; occaſionem dedit, ut Seſach apud Jeremiam conjiceret Numen eſſe, ſtatueretqve adeò, ipſum feſtum Σάκαια ab iſto Numine ſortitum fuiſſe appellationem. qvemadmodum apud Romanos

Satur-

Saturnalia ac Bacchanalia à Diis, qvi à Romanis culti fuerunt. Apparet illud ex verbis Scaligeri, qvæ ſunt in notis ad fragmenta qvædam Veterum, operi de emend. temp. adjunctis, & qvidem pag. 18. *Neqve ſolùm*, inqvit, *feſti illius meminit Propheta cui operantes capti ſunt Babylonii, ſed etiam idoli, cui ſolemne illud dicatum. Nam Sac ſive Seſac Dea apud Babylonios, cui qvinqve dies in omni licentiâ tranſigebantur, qvæ dies ab ipſâ Deâ* Σακέαι ἡμέραι *vocabantur, inſtar Saturnalium Romanorum.*

V. Strabo in undecimo γεωγραφικῶν ſcribit, Cyrum, cùm inſigni ſtratagemate Scythas appetiiſſet, incautóſqve ac vinô ſepultos obruiſſet in caſtris, in memoriam iſtius victoriæ inſtituiſſe, ut, ubicunqve eſſet templum Anaitidos, Perſarum Numinis, diem noctémqve biberetur Scythicô more. Victoriam iſtam obtinuit Cyrus, uti notum eſt, ſub finem vitæ ſuæ, cum Babyloniam aliqvot jam annis habuiſſet in ditione ſuâ. Et tum demum igitur, ſi Straboni credimus, feſtum Σάκαια inſtitutum fuit à Cyro. Verùm, qvò minus originem feſti ad Cyrum referendam putemus, facit autoritas Beroſi & Cteſiæ, qvorum teſtimoniis, vel potius tractationis ordine, conſtat, feſtum Σάκαια jam ante Cyri tempora, agitatum fuiſſe à Babyloniis. Strabo qvidem ipſe profitetur, ſe ea, qvæ de dicto feſto prodidit, ex dubio relatu habuiſſe. Occaſionem verò conjecturæ iſti videtur illud dediſſe, qvòd Scythæ etiam Sacæ appellantur, ſive qvòd Sacas conſtat eſſe Scythicam gentem. Cogitatum nimirum hinc videtur, tum, cùm Sacas vi-

cit

cit Cyrus, inſtitutum demum fuiſſe feſtum Σάκαια, & à Sacis qvoqve appellatum.

VI. Qvod de Beroſi & Cteſiæ autoritate dicebamus, de eo ex Athenæi libro XIV. δειπνοσοφιςῶν conſtat. In hoc nimirum illuſtria verba leguntur iſta: Βήρωσος ἐν πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν τῷ Λώῳ φησὶ μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέας προσαγερευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε, ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαι τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐν δεδυκότα ϛολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ, ὃν καὶ καλεῖσθαι ζωγάνην. μνημονεύει τῆς ἑορτῆς καὶ Κτησίας ἐν δευτέρῳ περσικῶν, *Beroſus librô primô Babylonicorum ſcripſit, menſis Loi decimâ ſextâ die per qvinqve dies Babylone feſtum celebrari* (qvod) *Sacea* (Saceas) *nominant, cujus tempore mancipia Dominis imperant, & ex ſervis unus qvidem præeſt ædibus, veſtem indutus regiæ ſimilem, qvam* (qvem) *Zoganam vocant. Hujus feſti meminit & Cteſias in Perſicis* (in ſecundo Perſicorum.) Qvale feſtum fuerint αἱ Σακέαι, ex his Athenæi liqvidò apparet, ſimile nimirum fuiſſe illud Romanorum Saturnalibus. Hauſit verò illa Athenæus, ut ipſe profitetur, ex Beroſo & Cteſiâ. Beroſo qvidem præcipuè fides in his adhibenda fuerit: qvippe is Babylonius fuit, & Beli Sacerdos. Cteſias item, qvamvis ſæpe deprehenſus ſit ἐψευσμένος καὶ μυθολογῶν, hic tamen, qvia Beroſo conſentanea narravit, fidem meretur. Sed, qvod de ordine hiſtoriæ diximus, id am-

Digitized by Google

ampliùs exponendum eſt. Cteſiæ igitur Perſica Photius in μυριοβίβλῳ teſtis eſt, in XXIII libros tributa fuiſſe: & in horum prioribus ſex res Aſſyriorum, & qvæcunqve res Perſicas præceſſerunt, fuiſſe expoſita. Beroſus item in primo Βαβυλωνιακῶν non Perſica, ſed Babylonica prodiderat. Cùm igitur Cteſias in ſecundo; Beroſus in primo feſti Σακεῶν mentionem fecerit: nihil dubitandum videtur, qvin illud ipſum feſtum Babyloniis agitatum jam tum ante fuerit, qvam in Perſarum poteſtatem ipſi redigerentur. Qvoniam autem jam ante Cyri tempora feſtum Σακέαι à Babyloniis agitari ſolitum fuit, non potuit illud appellationem accipere à Sacis tum demum, cùm eos ſtratagemate vicit Cyrus. Et, ſi ſtatuere qvis velit, à Sacis illud dictum, credendum eſt id factum fuiſſe ante Cyri tempora, vel qvòd ipſi Babylonii (qvi utiqve ante Cyri tempora id habuerunt) à Sacis id accepiſſent, vel qvòd iidem in memoriam alicujus à Sacis reportatæ victoriæ inſtituiſſent. Non poteſt tamen qvidqvam certi ſciri de iſtâ appellatione. Et ſufficere nobis debet, fuiſſe apud Babylonios feſtum aliqvod iſtôc nomine.

VII. Cum iſtius igitur feſti nomine conferunt Viri docti vocem ששך qvæ apud Jeremiam eſt, dicuntqve Seſach eſſe nomen idoli; & ab hoc idolo feſtum aliqvod apud Babylonios appellationem fuiſſe ſortitum, qvemadmodum Saturnalia à Saturno. Verùm enim vero iſta de numine Seſach conjectura vix levi occaſione eſt facta: qvo autem refelli poſſit, ex ipſis Jeremiæ verbis

bis videtur ſuppetere. Principio cogitandum eſt, ſi ſciamus Σακέας fuiſſe feſtum Babyloniorum, non continuò neceſſe eſt à nomine alicujus idoli aut numinis id ita dictum fuiſſe. Multa enim apud varias gentes feſta fuerunt, qvæ vel à loco, vel à tempore, vel ab ipſo id agitandi modo vel deniqve aliunde ſortita fuerunt appellationem. Unde igitur ſcietur illud, Babylonios numen coluiſſe, cui Seſach nomen fuerit? Diſertè id nemo ſcripſit Veterum. An verò ex iis, qvæ Jeremias de Seſach habet? Cogitemus ſanè, an hæc de numine qvodam intelligi qveant. In capite XXV dicit Propheta, *Rex Seſach bibet poſt eos.* In his ſi Seſach numen ſignificat, Rex Babyloniorum dictus eſt Rex ſui numinis, qvæ forma inſolens ſanè eſt & ſine exemplo. Cùm voci מלך jungitur altera, à qvâ, ut Grammatici loqvuntur, regatur ipſa: tum vox illi juncta ſolet eſſe rei poſſeſſæ, ſive talis, in qvam dominium obtineri poſſit. Eâ formâ dicitur, מלך מצרים/ מלך כשרים, מלך בבל. Sed hoc ipſum non bene convenire noſtro, id facilè liqvere poteſt. Ipſa numina gentium in ſacris qvandoqve inducuntur ut Reges vel Duces, e. c. in hoc, *Malcom* (idolum Ammonitarum) *poſſidet terram Gad, & populus ejus habitat in ejus urbibus*, Jer. XLIX, 1. Sic Camos idolum Moabitarum in XLVIII Jeremiæ v. 7. dicitur cum *principibus ſuis* deportandus eſſe. Dicuntur item Moabitæ *populus Camos*, Jer. XLVIII. v. 46. & Num. XXI, 29. Nunqvam verò, qvod qvidem nos ſciamus, idola introducuntur, ut aliqvid, in qvod dominium

obti-

obtineatur. Deinde in ῥήσει iſtâ, *Rex Seſach*, vocem Seſach non poſſe idolum ſignificare, ex eo qvoqve conſtare poteſt, qvòd ceteri omnes Reges, qvi ſanè in præcedentibus qvamplurimi enumerantur â regionibus, urbibus & populis, qvi ab iis regnati fuerunt denominantur. Qvâ nimirum formâ dicuntur hæc, *Rex Ægypti*, *Rex terræ Philiſtim*, *Rex Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Rex Sidonis:* eadem qvoqve putandum eſt dici, *Rex Seſach.* Sed injicit Cl. Seldenus in dicto loco, *Prophetam*, *meminiſſe ipſam urbem eodem* (numinis) *nomine*, hoc eſt, nomine idoli κατὰ μετωνυμίαν ipſam urbem indigitaſſe. Qvod ſi verum eſt, non incommoda ſanè ῥῆσις foret. Verum enimvero, ſi id dicere velimus:, oportet priùs aliunde conſtare, coluiſſe Babylonios numen qvoddam, qvod Seſach appellarint, qvemadmodum ex Eſ. XLVI. & Jer. L. 1. conſtat, coluiſſe eos numina, qvorum nomina, fuerint Bel, Merodach, Nebo.

VIII. Fortaſſis ex altero loco Jeremiæ, qvi eſt in ejus LI capite, ſciri id poteſt, Seſach fuiſſe idolum. Recolamus igitur verba: *Qvomodo capta eſt Seſach*, *& comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ? qvomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter gentes?* An horum prima de idolo putabimus dicta eſſe? Sunt ſanè in Jeremiâ ῥήσεις, qvæ non multùm abſimiles eſſent huic noſtræ, ſi de idolo hæe intelligeretur. Nimirum in cap. XLIIX. v. 7. de Moabitarum idolo hæc leguntur, ויצא כמוש בגולה *& ibit Camos in transmigrationem*, *Sacerdotes ejus ſimul.* Nec aliter in c. XLIX,

c. XLIX, de idolo Ammonitarum: *Malcom in transmigrationem ducetur* (ibit) Sic & in c. L. v. 1. de idolis Babyloniorum, *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt omnia ſculptilia ejus, confracta ſunt idola eorum.* Poſſunt ſanè hæc commodè ſatis ſine metonymiâ putari dicta eſſe, qvod nimirum ipſa idola, qvibus gentes confiſæ fuerant, unà cum gentibus eſſent aſportanda, aut confringenda, ipſæqve adeò gentes agnituræ tandem, qvam temere iis fuiſſent confiſæ. Cl. Seldenus, cùm dixiſſet, Seſach eſſe numen, addit deinde, *Prophetam* (Jeremiam) *meminiſſe ipſam urbem* (Babylonem) *eodem* (numinis Seſach) *nomine. Bel qvoqve, Merodach, Melcom, pro ipſâ gente ſeu populo, à qvo in veneratione fuerunt habiti, capitibus tribus præcedentibus* XLVIII, XLIX, L, *ſæpe accipi.* Nos autem illa, qvæ de Bele Merodacho, Camoſo, Malcomo, in iſtis capitibus dicuntur, malimus non κατὰ μετωνυμίαν, ſed ſine eâ intelligere, ipſa nimirum idola eſſe confringenda, uti diximus. Qvippe gentes ipſæ, qvas iſtis idolorum nominibus Seldenus putat indigitatas eſſe, in præcedentibus prædictorum capitum commatibus jam ſunt nominatæ. Deinde in his verbis, *Ibit Camos in transmigrationem, Sacerdotes & Principes ejus ſimul*, facilè apparet, incommodam eſſe ῥῆσιν, ſi vocem Camos metonymicè intelligamus: ſacerdotes verò ac Principes referendos eſſe ad ipſum idolum. In iis qvoqve verbis, qvæ ex Jer. L. capite produximus, nomina Bel & Merodach non metonymicè intelligenda eſſe, verborum συνάφεια ſatis

ſatis oſtendit. Ceterùm exiſtimat ipſe Seldenus, ea qvoqve Jeremiæ verba, qvæ in cap. LI de Seſach leguntur, κατὰ μετωνυμίαν intelligenda eſſe; & in iſtis nomen idoli poſitum eſſe pro urbe Babylone. Ergo neqve ex his oſtendet Seldenus, Seſach eſſe nomen idoli: ſed ex aliis ſupponendum ipſi eſt, de numine Seſach liqvere poſſe. Sanè ſi dicimus, vocem aliqvam κατὰ μετωνυμίαν intelligendam eſſe in qvibuſdam verbis, neceſſe eſt ſcire, eam vocem alibi intelligi ſine metonymiâ: e. c. cùm dico hæc, *Ucalegon ardet*, κατὰ μετωνυμίαν intelligenda eſſe de domo Ucalegontis, ſciendum antè eſt, & certò qvidem, vocem Ucalegon & aliud qvid ſignificare. Sic qvoqve, ſi dicemus, τὸ Seſach κατὰ μετων. intelligendum eſſe, & poſitum eſſe nomen idoli pro ipſa urbe: ſciendum antè eſt, Seſach alibi nomen idoli eſſe. Sed nec aliunde id ſciri poteſt. Idcirco nec dicendum fuerit, in verbis Jeremiæ Seſach per metonymiam iſtam, qvam Seldenus indigitat, urbem Babylonem ſignificare.

IX. Sed ipſe Scaliger fortaſſe id non voluit, qvod poſt eum Seldenus, vocem Seſach metonymicè eſſe intelligendam in verbis Jeremiæ. Is enim ita ſcripſit: *Seſach nomen idoli apud Jeremiam.* Et alibi: *Non ſolùm feſti illius meminit Propheta, cui operantes capti ſunt Babylonii, ſed etiam idoli, cui ſolenne illud dicatum.* Vide pag. 18. Not. ad fragm. Veterum: ubi & plura ſcripſit in eam ſententiam. Cogitemus igitur ampliùs, an Seſach poſſit putari nomen idoli eſſe.

In Jeremiæ cap. XXV. non poteſt nomen idoli eſſe, ut antè oſtendimus. In iis verò, qvæ in cap. LI leguntur, per ſeſach poſſe numen intelligi, ſuſpicari qvis poſſit, ſi illa, qvæ de Malcomo, Camoſo, aliiſqve idolis collegimus, conſideret. Ut de idolo Malcomo dicitur, captivum abductum iri: ita de idolo, cui Seſach nomen fuerit, Jeremias dicere fortâſſe potuit, נלכדה ששך *capta eſt Seſach.* Verumtamen, ſi probè rem conſideremus, neqve hic numen ſignificari poſſe, facilè apparebit. Si idolum ſive numen intelligemus, neceſſe eſt id pro Deâ fuiſſe habitum. Nam jungitur nomini verbum fœm. generis. Ita cetera Babyloniorum numina Dii fuerint, ut ex Eſaiæ cap. XLVI. & ex Jerem. cap. L. v. 1. apparet: Seſach autem fuerit Dea. Sed de tali numine nihil admodum legitur alibi. In verbis item Jeremiæ, *capta eſt Seſach*, non tam commodè Deam, qvàm urbem ſignificare poteſt. Primò conſideranda ea ſunt, qvæ mox ſeqvuntur, *& comprehenſa eſt* תהלת הארץ *inclyta terræ.* Hæc nimirum ſatis oſtendunt, ea qvæ præcedunt, de urbe eſſe intelligenda. Deinde verò per ἐπεξήγησιν adduntur hæc, *Qvomodo facta eſt in ſtuporem Babylon?* Eadem ſcilicet urbs diverſis nominibus appellatur: qvemadmodum Ægyptus diverſis nominibus appellatur in his, *Iſraël proficiſcebatur* מצרימה *in Ægyptum, & Jacob fiebat incola terræ Cham*, Pſal. CV. 23. Porrò ut in cap. LI. Jeremiæ dicitur, נלכדה ששך: ita in cap. L. verſ. 2. dicitur, נלכדה בבל. Ut ita ſatis appareat, Seſach in verbis Jeremiæ non

non idolum ſignificare, ſed urbem, & qvidem Babylonem, urbem regni Babylonici primariam. Si verò maximè vox Seſach in verbis Jeremiæ idolum ſignificare poſſet: id tamen non foret ſatis; ſed ſciendum ampliùs eſſet, vocem non poſſe intelligi aliter.

X. Satis apparet, Seſach non idolum, ſed urbem Babylonem ſignificare in verbis Jeremiæ. Sed eam urbem non per talem μετωνυμίαν vox ſignificat, qvalem indigitabat Seldenus; ut nimirum nomen idoli pro nomine urbis ſit poſitum. Non liqvet ex ullo Scriptore, Babylonios numen habuiſſe, cui Seſach nomen fuerit. Neqve igitur conjectura de altero illo poteſt fieri. Conſideremus nunc porrò aliorum qvorundam conjecturas. Pleriqve omnes; tum veteres, tum recentiores ſatis agnoverunt, voce Seſach in verbis Jeremiæ Babylonem indigitari. Rationem appellationis autem plurimi crediderunt hanc eſſe, qvod Jeremias ex nomine בבל *Babel* confecerit nomen ששך *Seſach* בגמטריא דאתבש *per Gematricam permutationem modi Athbaſch*, hoc eſt, talem, qvâ pro primâ literâ Alphabeti ponitur ultima ejuſdem: pro ſecundâ penultima: pro tertiâ antepenultima, & ſic porrò. R. Salomo Jarchi in commentario ad c. XXV. Jeremiæ: ששך, היא בבל בא״ת בש. R. Kimchi item ad eundem locum: מלך ששך, מלך בבל. וכן תרגום יונתן וששך היא בבל באלפא ביתא דא״ת ב״ש: Targum ipſum ita habet: ומלכא דבבל ישתי בתריהון. Non autem ex Targum iſto intelligi poteſt, paraphraſten voluiſſe idem illud, qvod Kimchi &

Jarchi volunt, vocem Seſach per Athbaſch eſſe factum. Porrò conjecturas etiam adjungunt de cauſis, ob qvas Propheta urbem Babylonem inuſitatô iſto nomine voluerit appellare. S. Hieronymus qvidem exiſtimat, factum eò eſſe à Prophetâ, ne Regem offenderet, neve in ſe & populum Babylonios, urbem tum obſidentes, exacerbaret. *Arbitror*, inqvit, *à ſancto Prophetâ* (nomen) *prudenter fuiſſe celatum, ne apertè eorum contra ſe inſaniam commoveret, qvi obſidebant Hieruſalem, & jam jamqve ejus potituri erant.* Calvinus eò factum putat, ut Judæi ſcirent, non eſſe feſtinandum, cùm Babyloniis prædicta eſſet pœna; & vaticinium qvaſi ſepultum eſſe. Sed rationes iſtæ leves meritò & joculares videri poſſunt: propterea qvòd ipſum uſitatum nomen urbis, vix tribus verbis interjectis, mox adjungitur in capite L. in his: *Qvomodo facta eſt in ſtuporem Babylon.* Si qvid occultare voluiſſet Propheta, non ſanè ipſum uſitatum nomen urbis mox addidiſſet.

XI. Vir clariſſimus exiſtimat, Jeremiam nomen Seſach poſuiſſe pro more Prophetarum; utpote qvi nomina propria, vel vocibus vicini ſoni, vel ejuſdem numeri, vel converſis literis vel alluſionibus ad certa qvædam geſta ac eventa variare conſveverint. Idem verò & nos volumus, Prophetam feciſſe, ut alii ſolent, & alluſiſſe eum voce Seſach ad certum qvendam eventum. Sanè illud in Scripturâ non inuſitatum eſt, pro nominibus propriis locorum poni appellationes qvaſdam, qvæ in vulgus non fuerunt notæ; à ſanctis autem Viris ita factæ, ut mores,

res, geſta & eventus gentium, qvæ ipſas regiones aut urbes obtinebant, exponerent; ſonum etiam qvandoqve haberent vicinum & non abſimilem alterorum uſitatorum nominum ſono. Ejus generis illud eſt, qvòd Ægyptus appellatur רהב *ſuperba*, Eſa. LI. 9. Pſal. LXXXVII. 4. & LXXXIX. 11. Tale & hoc, qvod Hieroſolyma appellantur אריאל *leo* **DEI** vel *leo potens* Eſa. XXIX. 1. qvòd eadem dicuntur אהליבה *tabernaculum meum in illâ*, Ezech. XXIII. 4. qvòd Bethel dicitur בית און *domus vanitatis*. Ejuſdem generis complura alia legere licet in Gramm. ſ. Glaſſii pag. 829. 830. 831. His verò vox Seſach qvam nunc verſamus, non poteſt eſſe ſimilis, ſi verum illud eſt, qvod prædictus Vir Cl. cum Rabbinis, Hieronymo, aliiſqve ſtatuit, vocem Seſach ſimpliciter per Athbaſch eſſe factam. Ut aliqvô nomine ad certum eventum alludatur, neceſſe eſt illud ipſum nomen aliqvid ſignificare poſſe. Non enim eventus iſte indigitari poteſt, niſi nomen alicujus rei ſit ſignum. Si igitur dicimus Seſach per Athbaſch eſſe factum; & nihil præterea addimus de ſignificatu, qvem vox ita formata obtinere poteſt: non poteſt eâ ipſâ voce ad eventum qvendam alluſum eſſe. Poteſt ſanè fieri, ut per tranſpoſitionem literarum aut per permutationem earundem vocabulum oriatur, qvod ſignificatum obtineat talis rei; qvæ ei, qvod indigitare volumus, valdè accommodata ſit. Et non magnopere nos repugnabimus, Seſach per Athbaſch eſſe factum, ſi modò adjungi poſſit, cujus rei ſignum vox tum poſſit

 eſſe.

eſſe. Si autem hoc non addatur, repudiamus Athbaſch illud, & cum Scaligero ridemus. Propheta utiqve ſignificare aliqvid voluit, cùm Babylonem Seſach appellavit. Neqve enim qvidqvam fidei id meretur, qvod Hieronyinus & Calvinus ſcripſerunt, Prophetam id, qvod dixit, obſcurè voluiſſe dicere.

XII. Alius Vir clariſſimus de voce Seſach conjecturam fecit, diverſam ab omnibus iſtis, qvas hactenus expoſuimus. Is cùm ſcripſiſſet, Arabibus Sultan, Tartaris Chan, Perſis Schaſch, Turcis Padiſchach diverſas imperiorum formas, regiô nomine ſignificare, addit deinde, lucem inde accipere τὸ ששך *Scheſchach*: hoc enim ex idiomate Perſico ac Babylonico idem eſſe cum מלך, & regem vel regiam deſignare. Miratur item, hoc oculos effugiſſe Seldeni, Voſſii & omnium commentatorum. Nobis iſte Viri docti ϛοχασμὸς non placet. De vocabulo Perſico Schah nota res eſt, id regem, vel regio ſimilem principatum obtinentem ſignificare. Sunt ejus veſtigia apud antiqvum Scriptorem Agathiam l. IV. in voce Κερμαϛαὰ, qvæ Carmaniæ Principem ſignificat, uti ſcitè conjectavit. Vir ſummus, Thomas Reineſius in libro I. variarum lect. c. XXV, & in Diatribâ de Lingvâ Punicâ. Ipſa Agathiæ verba hæc ſunt: Οὐαραράνης ὁ παῖς (Saporis, Perſarum Regis) ὃς δὴ καὶ Κερμασαὰ ὠνομάζετο. Τῶν δὲ τοιούτων ἐπικλήσεων ἡ αἰτία ἤδη μοι εἴρηται. Καὶ γὰρ κέρμαν ἔθνους τυχὸν, ἢ χώρας ὑπῆρχεν ἐπωνυμία,

Vara-

Vararanes Saporis filius, qvi & Kermaſaa dictus. Kerma autem gentis forſan alicujus aut regionis nomen eſt. Eſt & veſtigium vocis in Σεγὰν Σαα, qvod eſt apud eundem Agathiam. Qvid autem ſignificet, ex his ejuſdem verbis liqvet: Δύναται τȣ̃το τῆ Ελλήνων φωνῆ, Σεγεσανῶν βασιλεύς. Fuit igitur vox Schah apud Perſas jam tum uſitata, cùm Sapores, & Vararanes viverent, hoc eſt, in ſeculo tertio. Aliqvot etiam ſeculis poſt, cùm Muhammedani rerum jam potirentur, idem vocabulum obtinuit. Benjaminis Tudelenſis ætate Rex Perſarum fuit Senigar Saa, cui ipſe XLV regna paruiſſe in Itinerario ſuo prodidit. Apud Chryſococcen eſt Μελιξᾶ, qvod eſt pro Μελὴκ Σᾶ. In Achmetis Onirocriticis eſt: Σαὰ Νισὰν, βασιλεὺς περσῶν. Obtinet & noſtris temporibus; & modo præponitur, modò poſtponitur nominibus propriis. Dicunt enim Scha Habas, Scha Tamas: itemqve Adel Scha, Nizamo Scha, Cotumi Scha. Apparet idem illud Scha in شاه مات Schahmata, qvô in latrunculorum luſu uti ſolent, qvodqve ſignificat, *Rex cecidit, mortuus eſt.* Iſtam igitur Perſicam vocem Schah, qvæ ſanè antiqva eſt, & in tertio ſeculo jam obtinuit, Vir doctiſſimus exiſtimat, Nabuchodonoſori & Jeremiæ temporibus jam tùm in uſu fuiſſe, & à Jeremiâ nomine ששך *Scheſchach* expreſſam. Nos verò ei adſtipulari minimè ſuſtinemus: propterea qvòd longè alia vocis *Schah* eſt ſcriptio, qvàm τȣ̃ *Scheſchach.* Monemus igitur, ut attendatur ad ipſam vocem,

prout Arabicè ac Hebraicè ea exprimitur. Fit illud hôc modô, شاه שאה. An verò vox ita ſcripta cum ששך comparari ullo modô poteſt? Sanè non parum differentiæ hîc apparet. Primò unum modò ש eſt in Perſico. Deinde Elif illud habet radicale; qvod in Scheſchach non apparet. Ultima qvoqve litera vocis Schah He ה nimirum, ab ultimâ τȣ̃ Scheſchach multùm eſt diverſa, neqve cum eâ, ut aliæ qvædam, ἐυμετάβολος.

XIII. Sæpe jam innuimus, voce Seſach nos putare ipſam urbem Babylonem indigitari. De qvibus verò inuſitatæ iſtius appellationis cauſis conjecturam fecerunt Viri docti, eas profeſſi ſumus nobis non probari; & iis, qvæ ſuppetebant, refellimus qvoqve. Qvid igitur putabimus tandem? Legimus in Franciſci Junii Notis nonnulla, qvibus proximè videtur acceſſum eſſe ad verum. Ea ita habent: *Rex Scheſchaci, id eſt, Babyloniæ feſta agentis, ut ſcribitur Dan. V. & ap. Herod. l. I. Eſt enim Scheſchach linguâ Babylonicâ feſtum diem celebrans, & Schace feſti dies, ut refert Athenæus l. XIV. ex Beroſo & Cteſiâ.* Qvòd Vir doctiſſimus ſcripſit, Seſach eſſe nomen appellativum, ut Grammatici vocant, qvod Babylonicâ lingvâ ſignificet feſtum diem celebrantem, id qvidem nobis non probatur. Neqve enim putamus ullo argumentô id poſſe conſtare. Ex Athenæo & aliis id colligi minimè poteſt. Intelligimus eqvidem, feſtum aliqvod Babyloniorum Σακέας fuiſſe dictum,

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, Σακέας fuiſſe nomen proprium feſti alicujus, qvod Babyloniis agitatum fuerit; non autem illud, Σακέας ſignificare qvodvis feſtum. Athenæus ex Beroſo prodidit, Babylone ſolitam fuiſſe agitari ἑορτὴν, Σακέας προσαγορευομένην. Qvod dictum eſt eâ formâ, qvâ dicere qvis poſſet, Romanos agitâſſe feſtum Saturnalia dictum. Strabo τὰ Σάκαια, & τῶν Σακαίων ἑορτὴν appellat. Dio Chryſoſtomus Orat. IV. de regno, τῶν Σακκῶν ἑορτὴν, qvam Perſis tribuit, appellare videtur idem feſtum. Qvæ itidem eâ formâ dicuntur, qvâ dicitur, *feſtum Bacchanaliorum*. Et ut Saturnalia & Bacchanalia nomina propria ſunt feſtorum; non autem ſimpliciter feſtum ſignificant: ita & τὰ Σάκαια ἢ αἱ Σακέαι. Porrò Σακαίων ἑορτὴ & *feſtum Bacchanaliorum* dicuntur per ἑτέρωσιν, ut *oppidum Antiochiæ, urbs Buthroti*: qvalia communiter per appoſitionem efferri ſolent.

XIV. Qvid igitur nos tandem? Dicemus cum addito; non ita ſimpliciter, ut doctiſſimus Junius, Prophetam, cùm Babylonem appellat Seſach, alludere ſive reſpicere ad illud, qvod Babylonii feſtum Σακέας impenſè agitare ſoliti fuerint, qvodqve dum illud agitent, olim ab hoſte ſint opprimendi. Sanè ששך & αἱ Σάκεαι cognatorum ſonorum ſunt: forma autem Græcæ appellationis paulùm deflexa eſt ab alterâ. Hebræis nimirum magis credimus in appellationibus, qvæ vicinarum ipſis gentium fuerunt, qvàm Græcis. Neqve probari nobis poteſt ſententia

Illuſt. Scaligeri, qvam legere licet in Animadv. in Euſebium pag. 81. Exiſtimat ipſe חפרע Jer. XLIV. 30. pronunciandum eſſe Haprea, propterea qvod idem ab Herodoto ita effertur, Ἀπρίης: non rectè autem pronunciari חָפְרַע cum Maſorethis: qvi puncta vocalia adjecerint, & peregrinæ hiſtoriæ fuerint imperitiſſimi. Qvibus ſimilia in ejuſdem Scaligeri ſcriptis complura legimus. Nos verò ea nec illi probari poſſe putamus, qvi maximè ſtatuerit, puncta vocalia non unà cum literis eſſe expreſſa, ſed à Viris Synagogæ magnæ demum addita. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἀφετέον τὸ νῦν. Ἡμεῖς δὲ τὰ τοιαῦτα ὡς φαῦλα ἀποτρεπόμενοι, τῷ ὑγιεῖ ἐνςῶμεν λόγῳ. Principiò igitur vocalium permutationem in vocibus ex orientalibus lingvis depromptis, & à Græcis allegatis aut uſurpatis, variam & omni lege ſolutam eſſe, nemini non eſt notiſſimum. Deinde & illud uſitatiſſimum eſt, duriuſculas Orientalium lingvarum aſpirationes à Græcis emolliri. Ita enim ex Hebræo שׁבּתין fit Græcum σαββαλιν. Ex Perſico شاه Agathias fecit Σαά. Deniqve כ & κ unius organi ſunt elementa, atqve igitur εὐμετάβολα. Sed in ששך unum ש amplius eſt, qvam in Σάκεαι. Qvod ad hoc attinet, ſentimus cum Is. Caſaubono, Græcos verum nomen feſti corrupiſſe & decurtâſſe. Vide Animadverſiones ejus in Athenæi lib. XIV, ubi [hic de ταῖς σακέαις agit. Qvod verò addit Vir ſummus] à ששך nomine Babylonis ſolennitatem iſtam nomen σακέας habuiſſe;

ut Romani ludi à Româ, id nobis non placet. Abimus verò in contraria omnia, dicimuſqve Babylonem Seſach fuiſſe appellatam, propterea qvod ejus incolæ feſtum qvoddam, qvod iſtoc nomine dictum fuit, impenſiùs agitare ſoliti fuerint. Ita nomen feſti poſitum fuerit pro nomine urbis, in qvâ illud feſtum agitatum fuit. Atqve hoc κατὰ μετωνυμίαν: non talem, qvalem Voſſius & Seldenus indigitârunt, ut nomen idoli pro urbe ſit poſitum; ſed per aliam qvandam, qvâ nimirum nomen feſti pro ipſâ urbe ſit poſitum, in qvâ feſtum ſolitum fuit agitari.

XV. Egregium ſanè eſt, qvod certò poſſumus ſcire, in verbis Jeremiæ voce Seſach Babylonem indigitari: deinde, qvòd ex ſcriptoribus τοῖς ἔξω conſtat, Babylonios feſtum ſolitos fuiſſe agitare, cui σάκεαι nomen fuit. Cogitemus autem ampliùs, cur Propheta urbem nomine iſtius feſti voluerit appellare. Cauſam apparet hanc fuiſſe, qvod prævidebat fore, ut Babylonii à Perſis opprimerentur, dum feſtum σακέας agitarent, qvodqve de ipſo feſto locutus fuerat. Sanè duo Prophetæ Eſaias & Jeremias ſatis clarè prædixerant, Babylonem occupatum iri, dum incolæ eſſent ſecuri, & commeſſationibus indulgerent. Eſaias qvidem in cap. XXI. verſ. 2. cùm formâ imperandi, qvæ familiaris eſt Prophetis, prædixiſſet de Cyro Babylonem obſeſſuro, dixiſſetqve, *Aſcende Elam, obſide Mede:* commate qvintô mox hæc addit, *Pone menſam, contemplare in ſpecula: comedentes & bibentes,*

bentes, ſurgite & arripite clypeum. In eandem ſententiam & Jeremias vaticinatus eſt in cap. LI. verſ. 39. 40. 41. *In calore eorum,* inqvit, *ponam potus eorum* (Babyloniorum) *& inebriabo eos, ut exſultent & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant, dicit* DOMINUS. *Deducam eos, qvaſi agnos ad victimam, qvaſi arietes cum hœdis. Qvomodo capta eſt Seſach, & comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ? qvomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter gentes?* Sic & in verſ. 57. prorſus gemina ſunt: *Et inebriabo principes ejus, & ſapientes ejus, & duces ejus, & magiſtratus ejus, & fortes ejus, & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur.* Ex his ſanè ſatis apparet, Babylonios oppreſſum & trucidatum iri, dum eorum partim adhuc exſultent & commeſſentur, partim vino ſomnoqve jam ſint ſepulti: poſteriores hos, dum ὕπνος ὁ αὐτοκασίγνητος λήθης θανάτοιο, ut eſt in ὕπνου θυμιάματι, qvod Orpheo tribuitur, vel ut Maro loqvitur, *conſangvineus lethi ſopor* eos gnaviter commeſſatos amplexus eſſet, vix eſſe experrectuтos, aut qvid ſibi accidat, ſenſuros, hoc eſt, fore, ut eos amplectatur ipſe ὁ θάνατος, ὅς τὸν μακρὸν ζωοῖσι φέρει αἰώνιον ὕπνον, ut eſt in θανάτου θυμιάματι, qvod itidem tribuitur Orpheo. Ceterùm verba Prophetarum id ſatis clarè ſignificant, non aliqvos modò in urbe, ſed univerſos, dum urbs expugnaretur, genio indulturos. Ex qvo intelligi porrò licet, feſtum tum temporis in urbe fuiſſe agitatum. Inprimis obſervandum in verbis Jeremiæ eſt, qvòd, cùm dixiſſet, ur-

bem

bem Babylonem occupatum iri ab hoſte, dum incolæ feſtum geniale eſſent agitaturi, mox addit hæc, *Quomodo capta eſt Seſach?* Qvorum igitur hic fuerit intellectus: Urbs, cujus incolæ ſecuri erant, & feſtum ſuum σακέας impenſiùs agitabant; qvàm repentè & inopinatò occupata eſt ab hoſte. In altero etiam Jeremiæ loco, occaſio qvædam apparet, qvamobrem Babylonem voluerit Seſach appellare. Dixerat in eo cap. Propheta, ſe calicem accepiſſe è manu DOMINI, & propinâſſe omnibus gentibus, ac Regibus, hoc eſt, pœnas iis denunciâſſe. Qvia igitur metaphoram à potu per aliqvot periodos continuaverat, tandem de Rege Babyloniæ hæc addit, *Rex Seſach bibet poſt eos.* Eo igitur id videtur voluiſſe dicere, Regem ejus urbis, qvæ feſtum Seſach agitaret, & genio indulgere ſoleret, tandem aliqvando & ipſum punitum iri.

XVI. Non ex ſacris modò, ſed ex profanis qvoqvè ſcriptoribus liqvere poteſt, Babylonem à Cyro expugnatam fuiſſe, cùm feſtum in eâ urbe celebratum fuit. Atqve ad illud probandum Fr. Junius in verbis, qvæ paulò ante ex ejus notis produximus, rectè allegavit Herodotum. Prodidit ſanè hic, Cyrum inſigni ſtratagemate Euphratem derivâſſe in foſſam, qvam olim depreſſiſſet Nitocris, Babyloniæ regina; eóqve effeciſſe, ut alveus ejus, qvâ Babylonem contingit, vadô tranſiri poſſet: qvod cùm non potuerint præſentire Babylonii, hos à Perſis oppreſſos fuiſſe ἐξ ἀπροσδοκήτου, *ex inopinato*, τῶν περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος ἑαλωκότων, τοὺς

τὸ

τὸ μέσον οἰκέοντας τῶν Βαβυλωνίων ὐ μανθάνειν ἑαλωκότας, ἀλλὰ (τυχεῖν γὰρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι, iis, qui extremas urbis partes incoluerunt, jam captis, alios qui in mediâ urbe habitarent, ſe captos eſſe haud ſenſiſſe; ſed qvod feſtum haberent, choreas exercuiſſe & indulſiſſe genio. Manifeſtè ſanè ex his apparet idem illud, qvod ex Prophetis, Babylonios feſtum agitâſſe, cùm urbs à Cyro occupata fuit. In Xenophontis qvoqve Pædiâ Cyri, libro qvidem VII, idem illud de feſto Babyloniis agitato eſt proditum. Verba ejus hæc ſunt; Ὁ Κῦρος ἑορτὴν τοιαύτην ἐν Βαβυλῶνι ἤκουσεν εἶναι, ἐν ᾗ πάντες οἱ Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι, *Cyrus audivit tale feſtum eſſe Babylone, in qvâ omnes Babylonii totâ nocte potarent ac comeſſarentur.* Et paucis interjectis, ὡς ἐν κώμῳ δοκεῖ ἡ πόλις πᾶσα εἶναι τῇ δὲ τῇ νυκτὶ, *urbs tota videtur hâc nocte commeſſationi eſſe intenta.* De immiſſione fluminis in foſſam idem Xenophon ita ſcribit: *Qvamprimum eô die tenebræ acceſſiſſent, magnâ mortalium multitudine adhibitâ, foſſarum oſtia verſus amnem aperuit. Hoc cùm factum eſſet, aqva in foſſas manabat, & alveus fluvii per urbem tendens hominibus permeabilis eſſe cœpit.* De flumine in foſſam derivato, proditum etiam eſt in ſacris literis. In Jeremiæ cap. LI. v. 3. eâ de re hæc ſunt: *Currens currenti obviam veniet, & nuncius obvius nuncianti, ut annunciet Regi Babylonis, qvia capta eſt civitas ejus à ſummo, &* vada præoccupata ſunt & paludes incenſæ ſunt igne, hoc eſt, flumina,

qvaſi

qvaſi in vaporem, ſuppoſitô igne reſoluta, exſiccata ſunt. In eandem ſententiam in verſ. 36. prædicti capitis hæc leguntur: *Deſertum faciam mare ejus, & ſiccabo venam ejus.* In libris Xenophontis, qvos παιδείαν Κύρȣ inſcribit, complura eqvidem ſunt ficta: neqve ad fidem hiſtoriæ, ut Tullius in Epiſt. ad Qvintum fratrem judicat, illi libri ſunt conſcripti. Nihil tamen prohibet, qvo minus credamus, in illis libris complura, qvæ verè geſta ſint, admixta eſſe. Habemus etiam id genus nonnulla, qvæ noſtrô ævo ſunt conſcripta: in qvibus nimirum veræ hiſtoriæ particulæ cum plurimis fictis variè miſcentur. Qvæ igitur in iſtâ pædiâ deprehendimus cum verâ hiſtoriâ, qvam aliunde haurimus, conſentire, ea ut veram hiſtoriam accipere meritò debemus.

XVII. Ne autem qvis miretur, Babylonios tam ſecuros fuiſſe, cùm à Cyro obſiderentur, ut feſtos etiam dies agitârint: conſiderandum eſt, illos ipſos de cetero etiam oppidò ſecuros fuiſſe, ac planiſſimè perſvaſum habuiſſe, Cyrum luſurum operam, & re infectâ diſcedere neceſſe habiturum. Fidebant nimirum admirandis munimentis ſuis, hiſqve credebant vim omnem facili negotio ſe propulſaturos. Ipſe Cyrus cùm munimenta iſta conſideravit, urbem vi capi poſſe, deſperavit planè. Xenophon ſic inducit loqventem: Τετεάμεθα κύκλῳ τὴν πόλιν, ἐγὼ δ᾽, ὅπως μὲν ἄν τις τείχη οὕτως ἰσχυρὰ καὶ ὑψηλὰ προσμαχόμενος ἕλοι, οὐκ ἐνορᾶν μοι δοκῶ, *Urbem undiqve contemplati ſumus: atqve eqvidem,*

qvô

quô pactô quis adeò firmos & excelſos muros oppugnando capere poſſit, videre mihi non videor. Hæc conſentanea ſunt iis, qvæ Herodotus prodidit in Clio; τάφρος μὲν πρῶτα, inqvit, βαθέα τε καὶ εὐρέα καὶ πλέη ὕδατος περιθέει. Μετὰ δὲ τεῖχος πεντήκοντα μὲν πηχέων βασιληΐων ἐὸν τὸ εὖρος, ὕψος δὲ διηκοσίων πηχέων. *Primùm foſſa ambit alta atqve lata, aqvæ plena. Deinde murus L. cubitorum regiorum craſſitudine, ducentorum celſitudine. Eſt autem regius cubitus, qvàm mediocris, tribus digitis major.* Deinde & commeatuum Babylonii affatim habuerunt, ut vel viginti annis obſidionem potuerint ſuſtinere. De eo Herodotus ita: Προσάξαντες σιτία ἐτέων κάρτα πολλῶν, λόγον εἶχον τῆς πολιορκίας οὐδένα. *Comportaverant multorum annorum commeatus: ideoqve tunc obſidionem nullius momenti faciebant.* Xenophon in eandem ſententiam hæc habet: οἱ δὲ ἐν τῷ τείχει κατεγέλων τῆς πολιορκίας, ὡς ἔχοντες τὰ ἐπιτήδεια, πλέον ἢ εἴκοσιν ἐτῶν. *Qvi autem in muro ſtabant, obſidionem hanc irridebant; qvòd eis commeatus eſſet copioſior, qvàm in annos viginti.* Cùm ita per cetera tempora ſecuri & negligentes fuerint Babylonii, non mirum, ſi tum qvoqve tales fuerunt, cùm feſtos dies egerunt. Sanè & illos, qvi de cetero valde cauti & circumſpecti fuerunt in defendendis urbibus ſuis, feſtorum tempore legimus paulò remiſſiùs, qvam oportuit, excubias egiſſe. Syracuſas Marcellus occupavit, ἑορτὴν Ἀρτέμιδι τοὺς Συρακουσίους ἄγοντας, καὶ πρὸς οἶνον ὡρ-

μημένες καὶ παιδιὰν παραφυλάξας, *cum obſervâſſet Syracuſanos Dianæ feſtum diem agere; vinôqve ſe & ludis dediſſe*, uti Plutarchus ſcribit in Marcello. Didicerat Marcellus à transfugâ, diem feſtum Dianæ actum iri per triduum; & qvia alia in obſidione deeſſent, vinô largiùs epulas celebratum iri. Turris Galeagra, qvam Marcellus primò invaſit, intentiùs cuſtodita fuerat anteà, ita ut adiri non potuerit. Tum autem, cùm dies feſtus actus fuit, magna pars in turribus epulati aut ſopiti vinô fuerunt, aut ſemigraves potârunt. Vide ſuper his T. Livium librô vigeſimô qvintô. Julius Frontinus in l. III. ſtrategematum c. III. 2. brevi ita narrat: *Marcellus cum Syracuſanum qvendam Soſiſtratum ad proditionem ſolicitâſſet, ex eo cognovit, remiſſiores cuſtodias fore die feſtô, qvô Epicides præbiturus eſſet vini epularúmqve copiam: Inſidiatus igitur hilaritati, & qvæ eam ſeqvebatur, ſocordiæ, munimenta conſcendit, vigilibuſqve cæſis aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram.* Sic & Cales cepit M. Valerius Corvus, dum hoſtes diem feſtum egerunt, & vinô epuliſqve fuerunt ſopiti: qvo de legimus in T. Livii lib. VIII. Marſos item feſtam noctem agentes oppreſſit Cæcina, ut eſt apud Tacitum libro I. Annalium.

XVIII. In Junii verbis, qvæ ſuprà produximus, allegatur etiam qvintum caput Danielis, diciturqve in hoc item agi de feſto Babyloniorum Saceis. Qvô ipſô & hoc tacitè innuitur, in eo capite indigitari expugnationem Babylonis, à Cyro factam. Hoc verò non tam commodè

 fecit

fecit Junius, qvàm alterum illud. Proditum in illo capite eſt, non qvòd feſtum agitatum fuerit per univerſam urbem; ſed qvòd Belſazar, Babyloniæ Rex, convivium apparaverit purpuratis ſuis: & cùm mirabili ſcripturâ denunciata ipſi internecio eſſet, eâ nocte, qvæ diem genialem inſecuta fuit, fuerit interemptus. Qvâ occaſione, & à qvibus id factum ſit, divinus ſcriptor non expreſſit. Creditum fuit, eâ nocte, qvâ Belſazar convivium agitavit, Cyrum expugnâſſe Babylonem, atqve tum Regem Babyloniæ à Perſis fuiſſe interemptum. Illuſt. autem Scaliger ex veteribus genuini Beroſi ac Megaſthenis fragmentis feliciter nobis eruit ac demonſtravit, rem longè aliter eſſe factam. Fl. Joſephum ſanè miramur, cùm is nobilia iſta Beroſi ac Megaſthenis ſcripta legiſſet, atqve etiam ex illis in ſua transferre vellet, tam ſupinè ea conſiderâſſe, ut qvæ de poſtremorum Babyloniæ Regum ſucceſſione in ultimo decimi Ἀρχαιολογίας capite hodiè legimus, ſcriptitârit. Legimus qvidem in iſto capite, Evilmerodacho poſt decimum octavum regni ſui annum defuncto, Nerigliſſarem filium ſucceſſiſſe, cúmqve hic qvadraginta annis regnâſſet, deceſſiſſe eum: Nerigliſſari ſucceſſiſſe filium Laboſordachum, qvi novem menſibus imperium tractarit: poſt mortem Laboſordachi deveniſſe regnum ad Balthaſarem qvi Babyloniis Ναβοάνδηλος fuerit dictus: Balthaſaro deniqve bellum fuiſſe illatum à Cyro Perſarum, & Dario Medorum Rege; & dum intra Babylonem ab iſtis oppugnatus fuerit, apparâſſe ipſum purpuratis ſuis dapſile iſtuc convivium, de

de qvo in qvinto Danielis legimus; mox etiam expugnatâ urbe à Perſis ac Medis fuiſſe trucidatum.

XIX. In iſtis Joſephi qvàm fœda rerum ſit σύγχυσις, non apparere poteſt rectiùs, qvàm ſi nobilia Beroſi ac Megaſthenis fragmenta conſideremus. Megaſthenis qvidem ex Abydeno excerpſit Euſebius, & in Chronicis ſuis ſervavit. Habet verò ita: Ὁ δὲ οἱ παῖς Εὐιλμαλούρουχος ἐβασίλευσε. τὸν δὲ ὁ κηδεστὴς ἀποκτείνας Νηριγλισσάρης λεῖπε παῖδα Λαβασσοάρασκον, τούτου δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ, Ναβαννίδοχον ἀποδεικνῦσι βασιλέα, προσήκοντά οἱ οὐδέν. Τῷ δὲ Κῦρος ἑλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται. *Poſt hunc filius regnavit Evilmalurunchus. Hujus interfector, qvi affinis ipſi fuerat, Neriglißares, filium reliqvit Laboſſoaraſcum. Hôc violentâ morte exſtinctô, Babylonii Nabonnidochum regem faciunt, cum rege mortuo nullo junctum ſangvine. Cyrus hunc, cùm Babylonem cepiſſet, Carmaniæ præfecit.* Porrò pulchrè cum iſtis congruunt, qvæ Beroſus, vetus & ipſe ſcriptor, de poſtremis illis Babyloniorum Regibus prodidit. Fragmentum ejus, qvod Joſephus in primo c. Apionem ſervavit, ſupra pag. 776. 777. ſ. per partes produximus: neqve igitur id nunc denuo tranſcribi eſt opus. Ceterùm in Beroſi fragmento & hoc eſt proditum, qvot annis ſinguli Reges regnârint; Evilmerodachum qvidem regnâſſe duobus: qvatuor Neriglißarem: Laboroſoarchodum novem menſibus: Nabonnedum deniqve XVII annis. De Laboroſoardochi vel ut Me-

 gaſthe-

gaſthenes appellat; Labaſſoaraſci interitu paulò etiam pluribus narratum eſt in Beroſi fragmento, qvàm in Megaſthenis. Verba ita habent: *Qvia pravæ in illo indolis multa ſigna apparerent, inſidiis amicorum trucidatus eſt. Hôc mortuô cùm inter ſe coiiſſent ejus facinoris participes, communi conſenſu regnum detulerunt Nabonnedo, ex Babyloniis uni, qvi & ipſe in conjuratione fuerat.* In iſtis igitur Beroſi & Megaſthenis fragmentis poſtremi Babyloniæ Reges memorantur iſti, Evilmerodachus, Nerigliſſares, Laboroſoarchodus, Nabonnedus. Poſtremo omnium, Nabonnedo puta, proditum eſt regnum ademptum eſſe à Cyro, in eumqve clementiùs fuiſſe conſultum; ut Carmaniæ ſcilicet fuerit præpoſitus. Sed & in Canone Mathematico Ptolemæi eôdem ordine poſiti ſunt Reges. Tantùm Laboroſoarchodus, qvi aliqvot menſibus regnavit ſolus, in eo eſt omiſſus. Nunc porrò cum iſtis Beroſi & Megaſthenis componamus Joſephi narrationem. Ponuntur in hàc poſtremi Babyloniorum Reges hôc ordine: Evilmerodachus, Nerigliſſares, Laboroſoarchodus, Balthaſarus, qvi & Naboandelus fuerit dictus. Ex qvibus apparet, nomina poſtremorum Regum Babyloniæ, qvæ ex ſacris ſcimus, componi à Joſepho cum his, qvæ ſunt in fragmentis Beroſi ac Megaſthenis. Sanè non credemus, ipſius Joſephi eſſe omnia illa, qvæ paulò ante ex ejus libris memoravimus. Sunt ſine dubio qvædam à malâ librariorum manu. Certè Ναβοάνδηλος videtur ſcriptum pro Ναβουάδιος aut ſimili qvodam. Deinde qvis credat, Evilmerodacho Joſephum octodecim; Nerigliſſari qvadraginta tribuiſſe

buiſſe annos, ut hodiè in ejus libris legimus? qvomodo Joſephus numerum LXX annorum captivitatis colligere poterit? & qvomodo non majorem colliget? Septuaginta annorum captivitatis finis ex mente Joſephi tum fuit, cùm Cyri fluxit primus annus, iſqve Hebræos permiſit in Palæſtinam reduces fieri. De primô annô Cyri Joſephus initiô undecimi Αρχαιολ. ita: Τῦτο ἦν ἑβδομηκοςὸν, ἀφ' ἧς ἡμέρας μεταναςῆναι τὸν λαὸν ἡμῶν ἐκ τῆς οἰκείας εἰς Βαβυλῶνα συνέπεσε. Si modò ab excidio urbis LXX annos numerare velis, ſervatis iſtis annis, qvi poſtremis Babyloniæ Regibus in Joſephi libris tribuuntur: multò plures qvàm LXX deprehendes. Certè excidium factum fuit decimô nonô annô Nabuchodonoſori: hic verò poſt iſtuc excidium XXV adhuc annis regnavit. Qvibus annis ſi addideris XVIII Evilmerodachi, XL Nerigliſſaris, Nabonnedi XVII. qvot anni in Joſepho, prout hodiè eum habemus, illis Regibus tribuuntur: facilè apparebit id, qvod dixi. Monuerunt docti, hodiernis Joſephi libris nihil depravatius poſſe inveniri: neqve hodie atqve heri eos eſſe corruptos, ſed magnam partem jam ante Ruffini ætatem. Dolendum autem, novam iſtius ſcriptoris editionem, qvam Illuſt. Scaliger paravit, ab ipſo, utpote mortalitate intercepto, non potuiſſe fieri. Dolendum item, nec à ſummo Viro Samuele Petito, eam potuiſſe fieri, ob eandem cauſam. Qvanqvam igitur plurima eorum, qvæ in Joſephi libris malè ſe habent, ipſi Joſepho non ſunt imputanda; illud tamen, qvòd Balſa-

zarus, de qvo in qvinto atqve aliis capitibus Danielis legimus, cum Nabonnedo Beroſi componitur, ab ipſo Joſepho eſt profectum. Qvòd enim Balſazarum crediderit ultimum Babyloniæ fuiſſe Regem, ſatis liqvere poteſt ex eo, qvòd non ſemel ſcripſit, Belſazarum debellatum fuiſſe à Dario Medo, iſto, cujus in ſexto & nono Danielis fit mentio. In ultimo capite decimi libri Ἀρχαιολ. hæc legimus: Δαρείῳ δὲ τῷ καταλύσαντι τὴν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν· ὃς ἦν Ἀστυάγου υἱός. *Darius cùm exſtingueret Babyloniorum imperium, adjutus à Cyro cognato, annum agebat ſexageſimum ſecundum, qui fuit Aſtyagis filius.* Satis ex his apparet, Darium Medum, cujus in VI. ac IX. cap. Danielis fit mentio, indigitari à Joſepho. Hunc verò putavit Mediæ qvoqve Regem fuiſſe: propterea qvòd is Medus dicitur, & ex Medorum ſemine oriundus fuiſſe. Qvia tamen neſcire non potuit, in hiſtoriâ tam profanâ, qvàm ſacrâ expugnationem Babylonis Cyro Perſarum Regi tribui: putavit ita habendum, Darium Medum & Cyrum conjunctis operis expugnâſſe Babylonem. Porrò, qvia in qvinto capite Danielis de Dario dicitur, eum poſt Belſazarum tenuiſſe regnum Babyloniæ; Cyri verò nulla ibi fit mentio: propterea putavit, Darium Medum præcipuas partes tenuiſſe in expugnatione iſtâ, & regnum Babyloniæ exſtinxiſſe μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, *unà cum Cyro cognato ſuo.* Iſtæ ſunt Joſephi de qvibuſdam regibus conjecturæ.

XX. Nos

XX. Nos illas ipſas perperam eſſe factas, putamus cum Scaligero. Principiò Cyrum non ſecundas partes in expugnatione Babylonis tenuiſſe, ut Joſephus vult, ſed ipſius ſolius auſpiciis factam eſſe expugnationem iſtam, ex ipſis ſacris literis intelligi poteſt. Conſideremus modò extrema ſecundi Paralipomenon verba: *Si quis evaſerat gladium, ductus in Babylonem, ſervivit Regi* (Nabuchodonoſoro) *& filiis ejus, donec imperaret Rex Perſarum, ut compleretur ſermo Domini ex ore Jeremiæ, & donec celebraret terra ſabbatha ſua: cunctis enim diebus deſolationis egit ſabbathum, uſqve dum complerentur LXX anni.* Cum his verò conferamus ipſius Jeremiæ verba ex ejus capite XXV. v. 11. 12. *Servient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis LXX annis. Cúmqve impleti fuerint LXX anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam iniqvitatem eorum.* Ex proximis his apparet, Regem Babylonis tum demum victum fuiſſe, cùm LXX anni captivitatis jam omnes effluxiſſent. Tum verò cùm iidem LXX anni effluxiſſent, ſummam rerum in Babylonicâ illico penes Cyrum fuiſſe, intelligi poteſt ex prioribus. Dicitur enim in his, Hebræos ſerviiſſe Babyloniis, donec imperare cœperit Rex Perſarum; & donec elapſi fuerint LXX anni. Deinde ex Eſa. XLV. v. 1. idem illud apparet. Verba ita habent: *Hæc dicit Dominus uncto meo, Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum diſcingam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.* Intelligi, credo, licet ex his, Regem Babylonis divinâ ope redactum fuiſſe non in Darii Me-

 di,

di, ſed Cyri poteſtatem; ut hic poſteà captivos dimitteret, ac in Palæſtinam juberet remigrare. Jam verò pulchrè etiam cum ſacris literis congruit profana hiſtoria. Herodotus ſanè prodidit Babylonem à Cyro expugnatam; alterius verò Regis, cui Cyrus auxiliares modò copias duxerit, nullam fecit mentionem. Xenophon item in Pædiâ Cyri non aliter prodidit. Beroſus verò & Megaſthenes, in fragmentis ſuprà productis, tam clarè id oſtendunt, Regem Babyloniæ à Cyro; non ab alio fuiſſe victum, ut nihil relinqvatur ſcrupuli. Si igitur hoc certum eſt, Regem Babyloniæ ſolius Cyri auſpiciis fuiſſe debellatum, non debellavit unà cum Cyro alius qvidam, cui nomen Dario fuerit, ut Joſephus conjecturam fecit: multò minùs, qvod idem voluit, Cyrus ſecundas modò partes tenuit in iſto opere.

XXI. Porrò & hoc intelligitur, Belſazarum Danielis à Joſepho malè conferri cum Nabonnedo Beroſi ac Megaſthenis. Nimirum Nabonnedus proximè anteceſſit Cyrum, ut ex Beroſi & Megaſthenis fragmentis, itémqve ex Canone Mathematico ſcimus. Balſazarus verò non anteceſſit proximè; ſed inter eum & Cyrum fuit Darius Medus, ut ex ſexto capite Danielis intelligimus. Cùm extremô qvintô capite dictum eſſet, Belſazarum noctè interemptum fuiſſe, mox principiô ſexti dicitur, Darium Medum ſuſcepiſſe imperium: ac extremô ſextô cap. tandem hæc adduntur: ***Et Daniel proſperè egit in regno Darii, & in regno Cyri Perſæ.*** Ex eo verò, qvòd Darius Medus in regno Babylonico proximè ante-

ceſſit

ceſſit Cyrum, colligimus nos cùm Illuſt. Scaligero, eſſe eum Nabonnedum Beroſi. Qvod ſi rectè ſe habet, Belſazarus iſte, qvi Darium Medum anteceſſit, eſt Laboroſoarchodus Beroſi; non Nabonnedus, ut Joſephus volebat. Qvàm verò pulchrè hæc firmantur his, qvæ de Belſazari interitu, ac Darii Medi principatus initiis in ſacris literis, itémqve de Laboroſoarchodi & Nabonnedi conditionibus in Beroſo & Megaſthene leguntur! Belſazarus, cùm convivium apparâſſet purpuratis ſuis, interemptus fuit eâ nocte, qvæ diem genialem inſecuta fuit. De Laboroſoarchodo item ex Beroſo & Megaſthene conſtat, periiſſe eum βιαίῳ μόρῳ, *violentâ morte*, & inſidiis amicorum ἀποτυμπανισθῆναι, *trucidatum ſcamnis ac ſellis obrutum fuiſſe.* De Dario Medo initiô capitis noni Danielis legimus, eum Regem conſtitutum fuiſſe Babyloniæ. In eandem ſententiam de Nabonnedo prodiderunt Beroſus & Megaſthenes, ſublatô Laboroſoarchodô, cùm inter ſe coiiſſent ejus ſceleris participes, communi conſenſu imperium detuliſſe Nabonnedo. Illuſt. Scaliger id imprimis obſervandum cenſet, qvod de Dario Medo dicitur in qvinto Danielis 31. קבל מלכותא ſuſcepit regnum. His nimirum idem illud putavit dici, qvod ex verbis Beroſi & Megaſthenis apparet, Darium Medum non vi occupâſſe imperium, ſed communi conſenſu fuiſſe ei traditum à Babyloniis. Nos verò neſcimus, an ea vocis Hebrææ vis ſit. Certè Græca vox παραλαβεῖν, qvæ idem ſonare poteſt, qvod iſta Hebræa vox, & à Græcis Interpreti-

bus uſurpata etiam eſt, nihil aliud ſignificat, qvàm regnum ſuſcipere & in regno ſuccedere, qvôcunqve tandem modô id fiat. In Danieli adjectis legimus, Cyrum Aſtyagis, qvem utiqve vi ſubegit, *βασιλείαν παραλαβεῖν*, *regnum ſuſcepiſſe.* Sic & de Maximino, qvi interfectô Alexandrô imperium Romanum invaſit, Herodianus in libro ſeptimo: Ὁ δὲ Μαξιμῖνος παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν, πολλὴν τὴν μεταβολὴν ἐποιήσατο.

XXII. Nunc demum & illud ſatis intelligitur, qvod ſuprà dicebamus, falſum illud eſſe, qvod Junius ſcripſit, in Danielis qvinto capite agi de feſto qvodam, qvod dum celebrârint Babylonii, ipſa urbs expugnata fuerit à Cyro, ac Rex interemptus. Nimirum in qvinto capite Danielis apparuit de Laboroſoarchodo Beroſi eſſe proditum. Inter hujus verò & Cyri, ut Babyloniæ Regis, imperium regnavit Nabonnedus qvidam: & qvidem, ut Beroſus prodidit, atqve item in Canone Mathematico eſt annotatum, XVII annis. Et Babylon igitur ſeptendecim circiter annis poſt Laboroſoarchodi ſive Belſazaris interitum à Cyro expugnata fuit. Decimus ſeptimus, idémqve ultimus annus Nabonnedi in Canone Mathematico alligatus eſt anno æræ Nabonazaréæ CCIX: & alligandus igitur etiam fuerit anno II. Olympiadis LX, & periodi Julianæ 4175. Non autem annô aut ampliùs poſt decimum ſeptimum Nabonnedi Babylon capta fuit, ſed hôc ipſô adhuc labente, & ante ejus finem. Vir doctiſſimus non ita pridem ſcripſit, Cyrum tum demum, cùm Nabonnedum ſeſe dedentem jam in fidem recepiſſet, contra urbem duxiſſe,

ac

ac integrum annum & ampliùs eandem obſediſſe: regnâſſe verò poſt victum Nabonnedum novem; poſt expugnatam Babylonem VII modò annis: ſeptem porrò annos, qvibus poſt occupatam Babylonem regnârit, indigitatos eſſe à Xenophonte, cùm hic Cyrum VII annos imperâſſe ſcribit: deniqve ſacros ſcriptores non à devicto Rege, ſed ab occupatâ Babylone primum annum Cyri numerare. Verumenimverò id omne ſine dubio eſt falſum. Expugnatam fuiſſe urbem, anteqvàm Nabonnedus ſe dederet, ex ſacris literis apparet tam clarè, qvàm qvod clariſſimè. Qvid, qvæſo, clariùs eſſe poteſt iſtis verbis, qvæ ſunt in cap. LI. Jeremiæ, verſ. 31. *Currens obviam currenti veniet & nuncius obvius nuncianti, ut annunciet Regi Babylonis, qvia capta eſt civitas ejus à ſummo, & vada præoccupata ſunt, & paludes incenſæ ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt.* Prædicitur in his, cùm Babylon expugnata fuerit, miſſum iri ac curſuros eſſe, qvi Regi Babylonis nuncient, ejus urbem, hoc eſt, Babylonem eſſe occupatam à Cyro. Ex eo facilè intelligitur, ipſum Regem Babylonis in poteſtatem Cyri nondum redactum fuiſſe, cùm urbs expugnata fuit. Sed illud qvoqve ex iſtis, ni fallor, liqvere poteſt, Regem Babylonis Nabonnedum non fuiſſe in urbe regiâ, cum ea occupata fuit à Cyro. Qvod igitur etiam contra iſtos valet, qvi ex Danielis qvinto capite colligunt, Regem Babylonis eâ nocte, qvæ diem genialem inſecuta fuit, à milite Perſico trucidatum fuiſſe intra urbem.

XXIII. Cùm iſtis, qvæ ex ſacris ſcripturis produxi-

produximus, optimè congruunt ea, qvæ diligentiſſimus ſcriptor Beroſus prodidit. Hujus verba, à Joſepho in libro I. contra Apionem ſervata, ita habent: *Adventu Cyri cognitô, Nabonnedus occurrit magnô & ipſe exercitu, præliôqve factô victus, cum paucis fugit, concluſitqve ſe in urbem Borſippenorum. Cyrus autem, cùm Babylonem cepiſſet, juſſiſſetqve exteriora ejus munimenta dirui, qvòd civitatem videret ad res novas mobilem, urbem verò capi difficilem: Borſippum contendit ad obſidendum Nabonnedum. Cùm vero Nabonnedus obſidionem non ſuſtineret, ſeqve dederet: Cyrus benignè eum excipiens habitandam ipſi dedit Carmaniam, & Babyloniâ ipſum exire juſſit.* Clariſſimè ſanè ex his Beroſi apparet idem illud, qvod ex ſacris literis oſtendimus, Babylonem antè expugnatam fuiſſe, qvàm Nabonnedus ſe dediderit. Nimirum hæc rerum fuit ſeries: Cùm Cyrus Nabonnedum bellô appetere cœpiſſet, occurrit Nabonnedus cum ingenti exercitu: victus autem, recepit ſe in urbem Borſippum: tum deinde Cyrus ad ipſius Babylonis obſidionem reverſus fuit; cùmqve expugnâſſet tandem, movit Borſippum, qvô ſe Nabonnedus receperat; & ipſum Nabonnedum mox obnoxium habuit.

XXIV. Qvô anni tempore expugnatio Babylonis facta fuerit, id itidem licet ſciri: qvia nimirum ſcimus, expugnationem fuiſſe factam tali tempore, qvô feſtum Σακεῶν egerunt Babylonii. De illo autem feſto Beroſus prodiderat, & ex eo prodidit Athenæus in libro XIV, ſolitum id fuiſſe agi, τῷ Λώῳ μηνὶ, ἑκκαιδεκάτῃ,

τῃ, *menſe Loô, & ejus qvidem decimâ ſextâ die;* ampliùs ἐπὶ πέντε ἡμέρας. *per qvinqve dies.* Beroſus Babylonius fuit, & Beli, Babylonici idoli, Sacerdos. De eo Tatianus teſtatur, ὅτι Ἀντιόχῳ τῷ μετ' Ἀλέξανδρον τρίτῳ τὴν χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατέταξε, qvòd Antiocho illi qvi poſt Alexandrum tertius fuit, hoc eſt, Soteri, Chaldæorum hiſtoriam tribus libris compoſuerit. Iſte igitur Beroſus, cùm hiſtoriam Babylonicam ſcripſit, menſibus Macedonicis eandem attemperavit, dixitqve feſtum Saceas agitari ſolitum fuiſſe menſe Loô. Lous porrò Macedonum à Plutarcho in vita Alexandri confertur cum Athenienſium Hecatombæone; atqve igitur cum Romanorum Qvintili ſive Julio idem ille fuerit conferendus. Apparet, æſtivô tempore Babylonem expugnatam fuiſſe à Cyro. Καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταύτῃ.

EXER-

EXERCITATIO QUINTA.

Quâ poſtrema commata cap. IX. Danielis explicantur, & de LXX Hebdomadibus annorum, quarum ibi ſit mentio diſquiritur.

IN primo anno Darii Medi, qvem nos cum Scaligero Nabonnedum Beroſi, & Megaſthenis Nabonnidochum credimus eſſe, divinus Daniel impenſiùs attendit ad LXX annos captivitatis, qvos Jeremias determinaverat. Cúmqve cauſas expendiſſet, qvibus factum fuerat, ut Hebræi ſuis expellerentur ſedibus, ac LXX annorum intervallô extra eas manere neceſſe haberent: omnem calamitatem, qvæ Hebræis obtigerat, maximô ſuô meritô his obtigiſſe faſſus eſt, Deúmqve precatus, ut, qvòd is ſe facturum promiſerat, calamitatem ab Hebræis averteret, hoſqve permitteret in Palæſtinam remigrare ac inſtaurare urbem & templum. De iſtis omnibus in capite nono Danielis legere eſt, & his qvidem, verſ. 2. & ſeqq. verbis: *Annô unô* (primô) *regni Darii ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut*

ut complerentur deſolationis Jeruſalem LXX anni. Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in jejuniis, ſacco & cinere. Et oravi Dominum Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine, peccavimus, iniqvitatem fecimus, impiè egimus & rebelles fuimus. Tibi Domine juſtitia: nobis autem confuſio faciei, &c. *Et nunc Domine, Deus noſter, avertatur, obſecro, ira tua, & furor tuus à civitate tuâ Jeruſalem, & à monte ſancto tuo. Propter peccata enim noſtra Jeruſalem, & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſervi tui, & preces ejus: & illumina faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod deſertum eſt,* &c. Dum verò iſtis verbis oravit ſanctus Daniel, apparuit ipſi Angelus Gabriel, ſéqve profeſſus eſt miſſum eſſe, ut Danielem doceret qvædam, qvæ doceri ipſe maximè avebat. Cùm autem paucis præfatus eſſet, diſſeruit apud Danielem hiſcè verbis: v. 24. 25. 26. 27.
שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא
הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עולמים
ולחתום חזון ונביא ולמשח קדש קדשים: ותדע ותשכל
מן מוצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד
שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב
וחרוץ ובצוק העתים: ואחרי השבעים ששים ושנים
יכרת משיח ואין לו והעיר והקדש ישחית עם נגיד
הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שוממות:
והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית
זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משומם ועד כלה
ונחרצה תתך על שומם: In vulgatâ verſione He-

braa

bræa iſta expreſſa ſunt hunc in modum: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniqvitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis, ut iterùm ædificetur Jeruſalem uſqve ad Chriſtum Ducem, hebdomades VII & hebdomades LXII erunt: & rurſus ædificabitur platea, & muri, in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades LXII occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qvi eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & uſqve ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Eſt in iſtis ſancti Gabrielis verbis prædictio de rebus futuris. Qvam qvidem, cùm pronunciata ea eſſet, divinus Daniel planiſſimè potuit intelligere. Sanè Angelus in proœmio orationis ſuæ dixit, v. 22. ſe miſſum ad Danielem, להשכילך בינה *ut intellectum ei præberet.* Qvod igitur facere voluit iſtis verbis. Alii verò, οἱ τυχόντες, cùm eam prædictionem, à Daniele perſcriptam, legerunt, non æqve facilè intellexerunt eam, ac divinus Daniel. Et hi qvidem, qvi tum vixerunt, cùm nondum facta eſſent illa, qvæ futura fuiſſe iſtis verbis dicuntur, difficiliùs etiam fuit ea intelligere, qvàm his, qvi poſt vixerunt. Divus Irenæus

næus de prophetiis in lib. IV. adv. hær. cap. XLIII. ita ſcripſit: *Omnis prophetia priuſqvam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas ſunt hominibus. Cùm autem venerit tempus, & evenit,* (evenerit) *qvod prophetatum eſt, tùm prophetiæ habent liqvidam & certam expoſitionem.* Ita ſanè eſt, ut ſanctus Pater judicat. Et in iſta qvoqve prophetia, qvam Angelus expoſuit Danieli, ſatis apparet omnia ita facta eſſe, ut prædictum eſt. Veruntamen, qvomodo temporum intervalla, qvæ in iſtis determinantur, rebus geſtis commodè applicari debeant, de eo inter Interpretes non eadem ſententia eſt. S. Hieronymus in commentario in Danielem qvàm plurimas diverſas ſententias de iſta applicatione recenſet, nominatim Julii Africani, Euſebii Cæſarienſis, Hippolyti, Apollinarii, Clementis, Tertulliani, Origenis, & ipſorum deniqve Judæorum. Superiore verò & hôc præſente ſeculô eadem res in diſqviſitionem venit plurimùm. Et adeò qvidem diſſenſerunt â ſe invicem Viri docti, ut graviùs etiam in ſe invicem invecti fuerint. De eadem illa prophetia diſpicere nunc & nobis lubet, inqve ejus vero intellectu aſſeqvendo exerceri: ſic qvidem, ut obſervemus illud Philoſophi: φιλεῖν μὲν ἀμφοτέρυς, πείθεσθαι δὲ ἀκριβεςέροις.

II. Prima eorum verborum, qvibus Angelus Danieli futura prædixit, hæc ſunt: verſ. 24. שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל עִיר קָדְשֶׁךָ׃ *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam.* In his apparet

paret certum temporis intervallum determinari, qvô qvippiam eventurum ſit. Vox שָׁבוּעַ uſitatiſſimè ſignificat ἑβδομάδα ſive ἑπτάδα dierum, qvæ Græcis etiam ἑβδομὰς dicitur ſine addito: & deinde per metaplaſmum *hebdomada* Latinis. Hi verò & ipſi ex ſua lingva vocabulum habent, qvô ἑπτάδα dierum exprimunt. In his, qvæ nunc verſanda ſunt, non poteſt ea Hebrææ vocis ſignificatio obtinere, qvæ freqventiſſima eſt. Nam, ſi dierum ἑπτάδα hîc ſignificaret, perexiguum eſſet intervallum, ſeptuagies ſeptem dierum puta; & non integrum biennium conficeret: qvô intervallô tantas res determinatas eſſe, parum eſt credibile. Eſt igitur alia ἑπτὰς, qvam Angelus ſignificat, annorum puta. Ut שבוע idem hîc ſignificet, qvod alibi שבע שנים. Atqve ita ſummô conſenſu intelligunt Interpretes. Jachiades in ſuo פירוש pro שבועים שבעים poſuit שבעים שמיטות, *LXX anni intermiſſionis*, vel potiùs LXX complexiones VII annorum, ſive LXX ἑπτάδες annorum. Vox שמיטה ſignificat *ſeptimum annum*; qvod ſeptimô qvôqve annô agricultura intermittenda eſſet. Deinde eadem vox apud Rabbinos ſignificat etiam complexionem VII annorum. Sic & vox שבת ſignificat *ſeptimum diem*: deinde verò *ſeptem* qvoqve *dies*, ſive dierum ἑπτάδα, tùm apud Rabbinos, tùm in ſcripturis ſacris N. T. Syriaca & Arabica verſio, ubi הו שבועים exprimunt, retinent voces, qvæ ejuſdem ſunt originis cum Hebræa. Ceterùm obſervare li-

cet & alium locum, in qvo eadem vocis eſt ſignificatio, nimirum in Gen. cap. XXIX. v. 23. in his: וימלא שבוע זאת/ מלא שבוע זאת. In Græca & Latina Lingva non eſt una qvædam vox, qvæ ſignificare poſſit ἑπλάδα annorum. Utuntur tamen Interpretes ad exprimendam rem iſtam Græcâ voce ἑβδομάς; qvæ, ut dixi, vel qvamvis ἑπλάδα, vel ἑπλάδα dierum ſignificat. Atqve ita faciunt, ut aliàs ſæpè: ut nimirum Græcam vel Latinam aliqvam vocem duplicem ſignificatum obtinere jubeant, ſi una Hebræa duplicem habeat. Exempli cauſâ, qvia נצח & *æternitatem* & *victoriam* ſignificat, Græca vox νῖκος, qvæ uſitatè unum modò iſtorum ſignificat, ſignificare juſſa eſt & alterum, & â LXX. Interpretibus, Aqvila, Symmacho, Theodotione in verſionibus; & à divo Paulo in I. Cor. XV. v. 54. Non aliter fit in vocibus ῥῆμα, βίολος, παῖς, ἐξομολογοῦμαι, αἰῶνες, ξύλον, & multis aliis. Bene ſcripſit Matthias Flacius in Clave Scripturæ, facere ita Interpretes, vel neceſſitate coactos, vel aliqvâ commoditate allectos, vel etiam conſvetudine Hebrææ Lingvæ occupatos. In noſtro fecerunt neceſſitate coacti, ut facilè apparet. Græca enim & Latina Lingva non habent unam qvandam vocem, qvæ ſeptem annos ſignificare poſſit. Illud obſervatu dignum eſt, qvòd cùm voce שבוע divus Daniel in c. IX. uſus eſſet ad ἑπλάδα annorum exprimendam, noluerit uti eâdem voce in capite decimo verſ. 2. cùm ἑπλὰς dierum exprimenda eſſet, niſi vocu-

lam diſtinctivam adderet. Dixit qvidem ſe mœſtum fuiſſe שלשה שבועים ימים *tribus hebdomadibus dierum.*

III. Septuaginta ἑπτάδες annorum, ſive ſeptuagies ſeptem anni qvam ſummam conficiant, facilè apparet, ſi ſeptem ducantur in ſeptuaginta. Conficiunt qvidem ſummam CCCCXC annorum. Et tot igitur annos Angelus dicit *determinatos* eſſe. In Hebræo eſt vox נֶחְתַּךְ qvæ qvidem ἑνικῶς eſt poſita; ſed tamen plurali juncta, & πληθυντικῶς etiam intelligenda. Ita freqventer facere Hebræos, vulgò eſt notum. Aliud ejus exemplum eſt in Pſal. XXXV. 21. in his: ראתה עינינו *viderunt oculi noſtri.* Neqve aliter fit in Gen. XXXV. v. 26. Num. XXXII. verſ. 25. Pſal. LXXIII. v. 7. Ad vocem נחתך notârunt Maſorethæ, eam non ampliùs legi, qvàm in hoc loco, addendo pro more ſuùm לית Hinc igitur fit, ut ejuſdem vocis ſignificatum maximè proprium ex ſacris non poſſimus intelligere. Propriè autem & præcipuè ea radix, â qva נחתך eſt, ſignificat *ſcindere, abſcindere, excidere.* Sic & nomina inde derivata חתך: חתיכה, חתוך *cæſuram, inciſionem, exciſionem, ſegmentum* ſignificant. Vide modò librum Aruch. Iſti ſignificatui vicinus eſt is, qvô radix ſignificat *decidere, decernere.* Apparet in Targum Eſth. IV. 5. in his: *Qvia juxta edictum oris ejus* מתחתכן *deciſa eſſent negotia regni.* Affinis etiam eſt iſte ſignificatus radicis, qvô notat *determinare.* Atqve hic apparet in iis, qvæ nunc

verſa

verſamus. Græci primarium & maximè proprium ſignificatum in ſua verſione expreſſerunt. Verterunt enim, ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες συνετμήθησαν. Latinus ita vertit: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*. Uſus nimirum eſt vocabulô ſui ævi: qvô & alibi non infreqventer utitur. Radicem חרץ, qvæ & ipſa *præcidere* ſignificat, Latinus interpres voce *abbreviare* itidem reddidit. Exemplum eſt Eſa. X. 22. in his: *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam: conſummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* In Hebræo ſunt voces חרוץ & נחרצה, qvæ & ibi, ubi Paulus verba Eſaiæ allegat, Ep. ad Rom. c. IX. v. 28. vertuntur hiſce Græcis, συντέμνων συντετμημένον. Ceterùm jam Tertulliani ævô extitiſſe videtur verſio, in qva ita expreſſa fuerint verba Angeli: *LXX hebdomades breviatæ ſunt ſuper plebem tuam*, &c. Nam Tertullianus in libro adv. Judæos, ubi verba Angeli allegavit, tali verſione eſt uſus.

IV. Qvadringentos igitur & nonaginta annos ſanctus Angelus dixit determinatos eſſe. Addit verò in eodem commate & hæc, על עמך ועל עיר קדשך *ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam*. Qvibus ſignificat, intervallô iſtô, qvod determinat, in urbe ſanctâ, Hieroſolymis utiqve & in populo Hebræo ſingulare qvippiam eventurum: qvod qvale futurum ſit, in cetera oratione deinde pluribus exponit. Ea Hieroſolymorum appellatio, qvâ hîc utitur Angelus, eſt & alibi in ſacris literis. Scriptores N. T.

Matth. IV. 5. XXVII. 53. ἱερὰν πόλιν vocant eandem urbem. Et, ubi verba Chriſti exprimunt, τόπον ἅγιον appellant, in his puta, Matth. XXIV, 15. βδέλυγμα ἐρημώσεως ἑςὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Ipſum Chriſtum מקום הקדש appellâſſe veriſimile eſt. Sed de hoc infrà dicendum erit. In Siclis Hebraicis viſere licet conſimilem appellationem, hanc nimirum ירושלם עיר הקדש. Porrò ponitur in his abſtractum pro concreto, ſive ſubſtantivum pro adjectivo, עיר הקדש pro עיר קדושה. Atqve ita freqventiſſimè faciunt Hebræi, ut notum eſt: & interdum qvidem, cùm non aliter poſſunt; interdum verò, cùm omnino & aliter poſſunt. In noſtris, qvæ nunc verſamus, poſſunt aliter. Cùm dicunt, שבט ברזל *ſceptrum ferri*, כותנות עור *tunicæ pellis*, non poſſunt aliter. Non enim formant adjectiva à ſubſtantivis, qvæ materiam ſignificant, ex qva aliqvid fit. Sunt & in N. T. iſtius enallages exempla; μωρία τῦ κηρύγματ☉; I. Cor. cap. I. v. 21. hoc eſt, κήρυγμα μωρόν. Voci קדש adhæret affixum ך in noſtris. Dicitur enim, עיר קדשך. Qvæ qvomodo commodè vertemus? An ita, ut qvidam ſolent, *urbs ſanctitatis tuæ*? Nobis videtur commodiùs verti hôc modô, *urbs tua ſanctitatis*, & deinde, *urbs tua ſancta*. Si id, qvod affixum ך ſignificare poteſt, ad τὸ קדש referretur, ſanctus Angelus de ipſius Danielis ſanctitate dixiſſet. At hoc noluit. Ipſam urbem voluit ſanctam appellare. Sciendum eſt, qvamvis affixum adhæreat nomini *recto*, tamen vim ejus

ejus pertinere ad nomen *regens.* Multa, qvæ huic noſtro ſimilia ſunt, colligit Cl. Glaſſius in III. Gramm. tract. I. Can. VIII. pag. 403. Inter ea ſunt, הר קדשי *mons meus ſanctitatis*, id eſt, ſanctus, Pſal. II. 6. אלילי כספו *idola ſua argenti*, id eſt, argentea, Eſa. II. 20. כלי מלחמתו *inſtrumenta ſua belli*, id eſt, bellica Deut. c. I. v. 41. In his omnibus affixum poſſeſſivum nomini *recto* adhæret: & tamen pertinet ad *regens*: id qvod omnium optimè ex noſtro exemplo liqvere poteſt. Monuit Cl. Glaſſius ibidem, *ſi in hac conſtructione affixum pronominale poſſeſſionem vel relationem ſignificans interveniat, tum nomini poſteriori affigi, cùm pertineat potiùs ad nomen prius.* Sed deprehenduntur etiam exempla, in qvibus affixum illud ipſi nomini regenti, ad qvod revera pertinet, annectitur. In illis hæc ſunt, אדניהם כסף *baſes eorum argenti*, id eſt, argenteæ, Exod. XXVI. v. 21. מדו בד *tunicam ſuam lini*, id eſt, lineam, Lev. VI. v. 10. דרכך זמה *via tua ſceleris*, id eſt, ſcelerata, Ezech. XVI. v. 27. Alia qvoqve vide Pſal. XXXV. v. 19. Eſa. XXXI. 7.

V. Seqvuntur porrò iſta, לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע וּלְחָתֵם חַטָּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֹן Vulgatus vertit: *ut conſummetur prævaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur* (expietur) *iniqvitas.* Ut appareat, qvomodo hæc cum ſuperioribus cohæreant, repetam ipſa ſuperiora, & his mox ſubdam cetera: *Septuaginta hebdomades determinatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem tuam ſanctam, ad occludendam prævaricationem, & conſummandum*

 pecca-

peccatum, & ad expiandam iniqvitatem, & ad adducendam juſtitiam æternam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum. Iſtorum igitur videtur hic intellectus eſſe: *Septuaginta hebdomades determinatæ ſunt: qvæ cùm effluxerint, in ipſo populo tuo, & in ipſa ſancta tua urbe occludetur prævaricatio, & abolebitur peccatum* &c. Nimirum occluſio prævaricationis, & unctio Meſſiæ tùm demum videntur fieri debuiſſe, cùm LXX hebdomades jam effluxiſſent omnes, vel certè parva earum particula eſſet reliqva. Illuſt. Scaliger, & qvi eum ſeqvuntur, exiſtimant, finem iſtarum hebdomadum fuiſſe in illo tempore, qvô urbs ſecundùm exciſa fuit. Sed minùs rectè id fieri, clariùs apparebit tùm, cùm ad ſeqventia Angeli verba delati fuerimus. Nunc tantùm id expendatur, annon ſi verba iſta priora per ſe ſpectentur, commodus, eorum intellectus ſit iſte, qvem nos oſtendimus. Qvid illud ſit, qvod Angelus dicit, occluſum iri prævaricationem; fore, ut prophetia obſignetur, & ſanctus ſanctorum ungatur, id obſcurum eſſe non poteſt his, qvi ſunt μεμυημένοι, & ſacra nôrunt. Nimirum ea, qvæ per paſſionem & mortem CHRISTI nobis ſunt conciliata, qvæqve eam paſſionem proximè anteceſſerunt, iſtis indigitantur. Atqve hæc Angelus prædixit factum iri cùm LXX hebdomades effluxiſſent. Qvæ autem cauſa aut occaſio fuit, cur talia docuit Danielem? Qveſtus fuerat divus Daniel de Hebræi populi calamitate, deqve vaſtitate Hieroſolymorum, ac totius Palæſtinæ; eorum puta locorum, in qvibus admiranda illa, qvæ ipſe Angelus memorat,

rat, aliqvando factum iri non poterat ignorare. Cùm igitur ſolicitus & anxiô animô eſſet divus Daniel, acceſſit ad eum Angelus Gabriel; ipſiqve confirmavit, in illa ipſa urbe, & in illa ipſa regione, qvæ tùm temporis vaſtata erat, certô certiùs aliqvando factum iri iſta, de qvibus ex ſacris Scripturis conſtare anteà potuerat, hoc eſt, in populo Hebræo, & in urbe Hieroſolymis, occluſum iri prævaricationem, juſtitiam æternam reductum iri, unctum iri ſanctum ſanctorum. Sed vocabula & ῥήσεις expendamus etiam, ut fecimus in ſuperioribus.

VI. Iſta verba, לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון unam eandémqve rem exprimunt; omne nimirum peccatum expiatum iri, ſive ſatisfactum iri pro omni peccato. Ita nimirum ſæpiſſime fit in ſacris literis, ut una eadémqve ſententia aliis atqve aliis verbis exprimatur: ad rem, ut credere fas eſt, diſertiùs confirmandam. Rabbini id vocant, כפל הענין במלות שונות. Græci verterunt ita: τῦ συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν, καὶ τῦ σφραγίσαι ἁμαρτίας, καὶ τῦ ἀπαλεῖψαι τὰς ἀνομίας, καὶ τῦ ἐξιλάσασθαι ἀδικίας. Latinus ſuam verſionem ex parte efformavit ad Græcam, uti ſæpè aliàs fecit. Inter alia expreſſit τὸ ἀπαλεῖψαι voce *deleatur*. Vocem σφραγίσαι non expreſſit. Vertit enim, *ut finem accipiat peccatum.* In Hebræo eſt vox לחתם ad qvam in Maſora marginali notatum eſt, legendum pro ea eſſe להתם Hæc igitur vox eſt à Rad. תמם, & ſignificat *ad finiendum conſummandum*,

mandum, abolendum. Vulgatus ut apparet, τὸ Keri exprimere voluit. Græci autem τὸ Kethib expreſſerunt, cùm verterunt, τȣ̃ *σφϱαγίσαι.* Crediderunt enim vocem לחתם formatam eſſe à Rad. חתם *obſignare.* Ceterùm & Tertullianus ſuô ævô videtur uſus fuiſſe Latinâ verſione, in qva τὸ Kethib expreſſum fuerit. Nam in lib. contra Judæos ita allegat: *Et ut ſignentur peccata.* Vetus Syriaca, qvæ eſt in Opere Pariſienſi, τὸ Keri expreſſit. Habet enim ita: למשלם חובא ולמגמר חטהא׃, *Ad conſummandum debitum & perficiendum peccatum.*

VII. Adduntur porrò hæc, וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים׃ *Ad adducendam juſtitiam ſeculorum, & ad obſignandam viſionem & prophetiam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum.* Cùm dixiſſet, expiatum iri peccatum, mox ſubdit illa de juſtitiæ reductione. Ῥῆσις iſta צדק עולמים talis eſt, cui ſimilem ſupra deprehendimus. Nimirum duo ſubſtantiva ſunt juncta, qvorum alterum Latinâ voce adjectivâ eſt vertendum, hôc modô, *Juſtitia æterna.* Qvid deinde ſit, obſignatum iri viſionem & prophetiam facilé intelligitur; nimirum qvicqvid prædictum ſit, id omne ita factum iri: ut ita nihil reſtet implendum. In Hebræo eſt vox נביא, qvæ *Prophetam* ſive futura prædicentem ſignificat. Vetus verſio, qvâ Tertullianus uſus fuit, ita habuit: *Et ut ſignetur viſio & Prophetes.* Poſitum tamen eſt τὸ נָבִיא pro conjugato נְבוּאָה prophetia. Sic Græci ſenſerunt. Verterunt

runt enim: τȣ̃ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφήτειαν. Itemqve Vulgatus Latinus Interpres. Vertit enim: *ut impleatur viſio & prophetia.* Nec deſunt ſimilia ei in ſacris Scripturis. Eôdem modô Eſa. XXVIII. v. 7. הָרֹאֶה *videns* ſive *propheta* pro viſione ſive prophetiâ ponitur. Et v. 15. חֹזֶה *proviſor* pro proviſione ponitur. Qvod qvidem & inde liqvet, qvòd in verſ. 18. pro חֹזֶה ponitur חָזוּת *proviſio.*

VIII. Poſtrema verba primi Paſuk ſunt iſta, וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *ad ungendum ſanctum ſanctorum*, ſive *ut ungatur ſanctitas ſanctitatum.* In his de unctione CHRISTI prædici, id ſatis apparet. CHRISTUS igitur ſanctitas ſanctitatum hîc dicitur, poſitô abſtractô pro concreto, ut ſæpe fit aliàs. Qvòd vox, qvæ ſanctitatem ſignificat, bis ponitur, eô magna fit αὔξησις, & ſuperlativus gradus ſignificatur: ut *ſanctitas ſanctitatum* idem ſit qvod *ſanctiſſimum.* Non autem talia modò vocabula, qvæ abſtractum ſignificant, bis ponuntur, & ſeipſa regunt; ſed alia qvoqve, ea nimirùm, qvæ concretum & ens per accidens, ut Philoſophi loqvuntur, ſignificant. Tale illud eſt Gen. IX. v. 25. *Canaan erit* עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum*, hoc eſt, abjectiſſimus. Simile eſt in Num. III. 32. Illud qvoqve eſt obſervandum, qvòd iſta ῥῆσει, qvâ in noſtris CHRISTUS ſignificatur, alibi ſignificatur intimum penetrale tabernaculi: nimirum Exod. XXVI. v. 33. *Velum vobis dividet inter* קֹדֶשׁ *ſanctitatem &* קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים *ſanctitatem ſanctitatum*, hoc eſt, ſanctiſſimum. Deniqve,

qvod

qvòd Angelus dicit, CHRISTUM unctum iri, id tùm eſt factum, cùm CHRISTUS miniſterium ſuum exorſus fuit, & Pater cœleſtis de ipſo dixit: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Hîc igitur paulo aliter intelligendum fuerit τὸ משׁח *ungere*, qvàm in aliis Scripturæ locis. Alibi ipſa collatio donorum infinitorum, qvæ CHRISTO facta eſt, iſtâ voce ſignificatur, ut Pſal. XLV. 8. Atqve illa facta fuit tum, cùm CHRISTUS conceptus, & unio perſonalis facta eſt. In his verò, qvæ nunc verſamus, ipſa CHRISTI inauguratio ad ejus officium, qvæ tum facta eſt, cùm triginta annos natus fuit, indigitatur. Sic etiam vox uſurpatur in Eſaiæ cap. LXI. verſ. 1. Et in cetera qvoqve Scriptura vox *ungere* ſignificat tùm dona qvædam ſpiritualia conferre, tum publicum officium vel docendi vel regendi populi demandare. Eſſe verò unctionem, de qva in noſtris eſt, referendam ad ea tempora, qvibus CHRISTUS miniſterium ſuum exorſus fuit, id clariùs apparebit, cùm ad ſeqventia delati fuemus.

IX. Cùm Angelus intervallum CCCCXC annorum determinâſſet, ſignificâſſetqve, qvid eô exactô futurum aliqvando eſſet: oſtendit deinde etiam, *unde intervalli ejus initium ſit capiendum*; intervallum item in partes tribuit, qvidqve ſingulis iſtarum partium futurum eſſet, mox ſubjungit. Verba prima ita habent: *Scito ergo & animadverte:* מִן מוֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַם *ab exitu ſermonis, ut rurſus ædificetur Jeruſalem uſqve ad CHRISTUM Ducem hebdomades VII, & hebdo-*

& hebdomades LXII erunt; & rurſus ædificabitur platea & muri, in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades LXII occidetur CHRISTUS. In his Angelus primô tempus oſtendit, à qvo LXX hebdomadum ducendum ſit initium. Deinde totum intervallum diſtribuit in partes, VII nimirum hebdomades, & LXII: relinqvit item ſive ſeponit tantiſper unam hebdomadem. Eam verò diſtributionem videtur propterea feciſſe, qvòd oſtendere vellet, qvæ res qvâ intervalli iſtius parte eventuræ eſſent. Nos ampliùs vim vocabulorum excutiemus, ut fecimus in ſuperioribus. Qvô fiet, ut intellectus verborum rectiùs appareat, & contra qvoſdam, à qvibus diſſentimus, poſteà expeditior nobis ſit diſputatio. Exitus ſermonis ſive verbi ſine dubio hîc ſignificat verba principis cujuſdam, qvibus permiſſum qvippiam fuit Hebræis. In hiſtoria Eſræ proditum eſt, pluribus vicibus exiſſe ſermonem, qvô permiſſum fuerit Hebræis, ut qvippiam facerent; permiſiſſe nimirum Cyrum, primum Perſarum Regem, ut Hebræi in antiqvas ſedes remigrarent, & rurſus ædificarent templum; permiſiſſe deinde alium Perſarum Regem, cui Dario nomen fuerit, ut templum inſtauraretur; permiſiſſe deniqve Artaxerxem, ut Eſras cum benè multis in Palæſtinam migraret, cultum divinum illîc curaret, & judicia qvoqve conſtitueret. Primum iſtorum ex primo cap. Eſræ: alterum ex qvinto: tertium ex ſeptimo apparet. Porro Nehemias prodidit. Artaxerxem viceſimô annô regni ſui permiſiſſe, ut ipſe Nehemias in Palæſtinam migraret, & Hieroſolyma mœnibus

bus cingeret. Qvin unum ex iſtis indigitetur ab Angelo, non temerè qvis dubitaverit. Nos dicimus, indigitatum eſſe omnium poſtremum.

X. Sed nunc verba iſta להשיב ולבנות ירושלם, probè excutienda ſunt. Vocem לְהָשִׁיב Pagninus vertit *ad reducendum*, & ſubaudit vocem העם *populum*. Sic & Jachiades ſubaudit vocem ישראל, qvâ ſignificatum vult Hebræum populum. Id avidè arripuerunt Beroaldini, ex eoqve collegerunt, initium LXX hebdomadum eſſe in eo tempore, qvô populus Hebræus permiſſu Cyri in Palæſtinam redux eſt factus. Sed qvis credat, ad vocem השיב ſubaudiendam eſſe aliam? Si verò ſubaudiatur, intellectus qvi oritur, incommodus eſt, nec cum cetera Scriptura ſacra congruit, uti id ex iis, qvæ poſt dicentur, clarè intelligi poteſt. Græci vertunt: ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι Ἱερουσαλήμ. Cúmqve talia reperiſſet, S. Hieronymus in Julii Africani qvintò temporum volumine, in commentario ad c. IX. Dan. ubi ipſius Africani verba commemorat, Græca ita vertit: *Ab exitu ſermonis, ut reſpondeatur, & ut ædificetur Jeruſalem.* Verſio Arabica, qvæ in vaſto opere Pariſienſi eſt, ut in qvamplurimis aliis, ita & hîc ad Græcam eſt expreſſa. Habet enim ita: لتجاوب وتبنى *ut reſpondeat & ædificetur.* Sed & iſtæ verſiones incommodæ ſunt & inconcinnæ. Non qvidem negandum eſt, τὸ השיב ſignificare alicubi

ἀπο-

ἀποκριθῆναι, *reſpondere.* Hîc tamen ſi ita vertas parum commodus oritur intellectus. Imò ineptum id eſt, *ab exitu verbi, ut reſpondeat & ædificetur.* An mandatum hîc intelliges de reſpondendo & ædificando; ſive, ut qvis reſpondeat & ædificet? Facilè apparet, id nihili eſſe. Illuſt. Scaliger in Elencho primæ Orat. Pareænæ ita vertit: *Ab emiſſione edicti ad reſtituendum & ædificandum Hieroſolyma.* Vult igitur τὸ השיב ſignificare *reparare & inſtaurare.* Non alia Latini vocabuli *reſtituere* notio hîc teneri poteſt. Sed iſtum ſignificatum non videtur obtinere Hebræa vox. Eqvidem Illuſt. Scaliger in dicto loco conatus eſt alium locum oſtendere, in qvo Hebrœa vox eundem illum ſignificatum obtineat. *Hebræis*, inqvit, השיב *qvidem eſt reducere; ſed & idem eſt reſtituere.* Exemplum, qvod addit, eſt in II. Reg. XIV. 22. in his: הוא בנה את־אילת וישבה ליהודה, *hic ædificavit Elath, & reſtituit eam Judæ.* Nos contendimus, hoc ἀπροσδιόνυσον eſſe. Non ſic oſtendit Scaliger, eum ſignificatum vocis השיב eſſe & alibi, qvem in verbis Danielis ipſe credidit eſſe. Sanè τὸ השיב commodè hîc poteſt verti voce *reſtituere.* Sed tunc vox *reſtituere* non id ſignificat, qvod in verbis Danielis ſignificat, ex Scaligeri qvidem mente. In his proximis hic eſt intellectus: *Et reduxit, redire fecit ad Judam ſive ad tribum & regnum Judæ illam urbem.* Atqve iſte ſignificatus eſt maximè proprius. In verbis Danielis autem τὸ *reſtituere* Scaligér poſuit pro *reparare, inſtaurare.* Debuiſſet igitur locum oſtendere, in

qvo

qvo Hebræa vox *reparare* ſignificet. Nunc autem, qvòd ad duplicem Latinæ vocis ſignificatum non ſatis attenderet, oſtendit locum, in qvo Hebræa vox verti qvidem poteſt Latinâ voce *reſtituere*; ſed ita ut longè diverſum ſignificatum ea vox obtineat.

XI. Atqve hoc, qvod nos nunc negamus, ipſe qvoqve Scaliger negaverat, ante qvàm elenchum ſcriberet, in ſexto puta, de emend. temp. p. 604. *Nos verò negamus*, inqvit, להשיב ירושלם *eſſe ad inſtaurandum aut integrandum Hieroſolyma, aut ita conſtruendum eſſe.* In eadem verò pagina proponit aliam qvandam interpretationem: ſed qvæ itidem minùs rectè ſe habet. Ibi ſi rectè ejus mentem capimus, ſcripſit, vocem השיב hîc ſignificare *facere reverti*, *jubere reverti*. *Igitur*, inqvit, דבר להשיב ולבנות ירושלם *eſt edictum imperans iterum conſtruere Hieroſolyma. Judæi dicuntur* שבים לבנות *revertentes ad ædificandum*, id eſt, *iterum ædificantes. At Rex dicitur* משיב היהודים לבנות *faciens reverti Judæos ad ædificandum*, id eſt, *jubens eos iterum ædificare.* Si hæc Scaligeri ſunt accipienda: in verbis Angeli apud Danielem ad vocem השיב ſubaudienda fuerit vox היהודים vel huic ſimilis caſus accuſativus. Verùm ita non congruet ea ῥῆσις, qvam Scaliger formavit, cùm ῥήσει Danielis. In hac enim voci לבנות adhæret præfixum ו, qvod in altera non apparet. Deinde per ſe improbabile eſt, ad vocem השיב eſſe ſubaudiendam aliam vocem. Ipſe Scaliger in Elencho Paræi multùm vituperavit eos, qvi ad eam ſubaudiunt vocem העם:

popu-

populus. Sine exemplo etiam fortaſſis eſt, illum dici הָשִׁיב *facere reverti*, ſive reducere, qvi reverti jubet. Ipſi deniqve Judæi, rurſus ædificantes, rectiùs dicentur שָׁבִים וּבֹנִים, qvam שָׁבִים לִבְנוֹת ut Scaliger volebat. Poſterioris hujus ῥήσεως, alia videtur vis eſſe, qvàm prioris. Non ſignificat; inqvàm, *rurſus ædificantes* ἐνεργείᾳ *actu*, ut Philoſophi loqvuntur, ſed *revertentes ad ædificandum*, *accingentes ſe & paratos ad ædificandum*.

XII. Qvid igitur nos tandem? Dicimus rectam eſſe verſionem, qvam Vulgatus Latinus interpres fecit. Ea ita habet: *Ab exitu ſermonis, ut iterum* (rurſus) *ædificetur Jeruſalem.* Ut autem vis Hebrææ ῥήσεως magis appareat, vertimus ita: *Ad revertendum & ædificandum Hieroſolyma.* Deinde paulò Latinus: *ad rurſus ædificandum, ad reædificandum.* Gemina eſt Syriaca verſio, qvæ in opere Pariſienſi eſt. Habet enim ita: למהפך ולמבניו אורשלם *ad revertendum & ædificandum Hieroſolyma.* Sed hujus verſionis afferenda qvoqve ratio fuerit. Hebræi iterationem alicujus actionis voce שוב ſolent exprimere. Et ſic iſtud verbum præponitur alteri illi, qvod ipſam actionem ſignificat. Exemplum eſt Zach. V. v. 1. in his, ואשובה ואשא עיני *reverſus ſum & ſuſtuli oculos meos*, hoc eſt, *iterum ſuſtuli*. At dices, verum qvidem eſſe, τὸ שוב, ſi alii verbo præmittatur, iterationem actionis ſignificare; in noſtris autem eſſe non τὸ שוב, ſed τὸ השיב, qvod ſignificationem tranſitivam habeat,

reducendi nimirum; non intranſitivam *revertendi*. Diſpiciendum igitur nobis, an τὸ השיב poſſit & intranſitivam ſignificationem obtinere. Primò obſervare licet, non omnia verba Hiphil tranſitivam, ſed qvædam eorum intranſitivam ſignificationem obtinere. Talia ſunt השכים *matutinô tempore ſurrexit*, הלבין *albuit*, הבאיש *computruit*, & alia qvædam. Deinde ſcimus eſſe etiam verba Hiphil, qvæ & tranſitivam, & intranſitivam ſignificationem habeant. Tale eſt הקריב qvod *appropinqvare* ſignificat Gen. XII. 11. Eſa. XXVI. 17. aliàs autem *appropinqvare fecit*, *adduxit*. Hujus igitur generis putamus eſſe τὸ השיב ut nimirum & tranſitivam & intranſitivam ſignificationem obtineat. Tranſitivam obtinere, & ſignificare *reducere*, *reverti facere*, vulgò eſt notum. Intranſitivam ſignificationem obtinet, & *reverti* ſignificat, tum in noſtris, tum Jon. I. v. 13. in his, ויחתרו האנשים להשיב אל היבשה *& remigabant viri, ut reverterentur ad aridam*. Oſtenſô ita, τὸ השיב putari poſſe eum ſignificatum obtinere, qvem nos oſtendimus, confirmamus etiam, non aliter debere verti. Primò cogitandum illud eſt, ceteras omnes verſiones eſſe incommodas ac improbabiles. Deinde attendere jubemus ad verba, qvæ mox ſeqvuntur, תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ. Hæc ſine dubio ita ſunt vertenda: *revertetur & ædificabitur* (rurſus ædificabitur, reædificabitur) *platea & murus*. Prioribus illis iterata actio: poſterioribus his iterata paſſio ſignificatur. Et poſteriora hæc pro exe-

geticis

geticis priorum meritò haberi debent. Omnium vero optimè confirmabitur iſta verſio, ubi tempora accuratius cœperimus conferre.

XIII. Tempus, in qvo CCCCXC annorum initium poſitum eſt ab Angelo, fuit illud, qvô verbum exiit de Hieroſolymis reædificandis. Mox autem ſubdidit idem Angelus, *in qvo tempore eorundem annorum finis*, vel qvod fini proximum eſt, futurum eſſet. *Ab exitu verbi*, inqvit, *ad reædificandum Hieroſolyma* עד משיח נגיד uſqve ad *Meſſiam Ducem*. In his ſine dubio indigitantur αἱ ἡμέραι τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ, ut ſacrâ phraſi utar, hoc eſt, ea tempora, qvibus Salvator noſter viſibiliter in his terris fuit verſatus; & qvidem poſtrema eorum. Aben-Eſræ, Jachiadæ & aliorum Judæorum ſomnia de Cyro hîc intelligendo non placet excutere. Græci vertunt: ἕως Χριστοῦ ἡγουμένου. Illos imitatus eſt Latinus Interpres. Non enim uſus eſt Latinô vocabulô, qvô τὸ משיח exprimeret; ſed retinuit Græcum, vertitqve *uſqve ad Chriſtum Ducem.* Sanè τὸ משיח *unctum* ſignificat: & ſæpe in Scripturis ſacris V. T. de Regibus dicitur. In noſtris autem ponitur κατ' ἀντονομασίαν, hoc eſt, vocabulum commune ponitur pro Salvatoris noſtri proprio. Sed & ipſum illud nomen Salvatoris noſtri proprium eſt factum: propterea qvòd ille peculiari ratione eſt unctus. Porrò nomina propria non temerè verti ſolent in alias lingvas. Τὸ משיח igitur qvoniam Salvatoris noſtri proprium eſt factum; ubi de ipſo agitur, non vertendum illud fuerit. Syri Chriſtiani, ut

Salvatorem noſtrum JESUM appellârunt, ita & aliô nomine haud dubiè appellârunt *Meſchicha*. In ſacris Scripturis etiam bis non vertitur, in his puta apud Johannem cap. I. 41: Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν. cap. IV. 25. οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται. In aliis autem locis Nov. T. perpetuò uſurpatur Græcum vocabulum *CHRISTUS*. Nimirum, ut vis nominis intelligeretur à Græcis, qvorum literæ in omnibus gentibus legebantur, voluerunt ſacri Scriptores Græcô vocabulô uti. Atqve ita Græcum nomen itidem ut proprium fuit. Sic & in aliis qvibuſdam eſt factum: ut nomen proprium voce alterius Lingvæ ſit expreſſum, atqve vox ea pro nomine proprio & ipſa fuerit uſurpata. Simoni inditum fuerat nomen Kepha. Idem autem Græcô qvoqve nomine, qvod Hebræo reſpondet, Petrus appellatus fuit. Tale & illud eſt, qvod in Evang. Johannis cap. XX. v. 24. reperimus: *Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος*. תאמים ſignificat *geminos*. Is igitur, qvi Hebræô nomine Θωμᾶς dicebatur, Græcô nomine etiam Δίδυμος videtur dictus fuiſſe. Sic qvoqve, cui Ταβιθὰ nomen fuit, Hebræum puta, ea in Actis Græcô nomine, qvod Hebræo ſignificatione reſpondet, Δορκὰς appellatur. Cap. IX. verſ. 39. *ἱμάτια, ὅσα ἐποίει μετ' ἀυτῶν ὖσα ἡ Δορκάς*. Nec abſimile eſt, qvòd ei, qvi Syrô nomine Μάλχος appellatus fuit, poſt Græcum Πορφύριος à Longino Præceptore ſuo fuit inditum, qvod cognatam ſignificationem cum Syro

habet;

habet; qvo de Eunapium vide. Sed ut ad nomen CHRISTI revertamur; Latinus non malè fecit, qvòd eô eſt uſus, ubi verba Angeli apud Danielem vertere voluit: qvoniam nimirum ipſum vocabulum Græcum æqvè factum eſt proprium, ac Hebræum aut Syriacum. Alibi rectiùs forſitan feciſſet idem Interpres, ſi vocem משיח vertiſſet Latinâ voce *unctus*. In Eſaiæ cap. XLV. v. 1. ſunt qvædam verba, qvæ Latinus ita vertit: *Hæc dicit DOMINUS Chriſto meo, Cyro, cujus apprehendi dexteram.* Hîc itidem retinuit Græcam vocem, eam, qvæ eſt in Græca verſione. Sed minùs commodè id eſt factum. Nam nec poni hîc poteſt, ut proprium; nec τὸ *Chriſtus* Latinâ civitate eſt donatum, ut *unctum* æqvè ſignificare poſſit, ac ipſum Latinum vocabulum. Porrò voci משיח addita eſt vox נגיד Dux: qvâ & Reges appellantur in ſacris literis. Qvòd autem dicit, *ſeptem & ſexaginta duas* hebdomades eſſe uſqve ad CHRISTUM Ducem, id ita intelligimus, qvòd tantum intervallum temporis ante effluxurum eſſet, qvàm CHRISTUS Dux declararetur, ȣ̓ ἀκȣςέον, *qvi audiendus eſſet.* Non igitur ipſâ nativitate CHRISTI iſtuc intervallum terminatur, ſed ejus miniſterii exordiô. Dux declaratus tùm fuit, cùm cœlitùs de ipſo ita fuit pronunciatum: ȣ̃τός ἐςιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτȣ̃ ἀκȣ́ετε. Idem illud ſignificatum etiam eſt in ſuperioribus, his verbis, למשוח קדש קדשים *ad ungendum ſanctum ſanctorum.*

XIV. Ab eo igitur tempore, qvô permiſſum fuit, ut Hebræi Hieroſolyma inſtaurarent, uſqve ad illud, qvô CHRISTUS Dux conſtitutus, ac miniſterium ſuum exorſus fuit; Angelus numerat VII & LXII hebdomades annorum, hoc eſt annos CCCCLXXXIII. Qvid autem id ſit, *Hieroſolyma rurſus ædificari ſive reparari*, id dubium adhuc eſſe poteſt. Qvidam exiſtimant, reparationem templi his indigitari. Et Beroaldini qvidem putant, reſpici ad illud, qvòd Cyrus permiſit, ut templum inſtauraretur: qvanqvàm præpeditum opus poſtea fuerit. Illuſt. Scaliger, & qvi cum ipſo faciunt, reſpici putant ad illud, qvod poſtea Darius permiſit, ut templum inſtauraretur: ubi tum & factum fuit. Nos verò exiſtimamus, ad illud reſpici, qvod Artaxerxes permiſit, ut urbs mœnibus cingeretur: qvo de in libro Nehemiæ legimus. Cogitemus igitur, annon hæc locutio, *Hieroſolyma rurſus ædificari*, rectius conveniat ei, qvod Artaxerxes permiſit facere, qvàm qvod Darius. Id verò probari etiam poteſt his, qvæ in verbis Angeli nunc ſeqvuntur conſideranda, תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים. Qvæ Latinus rectè vertit: *Rurſus ædificabitur platea & muri, in anguſtia temporum.* Græci vertunt; πάλιν οἰκοδομηθήσεται ἡ πλατεῖα καὶ τεῖχος, ἐν στενοχωρείᾳ τῶν χρόνων. Potuiſſent etiam vertere, ἀνοικοδομηθήσεται, ἀνακλισθήσεται. Nam τὸ ἀνὰ in compoſitione ſignificat actionis iterationem. Iſta igitur verba, qvæ noviſſimè poſuimus, ſunt exegetica eorum, qvæ præceſſerant,

ad rurſus ædificandum ſive ad reædificandum Hieroſolyma. Dicitur autem illis, *plateas ordinatum ac muros excitatum iri*, & qvidem difficili tempore. Et hoc factum iri parte primâ magni, iſtius intervalli, ſeptem puta hebdomadibus annorum, ſive XLIX annis. Propterea nimirum in proximis ſuperioribus magnum intervallum LXX hebdomadum partitus fuerat in VII & LXII, ut de ſeptem hebdomadibus ſeorſim qvidpiam prædiceret. Porrò additur, *Et poſt hebdomades LXII* יכרת *occidetur* (exſcindetur) CHRISTUS. Intra magni intervalli primam partem, hoc eſt, XLIX annos plateæ debuerunt ordinari, urbſqve mœnibus cingi, & priſtino nitori qvodammodo reſtitui. Cùm deinde exacta eſſet & altera pars, LXII hebdomades annorum, hoc eſt, CCCCXXXIV anni, tùm demum exſcindi ſive occidi debuit CHRISTUS. Addit verò Angelus duas voculas ואין לו. Ea mirè vertit Latinus, *Et non erit populus ejus, qvi eum negaturus eſt.* Græci vertunt: καὶ κρῖμα ὐκ ἔςιν ἐν αὐτῷ. Videntur hi in Hebræo legiſſe vocem דין *judicium.* Atqve illos ſecutus eſt Autor Arabicæ verſionis, qvæ eſt in opere Pariſienſi, ut in innumeris aliis. Commodiſſimè iſtæ voculæ videntur ita verti, *& non ſibi*, *non ſuâ cauſâ.* Ut igitur hic ſit verborum intellectus, CHRISTUM paſſurum ac moriturum eſſe, non ſuâ cauſſâ, ſed noſtrâ. Sic geminum illud erit his, qvæ in Eſa. LIII. capite verſ. 4. legimus, אכן חלינו הוא נשא ומ׳ *verè langvores noſtros ipſe tulit.* Item: verſ. 8.

מפשע עמי נגע למו *propter prævaricationem populi mei plaga illi.*

XV. Anteà, q àm tempora conſideremus ἀκριβέςερον, libet & cetera verba Angeli, eô, qvô cœpimus modô expendere. Seqvuntur igitur hæc והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ המלחמה נחרצת שוממות: Qvæ ita vertit Latinus: *Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Priora iſtorum in verſione Græca ita habent: καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγουμένῳ τῷ ἐρχομένῳ. Apparet Græcos Interpretes pro עם *populus* legiſſe עם *cum.* In Latina verò Hebræa vox עם expreſſa qvidem eſt; ſed mala interpretatio Græcorum expreſſa ſimul eſt. Habet enim: *populus cum duce venturo.* Vetus Latina, qvâ Tertullianus uſus fuit, ad ſolam Græcam, qvo ad hoc, eſt expreſſa. Habuit enim ita: *Civitatem & ſanctum exterminabit cum Duce adveniente.* Rectiùs vertendum ita: *Populus Ducis venturi.* Ceterùm, qvin populus iſte, q em indigit t Angelus, ſit Romanus; & qvin Dux iſte ſit Titus Veſpaſianus, de eo non eſt dubium. Et prædicit igitur Angelus de ſecundo excidio Hieroſolymorum, qvod aliqvo annis poſt aſcenſionem CHRISTI eſt actum. Iſtud verò pronunciatum de altero urbis excidio non unâ modò oratione expreſſit Angelus, ſed verbis bis repetitis in eandem ſententiam. Id ſine dubio factum eſt ad ſignificandam extremam urbis internecionem, & ad rem diſertiùs confirmandam.

Addidit

Addidit qvidem Angelus proximis ſuperioribus iſta: *& finis ejus in fine cum inundatione; & uſqve ad finem belli præciſa deſolatio.* Uraci pro וקצו videntur legiſſe יקצו Vertunt enim: Καὶ ἐκκοπήσονται ὡς ἐν κατακλυσμῷ. Latinus rectiùs: *& finis ejus vaſtitas.* Pro vocabulo שטף, qvod *inundationem* propriè ſignificat, poſuit Latinus Interpres Latinam vocem, qvæ id propriè ſignificat, qvod τὸ שטף per metaphoram. Græci vocabulum poſuerunt, qvod Hebræo in ejus ſignificatione propria reſpondet. Poſtrema eorum, qvæ noviſſimè poſuimus, partim malè, partim rectè habent in vulgata verſione. Id minùs rectum eſt: *poſt finem belli.* Qvod נחרצת שוממות vertit, *ſtatuta deſolatio*, id non diſplicet. Intelligit, ut apparet, decretum de futura deſolatione & excidio. Non inſolens eſt, τὸ חרץ ſignificare, *decernere*, *ſtatuere.* I. Reg XX. verſ. 40. *Hoc eſt judicium tuum*, אתה חרצת *tu ipſe deciſiſti*, *definiviſti.* Hiob X V. v. 1. חרצים ימיו *definiti ſunt dies ejus.* Alii intelligunt *ſummam* & *maximam* deſolationem. Junius puta & Tremellius, itémqve Buxtorfius. Hi verò etiam voces נהרצת שוממות putant in regimine eſſe poſitas, & vertendas hôc modô, *præciſum deſolationum.* Ita igitur *præciſum deſolationum* fuerit ipſum decretum de futura deſolatione.

XVI. Verba, qvæ nunc porrò conſideranda ſunt, ita habent: והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה. Latinus hæc ita vertit; *Confirmabit autem pactum multis hebdoma-*

da una: & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Græci ſimiliter: καὶ δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομὰς μία, καὶ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος ἀρθήσεται θυσία καὶ σπονδή. Crediderunt iſti Interpretes τὸ שבוע אחד habere vim caſus primi. Nec aliter Junius & Tremellus. Nos citiùs crediderimus, caſum primum non expreſſum eſſe, ſed ad vocem הגביר ſubaudiendum eſſe aliqvem, hunc puta, משיח נגיד *Meſſias Dux.* Sic in prophetiis de Meſſia fit ſæpiſſime, uti id cuivis eſt notum. Qvod ſi ſubaudiamus id, qvod dixi, duæ voces שבוע אחד, Græcis in qvarto, Latinis itidem qvartô aut ſextô caſu fuerint vertendæ. Et ſic verſio magis conſentanea erit ceterorum verborum verſioni. Non enim cauſam video, cur voces חצי השבוע nolint caſu primô vertere, ſi altera illa iſtô caſu vertant. Vocem ישבית rectiùs fortaſſe vertere licet, qvàm vel Latinus vel Græci fecerunt, hoc puta modô, *ceſſare ſive deſinere faciet.* Subaudiendum autem hîc qvoqve nomen Meſſiæ. Sed de ipſo tempore, qvod his ſignificatur, diſpiciendum etiam eſt. In ſuperioribus Angelus magnum intervallum LXX hebdomadum in partes tribuit, qvòd de ſingulis iſtarum partium ſeorſim qvidpiam dicturus eſſet. Dixit autem de prima parte, qvæ eſt VII hebdomadum. Deinde etiam de altera, qvæ eſt LXII. Ab iſtis partibus ſeparaverat ac ſepoſuerat tantiſper unam hebdomadem; qvæ ultima eſt omnium LXX, hoc eſt ſeptuageſima. De iſtâ igitur ultimâ

timâ hebdomade prædicit, fore, ut ejus intervallô CHRISTUS multis confirmet pactum. Qvid illud ſit, CHRISTUM multis confirmaturum eſſe pactum, id facilè liqvet nobis μεμυημένοις: qvippe qvi ſcimus, Salvatorem noſtrum per aliqvot annos ipſum in Palæſtinâ docuiſſe populum, & multa patrâſſe miracula; eôqve effeciſſe, ut multi in ipſum crediderint. Additur deinde, in mediâ hebdomade CHRISTUM deſinere ſive ceſſare facturum hoſtiam & ſacrificium. In his putamus eandem illam ultimam hebdomadem indigitari, de qvâ in proximis ſuperioribus eſt dictum; nimirum cum dimidium ejus exactum eſſet, deſituram eſſe hoſtiam & ſacrificium. Medium poſtremæ hebdomadis putamus tùm fuiſſe, cùm Salvator noſter paſſus eſt. Ut ita unum dimidium paſſionem ejus antecesſerit; alterum eandem ſit ſecutum. Non tamen neceſſe eſt dimidium omnibus modis exactum hîc intelligi, ſed ſufficit, ſi dimidium ſit κατὰ πλάτος. An verò tùm, cùm CHRISTUS paſſus fuit, idem putari poteſt ceſſare feciſſe ſive aboleviſſe hoſtiam & ſacrificium? Sanè poſtilla etiam hoſtiæ immolatæ fuerunt in templo Hieroſolymitano, & qvidem per trigintâ ampliùs annos poſt paſſionem CHRISTI, ad excidium uſqve urbis, ut ex Joſepho conſtat. Nihilominus tamen tùm, cùm CHRISTUS paſſus fuit; rectiſſimè is putari poteſt aboleviſſe hoſtiam & ſacrificium. Nimirum tùm CHRISTUS παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας,

ut

ut Apoſtolus ſcribit Epheſ. V. v. 2. Atqve ita CHRISTUS ſui ipſius immolatione effecit, ut poſteà ſacrificiorum nullus eſſet uſus aut fructus. *Διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος*, Hebr. IX. v. 12. Hoc eſt illud *ceſſare ſive qvieſcere facere ſacrificium & oblationem.* Sic oſtenſum nobis eſt de qvibuſnam prædictum videatur ſancti Angeli verbis, & in qvæ tempora ea competant. Infra tamen, ubi ad tempora cœperimus attendere *ἀκριβέστερον*, magis magiſqve hæc confirmabuntur.

XVII. Poſtrema verba ita habent: ועל כנף שקוצים משומם ועד כלה ונחרצה תתך על שומם. Vulgatus vertit hôc modô: *Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſqve ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Voluit qvidem exprimere verſionem Græcam, qvæ ita habet: *καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἔσται, καὶ ἕως συντελείας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν.* Vetus verſio, qvâ Tertullianus uſus fuit, habuit ſimiliter: *Et in ſancto execratio vaſtationis.* In priorum verborum verſione non unô modô erratum eſt, & à Græcis, & à Latinis. In Hebræis eſt vox כנף, qvæ in regimine eſt poſita: eiqve igitur & in Græco, & in Latino debet nomen ſubſtantivum jungi in Genitivo caſu. In verſionibus autem non eſt additum aliud ſubſtantivum in ſecundo caſu, ſed ſimpliciter, *ἐπὶ τὸ ἱερὸν, in templo*, eſt poſitum. In templo fuerunt Cherubim, qvi alas

alas habuerunt. Interpretes igitur putârunt, iſtas alas hîc indigitari: & alas porrò per metonymiam poſitas eſſe pro templo. Porrò τὸ שקוצים verterunt, ut ſi in regimine eſſet poſitum. Eam enim vocem & proximam ſeqventem משומם ita verterunt, βδέλυγμα ἐρημώσεων, *abominatio deſolationis.* At vox שקוצים eſt formæ abſolutæ; non conſtructæ. Deinde τὸ משומם non eſt pluralis numeri: neqve eſt nomen ſubſtantivum; ſed participium. Hæc pridem viderunt viri docti, atqve igitur maluerunt vertere: *per alam abominationis deſolantem.* Per *alam* intelligunt alam exercitus, vel ipſum exercitum, & qvidem Romanum. Hunc verò *abominabilem* putant dictum, qvòd ſigna & aqvilas coleret. Τὸ על ſignificare *per* non eſt ſine exemplo. Ita enim ſignificat Gen. XXVII. 40. & Ezech. IV. verſ. 15. Porrò τὸ משומם referunt ad alam, ut ala, exercitus puta, dicta ſit *deſolans.* Sunt eqvidem hæc multò meliora iſtis, qvæ in vulgatâ Latinâ, itémqve Græcâ verſione apparent.

XVIII. Ad iſta verba, qvæ noviſſimè conſideravimus, reſpexit Salvator noſter in iſtis apud Matthæum cap. XXIV. v. 15: ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, τότε, καὶ τὰ ἑξῆς. Qvibus gemina ſunt hæc apud Lucam cap. XXI. v. 20. ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ ςρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. In verſione Græcâ

Danic.

Danielis ter legitur τὸ βδέλυγμα, nimirum cap. IX. ult. c. XI. 31. & c. XII. 11. In primo loco eſt, βδέλυγμα ἐρημώσεων: in ſecundo, βδέλυγμα ἠφανισμένον: in poſtremo, βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Qvia in poſtremo eſt βδέλυγμα ἐρημώσεως, planè ut apud Matthæum, putavit Beza, ad illum ipſum reſpici à CHRISTO, cùm is loqvitur de βδελύγματι ἐρημώσεως, ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Ei verò nos non conſentimus: propterea qvòd in poſtremo iſtorum locorum non de excidio, qvod per Titum eſt factum, ſed de clade, qvàm Antiochus Hebræis intulit, prædictum apparet. In iſtis autem apud Matthæum de extremo urbis excidio, per Titum facto, prædictum eſſe, id non poteſt eſſe dubium. In ſecundo dictorum trium locorum agitur itidem de Antiochi ſævitiâ. In ſolo primo de excidio, per Titum facto agitur. Atqve is igitur omnino hic eſt, ad qvem reſpexit CHRISTUS. Porrò in poſtremo dictorum trium locorum eſt שקוץ שומם *abominatio deſolans*: in ſecundo eſt שקוץ מְשׁוֹמֵם eôdem ſignificatu. In primo, qvod nobis verſandum nunc eſt, eſt כנף שִׁקּוּצִים משומם *ala abominationum deſolans*. Apparet ῥήσεις iſtas eſſe valde cognatas. Diſpiciamus primò, qvid שקוץ ſignificet.

XIX. In poſtremo, ut & in ſecundo iſtorum locorum, qvos oſtendimus, ſine dubio indigitatur εἴδωλον Διὸς ὀλυμπίȣ, qvod Antiochus poni juſſit in ſacro altari, qvo de vide lib. I. Macc. cap.

cap. I. v. 57. & lib. II. cap. VI. v. 2. Atqve in illo ipſo lib. & cap. primo diſertè βδέλυγμα ἐρημώσεως vocatur. In plurimis item aliis Scripturæ locis eadem vox שקוץ *idolum* ſignificat, ut in I. Reg. XI. 5. II. Reg. XXIII. 24. Ezech. VIII. 10. Jerem. XXXII. 34. Sanè vox ea ſignificat etiam qvamvis rem abominabilem: in ſpecie verò ſignificat idolum, utpote rem Hebræis vel maximè abominandam. In noſtris veriſimile eſt per τὸ שקוצים ſignificari itidem idola, ut in cap. XI. v. 31. & XII. v. 11. Danielis fit. Atqve id videtur conjici poſſe ex eo, qvòd in noſtris mox additur vox משמם uti fit in cap. XI. & XII. Qvæ verò idola intelligemus in noſtris? & qvid tum erit כנף שקוצים? Videntur commodè intelligi poſſe ſigna & aqvilæ Romanorum, qvas Titus in caſtris habuit. In ſingulis legionibus una aqvila fuit: ex argento primitùs; poſt ex auro: ſummæ haſtæ inſiſtens, alis expanſis & pede fulmen aureum tenens. Signa verò in legione tot fuerunt, qvot cohortes, hoc eſt, decem. Fuerunt ea haſtæ oblongæ, qvibus in ſummo breve lignum tranſverſim appoſitum, ad formam crucis ferè. Adjunctæ his fuerunt imagines Cæſarum. Vide, qvæ de his ad Tacitum notavit Juſtus Lipſius. Ceterùm aqvilæ iſtæ, itémqve ſigna, militum Dii fuêre: adeò ut adoraverint ea, perqve ea juraverint. Tacitus vocat propria *legionum numina* in lib. II. Annalium. Itémqve *bellorum Deos*. Tertullianus luculentè in eam ſententiam: *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna*

ſ-gna jurat, omnibus Diis præponit. Plurima alia in eandem ſententiam Lipſius collegit. Præterea & illud obſervatu eſt dignum, qvòd in caſtrorum principiis ædicula ſive ſacellum fuit, in qvo religionis cauſâ aqvilæ & ſigna ſervarentur. Dio Caſſius lib. XL: ὁ γὰρ ἀετὸς ὠνομασμένος. ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. Herodianus lib. IV. ὡς δὲ εἰσέπεσεν εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴς τε τὸν νεὼν, ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. Cùm igitur Titus urbem obſedit, contra templum Hieroſolymitanum extra urbem poſitum qvaſi aliud templum fuit, in qvo השקוצים *abominationes, idola.* Porrò כנף שקוצים qvid putamus ſignificare? Vox כנף, *alam, extremitatem* uſitatiſſimè ſignificat. In noſtris Junius & Tremellius, itemqve alii ſignificare putant *alam, exercitus*, hoc eſt, legiones Romanas. Sic *exercitus* ſive *legiones abominationum* (idolorum) diceretur, ut Ammonitæ dicuntur *populus Malçomi*, idoli ſui, Jerem. XLIX. 1. & Moabitæ *populus Camos*, Num. XXI. 29. & Jerem. c. XLVIII. 46. Aliis verò non liqvet, an vox כנף ullibi *exercitum* ſignificet. H. Grotius mavult vertere *per expanſionem abominationum* (idolorum, aqvilarum & ſignorum) *deſolantem*. Similem ſignificatum vocis oſtendiſſe putat in Mal. cap. qvarto. Ita ergo כנף שקוצים *expanſum* ſive *expanſio abominationum* (*idolorum*) dictum fuerit ferè, ut רקיע השמים *expanſum cœlorum*: *in* παρέλληλ*ᾳ* nimirum κατὰ πλεονασμόν. Et

ſanè

ſanè non ineptè videtur cogitatum eſſe H. Grotio de dictis vocibus. Sic eæ congruent planè alteris illis ῥήσεσι, qvæ ſunt in c. XI. & XII. Dan. שקוץ שומם & שקוץ משומם. Qvemadmodum nimirum idolum, qvod Antiochus in templo poſuit, *deſolans* dicitur, propterea qvòd deſolationis ſignum qvaſi eſſet: ita & aqvilæ & ſigna Romanorum כנף שקוצים משומם *expanſum abominationum deſolans* dicentur. Deinde bene id congruet verbis Matth. cap. XXIV. verſ. 15. βδέλυγμα ἐρημώσεως ἑςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Nimirum numina Romanorum in his dicuntur ſtare, ſive collocata eſſe in loco ſancto. Nihil tamen prohibet, qvò minùs per iſta numina porrò κατὰ μετωνυμίαν ipſas legiones Romanas intelligamus. Atqve illud videtur S. Lucas indigitare, cùm pro locutione, qvæ apud Matthæum eſt, hæc ponit cap. XXI. v. 20: ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ ςρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ. Ita metonymiam evolverit Lucas. Τόπον ἅγιον, in qvo ſtaturum aliqvando erat βδέλυγμα ἐρημώσεως, putamus eſſe ſolum circa urbem, qvod uni DEO, qvemadmodum urbem ipſam, ſacrum eſſe oportebat, & Romanarum legionum numinibus non patere. Sic & Pſal. LXXIX. 3. סביבות ירושלם tanqvàm locus ſacer habentur. Lucas ſatis clarè oſtendit ita intelligendum eſſe, cùm dicit, ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ ςρατοπέδων Ἱερουσαλήμ. Plurimi ut notum eſt templum ipſum intellexerunt; & ejus qvidem intimum penetrale; putaruntqve indigitari illud,

qvod qvidam Romanorum Imperatorum imagines ſuas in templo juſſerunt collocari. Ut ita per βδέλυγμα ἐρημώσεως imago alicujus Imperatoris, in templo Hieroſolymitano collocata, ſignificata ſit. Sed iſti ſine dubio ſunt falſi. Nam qvòd qvidam ex Joſepho allegant, Pilatùm imagines Cæſaris intuliſſe Hieroſolymis, id factum jam fuerat, cùm CHRISTUS de abominatione deſolationis loqveretur. Neqve igitur ſignum potuit eſſe, qvod futurum adhuc excidium præſignificaret. Sed nec illud qvadrat, qvod alii allegant, ſtatuam Titi in templo fuiſſe collocatam. Hoc enim tum demum evénit, cùm expugnatio urbis facta jam eſſet. Neqve igitur ſignum potuit eſſe excidii, qvod adhuc futurum eſſet. Æqvè parum & cetera qvadrant, qvæ huc ſolent referre.

XX. Reſtant verba omnium poſtrema ועד כלה ונחרצה תתך על שומם. Et Latinus vertit hôc modô: *Uſqve ad finem & conſummationem perſeverabit deſolatio.* Ut vim vocum Hebræarum pleniùs exprimas, vertere fortaſſe ita licet: *uſqve ad conſummationem & qvidem præciſam, effundetur ſuper deſolatum.* Tò שומם ſignificare utiqve poteſt deſolatum. Sic Thren. I. verſ. 16. שוממים *deſolati.* Et fœmin. שוממות *deſolatæ*, Eſa. XLIX. v. 8. Aliud participium aut præteritum eſt Thren. V. v. 15. שׁמם *qvi deſolatus eſt.* Talem ſignificatum putem & in noſtris obtinere. An verò & *deſolationem* ſignificare vox poteſt? Sanè Græci habent: ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν. Sic & in Dan. XII. cap. שקוץ שומם vertunt, βδέλυγμα ἐρημώσεως. Latinus ſimilia

habet.

Digitized by Google

habet. Si maximè poteſt *deſolationem* ſignificare; in noſtris tamen commodiùs ſignificare videtur *deſolatum*. Sed dubitaverit qvis, qvomodo hæc poſtrema cum proximè præcedentibus cohærere putanda ſint. Recolamus verba, in Latinum ſermonem verſa, ut qvidem nos putamus vertenda eſſe: *Et per expanſum abominationum* (aqvilarum & ſignorum Romanorum) *deſolans & uſqve ad conſummationem, & qvidem præciſam* (qvæ deciſa, decreta eſt) *effundetur ſuper deſolatum.* Ex his igitur intelligimus, excidium urbis factum iri, per *expanſum abominationum deſolans*: tùm qvòd abominationes iſtæ, aqvilæ & ſigna Romanorum ad urbem Hieroſolyma collocatæ, ſigna eſſent excidii certò certiùs futuri; tùm qvod iſtis ſuis numinibus magnam vim tribuerent Romani milites. Sanè & alibi de idolis gentium qvædam dicuntur, qvæ ipſis populis competunt, qvi idola coluerunt; Et ipſa idola, ut Reges & Duces inducuntur. Tale illud eſt Jer. XLIX. v. 1. *Malcom* (idolum Ammonitarum) *poſſidet terram Gad*. Porrò in poſtremis illis dicitur, effuſum iri ſuper deſolatum uſqve ad conſummationem, & qvidem præciſam. Per hoc nihil aliud videtur ſignificari, qvàm Judæos calamitatibus urgendos eſſe, donec extremâ internecione urbs deleatur.

XXI. Nunc porrò tempora conſiderabimus ἀκριβέςερον. Tempus ab Angelo determinatum eſt CCCCXC annorum. Ejus initium procul dubio eſt in eo tempore, qvô ſermo editus fuit à qvodam Perſarum Rege de Hieroſolymis re-

 paran-

parandis; finis, vel potiùs id qvod finem proximè anteceſſit, in eo tempore, qvô Salvator noſter Dux conſtitutus fuit, & miniſterium ſuum exorſus. R. Saadias in ſuo פירוש valdé ineptè initium poſuit in eo tempore, qvô Nebucadnezar templum & urbem evertit; finem verò in eo tempore, qvô urbs & templum ſecundùm ſunt exciſa. Ejus verba ſunt: הרי שבועיו ע׳ חן ת״צ שנה הוצא מהן ע׳ שנים לגלות בבל משהחריב נבוכד נצר בית המקדש עד שנה שתים לדריוש נשארו ת״ב שנה שכן היה עמידתא של בית שני׃ *Ecce hebdomades ſeptuagi..sa: quæ conficiunt* CCCCXC *annos. Deduc ab illis ſeptuaginta captivitatis Babylonicæ numerando ab illo tempore, qvô Nebucadnezar domum ſanctuarii vaſtavit uſqve ad ſecundum Darii: relinqvuntur* CCCCXX *anni, qvòd ſic fuit ſtatus domûs ſecundæ* (qvòd tantô intervallô ſtetit domus ſecunda). Non attendit iſte Rabbinus, qvòd initium non ſit poſitum in tali tempore, qvô urbs & templum exciſa fuerunt, ſed in tali, qvô exciſum qvippiam debuit reparari. Matthæus Beroaldus, & qvi eum ſecuti ſunt, crediderunt, LXX hebdomadum initium fuiſſe in eopſe anno, qvô Daniel vaticinium audivit ab Angelo. In primo nimirum Darii Medi anno: qvô ipſô etiam à Cyro permiſſum fuerit, ut Hebræi in antiqvas ſedes remigrarent, & inſtaurarent templum. Propterea etiam in verſione verborum Angeli ad vocem להשיב ſolicitè ſubaudiunt vocem העם *populus*: ut ita Angelus dixerit, ab eo tempore, qvô verbum exiturum

eſſet

eſſet de reducendo populo in Palæſtinam, LXX hebdomadas numerandas eſſe. Sed ineptè ſine dubio hoc ab iſtis eſt factum. Iidem verò finem LXX hebdomadum conſtituunt in eo tempore, qvô Salvator noſter paſſus ac mortuus eſt. Ita fit, ut iſti â primo anno Cyri ad annum CHRISTI ϛαυρώσιμον CCCCXC modò annos numerent. Cùm verò oggeritur, ex collatione hiſtoriæ τῆς ἔξω cum ſacrâ ſummam multò majorem colligi inde à primo anno Cyri ad dictum annum CHRISTI: qveritantur iidem illi, hiſtoricos Græcos Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Diod. Siculum non ſatis fideliter putâſſe tempora, & Perſarum Regibus multò plures tribuiſſe annos, qvàm tribui illis debuerint. Imò non fuiſſe omnino tot Perſarum Reges, qvot Veteres Hiſtorici memorarunt, iidem illi ſuſtinent contendere. Sed non eſt cur iſtis hominibus nos addamus, & Veterum Hiſtoricorum fidem vocemus in dubium. Demonſtrandum modò illis eſt, non neceſſe eſſe Scripturas ſacras ita intelligi, ut qvidem ipſi interpretantur.

XXII. Principiò obſervandum eſt, ex ſacris literis poſſe utiqve conſtare de aliqvot Perſarum Regibus: & qvidem de Cyro, Cambyſe, Smerde & Dario Hyſtaſpis, ex qvarto capite Eſræ. Qvomodo verò id poſſit, id demonſtravimus ſupra pag. 813. & ſeqq. Iidem Reges atqve item Xerxes, qvi Darium Hyſtaſpis ſecutus fuit, clarè indigitantur ab Angelo in Dan. cap. XI. 2. iſtis verbis: *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & qvartus ditabitur opibus nimis ſuper o-*

 mnes,

mnes, & cum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnia adverſus regnum Græciæ. Cùm Angelus iſta pronunciavit, regnavit Cyrus, ut ex c. X. poteſt intelligi. Poſt Cyrum igitur Angelus ponit primò tres Reges; deinde & qvartum addit. De qvarto iſto talia prædixit, qvæ ſatis oſtendunt, eum eſſe Xerxem. Jam vero non aliud conſtat ex profanâ hiſtoriâ, qvam Xerxem fuiſſe qvartum Regem à Cyro. Qvare ſummus conſenſus profanæ hiſtoriæ cum ſacrâ ex his apparet. Porrò Xerxem juxta profanam hiſtoriam excepit Artaxerxes Longimanus. Idem vero hic in ſacrâ qvoqve hiſtoriâ ſatis clarè oſtendi poteſt. Legitur qvidem de illo in ſeptimo capite Eſræ, & in libro Nehemiæ. In Hebræo vocatur Artachſaſtha: & qviddam inter nomina diſcriminis eſt. Non tamen Artachſaſtha ille poteſt alius eſſe, qvam Artaxerxes. Græcos corrupiſſe nomina Orientalium vulgo eſt notum. Non igitur mirum, ſi hîc qvoqve nonnihil apparet differentiæ. Darius iſte, de qvo memoratur in qvarto, qvinto & ſexto Eſræ, qvòd templum permiſerit inſtaurari, ſine dubio eſt Darius Hyſtaſpis. Atqve illud putamus à nobis liqvidum eſſe redditum in pag. paulò antè monſtratâ. Aartachſaſtham igitur, de qvo in ſeptimo capite Eſræ eſt proditum, neceſſe eſt Artaxerxem eſſe Longimanum. Inter Darium Hyſtaſpis & Artaxerxem Longimanum profana hiſtoria ponit Xerxem. Sed hic non poteſt eſſe Artachſaſtha ille: propterea qvòd nec nomen congruit, nec anni regni, de qvibus ex Eſrâ & Nehemia conſtat, ipſi competere poſſunt. Xerxem enim Græci hiſtorici prodiderunt XX & unum regnâſſe annos. Artach-
ſaſthæ

ſaſthæ autem in Nehemiæ cap. XIII. v. 6. trigeſimus ſecundus annus tribuitur. Artaxerxem Longimanum, qvem nos credimus Artachſaſtham illum eſſe, Græci prodiderunt XL ampliùs annos regnâſſe. Cui igitur trigeſimus ſecundus iſte regni annus bene competere poteſt. Pudendum *παρόραμα* eſt Fl. Joſephi, qvòd in undecimo Ἀρχαιολογίας c. V. ſcripſit, Xerxem, Darii Hyſtaſpis filium, eſſe Artachſaſtham illum, cujus permiſſu Eſdras & Nehemias in Palæſtinam remigrârunt. Qvô nos docebit Joſephus, Xerxem regnâſſe XXXII annos, qvot Artachſaſtham illum regnâſſe ex Nehemia ſcimus? Sed qvàm fœdè idem ille Joſephus ſacram hiſtoriam tractet & componat, non hôc modô, ſed compluribus aliis argumentis conſtare poteſt.

XXIII. Nunc porrò Beroaldinis demonſtrabimus, non putandas eſſe LXX hebdomades ab illo tempore, qvô Cyrus permiſit, ut Hebræi remigrarent in Palæſtinam, & templum inſtaurarent. Qvod ubi factum à nobis erit, non opus habebunt boni iſti viri, in dubium vocare ea, qvæ de annis Regum Perſiæ Græci prodiderunt. Primò obſervandum eſt in verbis Angeli apud Danielem nihil apparere de populo reducendo in Palæſtinam: & nihil qvoqve de reparando templo. Verba Angeli ſunt: מִמֹּצָא דבר להשיב ולבנות ירושלים. Hæc ſupra oſtendimus ita debere verti: *Ab exitu verbi ad revertendum & ædificandum Hieroſolyma.* Ac ut Hebraiſmus negligatur, *ab exitu verbi ad rurſus ædificandum ſive ad reædificandum Hieroſolyma.* Ad

vocem השיב ſubaudiunt qvidem ipſi vocem העם *populus*, ut ita de reductione populi in verbis Angeli dici obtineant. Sed durum id eſſe & contra loqvendi modum facilè apparet. Noſtram verò expoſitionem confirmare poſſumus ex eo, qvòd in iis, qvæ mox ſeqvuntur, geminus loqvendi modus de eadem re uſurpatur, תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ *revertetur & ædificabitur platea & murus*, hoc eſt reædificabitur. Si verò id maximè obtinerent, qvod volunt, agi de reductione populi in verbis Angeli: non tamen id oſtendere poſſent, tùm, cùm Cyrus permiſit, ut Hebræi in Palæſtinam remigrarent, & inſtaurarent templum, exiſſe etiam verbum de ædificandis ſive reparandis Hieroſolymis. Cùm permiſſum fuit, ut templum inſtauraretur, eô ipſô non continuò permiſſum fuit, ut repararentur Hieroſolyma, hoc eſt, ut urbs mœnibus cingeretur, & priſtino nitori paulatim inciperet reſtitui. Illud *Hieroſolyma ædificari ſive reparari* ipſe Angelus exponit per *muros excitari*, & urbem mœnibus cingi. Si ſcire velint, qvô tandem tempore verbum exierit de Hieroſolymis reparandis, hoc eſt, de urbe mœnibus cingenda, attendant ad hiſtoriam Nehemiæ, ex qva tam clarè id apparet, qvàm qvod clariſſimè. In ea nimirum proditum eſt, Artachſaſtham, qvem Artaxerxem Longimanum eſſe pauló antè oſtendimus, vigeſimô regni ſui annô permiſiſſe, ut Nehemias in Palæſtinam migraret, & urbem mœnibus curaret cingendam. Ab iſto igitur viceſimô annô Artaxerxis Longimani initium ducendum erit LXX hebdomadum. Qvod ſi facere ſuſtinuerint Beroaldini, non neceſſe

habe-

habebunt fidem Græcorum hiſtoricorum in dubium vocare.

XXIV. Sed ita Illuſt. Scaligeri ſententia à nobis negligetur prorſus: ea, inqvam, qvam magnô conſenſu approbârunt Viri docti, qvod an fieri fas eſt ac verum? Credidit Illuſt. Scaliger, initium LXX hebdomadum ducendum eſſe à ſecundô annô Darii Nothi, qvô ipſô & templum ſit inſtauratum. Qvòd animadverteret à ſecundo anno Darii Nothi uſqve ad ſecundum excidium Hieroſolymorum numerari poſſe LXX hebdomades annorum, qvòd item ſciret, ſecundô annô alicujus Darii inſtauratum omnino fuiſſe templum: conjectavit de initio LXX hebdomadum in ſecundo anno Darii Nothi ponendo. In Animadverſionibus ad Euſeb. pag. 90. contendit etiam, ex ipſo vaticinio de LXX hebdomadibus, qvod apud Danielem eſt, demonſtrari poſſe, templum Hieroſolymitanum inſtauratum fuiſſe ſecundô annô Darii Nothi. *Qvod & Daniel*, inqvit, *ita diſertè demonſtravit, ut qvi contra hiſcere audeat, is cum veritate ipſa & Daniele manum conſerere audeat.* Mirum, qvàm confidenter Vir ſummus pronunciet. Contra ea autem obſervandum imprimis eſt, templum inſtauratum fuiſſe non ſecundô Darii Nothi, ſed ſecundô Darii Hyſtaſpis, id ex Zacharia & Eſra tam clarè apparere, qvàm qvod clariſſimè. Ut ita ſi qvis credat, in Daniele aliter eſſe proditum, ſacri Scriptores manifeſtè inter ſe committantur. Cùm autem unum aut duo loca habemus, qvæ clariſſima ſunt, alia omnia, qvæ adverſa eſſe videntur, interpretanda utiqve ſic

 fuerint,

fuerint, ut ne alteris illis clariſſimis adverſentur. Sed, ſi accuratè rem perpendimus, ne propterea qvidem opus eſt, ut vaticinium apud Danielem aliter interpretemur, qvàm Scaliger fecit, ne alteris illis, qvæ ſunt in Eſra & Zacharia, videantur adverſa. Confidimus, Illuſt. Scaligeri ſententiam de LXX hebdomadum initio per ſe abſurdam eſſe, id tam clarè poſſe demonſtrari, ut, qvi ampliùs diſſentire velit, cum ipſo Daniele manum conſerere meritò debeat videri. Ubi autem ſatis oſtenſum fuerit, non poſſe initium LXX hebdomadum à ſecundô annô Darii Nothi duci: neqve ampliùs poterit ex iſto vaticinio, qvod de LXX hebdomadibus apud Danielem eſt, probatio peti ejus, qvòd templum Hieroſolymitanum ſecundô annô Darii Nothi ſit inſtauratum. Principiò qvòd Illuſt. Scaliger LXX hebdomades numerat à ſecundô annô Darii Nothi uſqve ad ſecundum excidium urbis, id parùm videtur conſentaneum eſſe ei, qvod ſanctus Angelus docere voluit. Divus Daniel multùm qveſtus fuerat de excidio urbis ac templi, à Nebucadnezare facto: qvòd conſideraret, Hieroſolyma eſſe eam urbem, in qva Meſſias & Salvator mundi verſaturus & admiranda patraturus aliqvando eſſet. Attenderat item impenſiùs ad numerum LXX annorum captivitatis, qvem Jeremias determinaverat. Ad ea igitur dirigere voluit ſanctus Angelus orationem ſuam. Conſideraverat Daniel ἑπτηκοντάδα & al: ἑβδομηκοντάδα annorum captivitatis. Proponit igitur Angelus aliam ἑπτηκοντάδα, ſeptua-

genarium numerum ἑπτάδων ſive ἑβδομάδων annorum. Porrò initiô ἑπτηκοντάδων iſtarum dicit permiſſum iri, ut Hieroſolyma inſtaurentur, & in fine earum, in eâdem iſtâ urbe, cujus tùm qvidem temporis vetera rudera adhuc jacebant, verſaturum Meſſiam, admiranda in eâ patraturum, ac pro peccatis mundi etiam ſatisfacturum. Subdit deinde nonnulla de ſecundo excidio Hieroſolymorum, qvod per Titum eſt factum. Scaliger exiſtimat, *principale pronunciatùm* Angeli hoc eſſe, *Ab eo tempore, qvô templum inſtaurabitur uſqve ad illud tempus, qvô urbs ſecundùm exſcinditur, fluxuri ſunt* CCCCXC *anni*. Ut ita prædictio de novo urbis excidio præcipuum ſit in oratione Angeli. Nos putamus fuiſſe modò πάρεργον, de novo urbis excidio prædicere: ἔργον autem, docere de iſtis, qvæ Meſſias in iſtâ urbe, cujus tum vetera rudera jacebant, patraturus eſſet, ac paſſurus. Atqve hoc multò veriſimilius per ſe videri debet. Ut verò tempus etiam oſtenderet, qvô Meſſias in iſtâ urbe verſaturus eſſet, ſumpſit ἑπτηκοντάδα illam ἑπτάδων annorum, qvæ intercedere debebat inter id tempus, qvô urbs mœnibus cingenda erat, & illud, qvô Meſſias verſaturus erat in eâdem urbe. Idqve eò libentiùs fecit, qvod Daniel & ipſe conſideraverat ἑπτηκοντάδα ſeptuagenarium numerum annorum, puta captivitatis. Sic igitur unum incommodum, qvô Scaligeri ſententia urgetur, eſt expoſitum. Videamus porrò & alterum.

XXV. Cùm Angelus LXX hebdomades determi-

terminâſſet, mox eaſdem in tres partes tribuit, qvarum una VII hebdomadum eſt: altera LXII: tertia unius. Hæ partes ſi rurſus conjungantur, conficiunt ipſas LXX hebdomades. Fecit autem partes iſtas Angelus, qvòd de primis annis, itemqve de extremis, qvos LXX hebdomades comprehendunt, peculiaria qvædam ſignificare vellet. Dicit qvidem, *ab exitu verbi de Hieroſolymis inſtaurandis uſqve ad Meſſiam Ducem eſſe VII hebdomades, & LXII hebdomades.* Cur autem non dicit eſſe LXIX hebdomades? Apparet, ſeparare voluiſſe VII hebdomades priores à ceteris, qvòd prædicere vellet, intervallô iſtarum ſeptem factum iri qvippiam peculiare. Mox igitur ſubdit hæc: תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים *rurſus ædificabitur platea & murus, & qvidem in anguſtia temporum.* Cùm ſub ipſum initium ſeptuaginta hebdomadum verbum exîſſet de Hieroſolymis reparandis, dicit futurum eſſe, ut ipſarum LXX hebdomadum prioribus ſeptem, hoc eſt, XLIX annis plateæ urbis ordinarentur, urbs mœnibus cingeretur, atqve ita priſtino nitori paulatim reſtitueretur. Porrò autem hæc ſubjungit, *& poſt hebdomades LXII occidetur Chriſtus.* Priorum ſeptem hebdomadum ſpatiô urbs debuit reparari. Cùm autem & VII illæ, & ampliùs LXII hebdomades effluxiſſent, tùm demum Chriſtus debuit pati, hoc eſt poſt annos CCCCLXXXIII ab ipſo initio LXX hebdomadum numeratos. Hæc ita videntur planiſſimè poſſe intelligi. Illuſt Scaliger, cùm initium LXX hebdomadum duxiſſet à ſecundô annô Darii Nothi; & neceſſe qvoqve haberet dicere,

cere, Chriſtum paſſum poſt LXII hebdomades: miram ῥήσεων inſtituit ϛρεβλὴν. Poſt LXII hebdomades Chriſtum debuiſſe pati, diſertè dicitur ab Angelo. Id igitur non poteſt in dubium vocari. Sed pati etiam debuit poſt VII hebdomades priores. Nam hæ ſexaginta duas præcedunt. Neqve illud ſimpliciter negabitur ab Illuſt. Scaligero. Si autem conjungamus VII hebdomades & LXII hebdomades, fit ſumma CCCCLXXXIII annorum. Et tot igitur inter initium LXX hebdomadum & paſſionem Chriſti interceſſiſſe conſentaneum eſt. At inter ſecundum Darii Nothi, à qvo Scaliger LXX hebdomadum initium duxit, & paſſionem Chriſti non interceſſerunt tot anni. Secundus annus Darii Nothi Scaligero eſt annus periodi Jul. 4290. Annus ϛαυρώσιμον, hoc eſt, qvô Salvator noſter crucifixus eſt, eſt ex ejuſdem Scaligeri mente periodi Jul. annus 4746. Si deducas iſtorum numerorum priorem de poſteriori, apparebit CCCCLVI modò annos relinqvi. Qvid igitur ad hæc Scaliger? Angelum ait non id voluiſſe dicere, Chriſtum paſſurum poſt VII hebdomades & LXII hebdomades, ita ut ubi finis eſt VII hebdomadum, ibi initium ſit LXII hebdomadum; ſed interrupta eſſe hæc intervalla. Ipſa ejus verba ſunt in lib. VI. de emend. temp. pag. 607. *Septem reliqvæ ſeptimanæ qvô pertineant, neqve Daniel definivit, neqve ego ſcio. Sed interrupta eſſe hæc intervalla, non continua, & ſuprà demonſtratum eſt, & res ipſa loqvitur. Ab anno per Jul.* 4290. *ad an-*

num

num Memoris anni ſunt XXIII, qvi ſunt longè minores VII hebdomadibus, & ipſi non ſunt ſeptenarii. Ego non dubito eos 49. *vacare, hoc eſt, non habere epocham, ad qvam referantur.*

XXVI. Mira res eſt, ſummum Virum potuiſſe ſuſtinere tam ridiculè explicare Scripturas? Ipſe fatetur ſe neſcire, qvò VII hebdomades pertineant. Qvoniam vidit, ἀδύνατον τοῦτο συμβαίνειν, ſi ſuam de LXX hebdomadum initio ac fine ſententiam teneret, debuiſſet propter illud ſententiam iſtam prorſus abjicere. At hoc noluit. Verè iſtuc eſt τὴν θέσιν διαφυλάττειν. Sanè ſatis clarè pronunciavit Angelus, *ab exitu* verbi de Hieroſolymis reparandis *uſqve ad Meſſiam Ducem*, fluxuras eſſe *VII hebdomadas & LXII hebdomadas.* Ex qvibus qvivis, qvi non velit θέσιν διαφυλάττειν, facilè collegerit, tot annos, qvot ex iſtis hebdomadibus ſimul ſumptis confici poſſunt, inde *ab exitu verbi ad Chriſtum Ducem* fluxuras eſſe, hoc eſt CCCCLXXXIII. Si ſeorſim putes iſtas hebdomades, VII inqvam, & deinde LXII, dicaſqve ab exitu verbi uſqve ad Chriſtum fluxiſſe VII modò hebdomades: falſiſſimum id erit ex ipſius Scaligeri ſententiâ. Si item dicas LXII hebdomades fuiſſe inter duos iſtos terminos, itidem dices falſum ex ipſius Scaligeri ſententiâ. Nam à ſecundô Darii Nothi, qvô ipſe credit verbum iſtuc exiſſe, ad Chriſtum Ducem, hoc eſt ad illud tempus, qvô miniſterium ſuum exorſus eſt, ipſe Scaliger annos numerabit non minùs 452. At LXII hebdomades annorum

confi-

ciunt annos modò 434. Sed de cetero qvoqve non poſſunt ſimul conſiſtere, ab exitu verbi uſqve ad Chriſtum eſſe modò VII hebdomades; & deinde alterum, ab eodem exitu uſqve ad Chriſtum eſſe LXII hebdomades. Illuſt. Scaliger, ubi exponit vaticinium Angeli, hoc eſt, in lib. VI. de emend. temporum, pag. 604. & ſeqq. iſta verba, qvæ nos nunc conſideramus, minimè excutit. Tantùm de ῥήσει להשיב ולבנות qvædam diſſerit. Ipſam totam enunciationem, *ab exitu verbi de reparandis Hieroſolymis uſqve ad Chriſtum Ducem ſunt VII hebdomades & LXII hebdomades*, prorſus præterit, & dilabitur mox ad alia qvædam. Diſſerit qvidem de intervallô LXII hebdomadum, tùm, cùm conſiderat hæc verba, *poſt LXII hebdomades exſcindetur Chriſtus*, qvæ paulò pòſt ſeqvuntur: dicitqve LXX hebdomades retrò numerandas eſſe à paſſione Chriſti uſqve ad annum qvintum Artaxerxis Mnemonis. Hôc enim annô Artaxerxem iſtum dediſſe reſcriptum illud, juxta qvod poſtea Eſras annô ſeptimô ejuſdem Regis in Palæſtinam migraverit. Sed hæc qvoqve nimis ἁπλῶς ſcripſit Vir ſummus. Verba iſta, *poſt LXII hebdomades occidetur Meſſias*, pronunciavit Angelus ad Danielem, ut hunc doceret. An igitur veriſimile eſt, Angelum id voluiſſe, ut Daniel retrò numeraret, & annos retexeret? Annon voluit terminum nominare, *à qvo* numeratio deberet inſtitui uſqve ad paſſionem Chriſti? Si hoc voluiſſet, qvod Scaliger conjectavit, locutus ſine dubio ita fuiſſet, *ab exitu verbi de revertendo & curando ea, qvæ ad ſacrificia & politiam pertinent*,

nent, uſqve ad illud tempus, qvô Chriſtus exſcindetur, ſunt LXII hebdomades. Non ita ſimpliter dixiſſet, *poſt LXII hebdomades exſcindetur Chriſtus*; niſi putâſſet, ſe initium, unde anni putari debeant, jam deſignâſſe in proximis ſuperioribus; niſiqve LXII hebdomades voluiſſet connexas eſſe cum VII hebdomadibus, ut ubi harum eſt finis, ibi LXII hebdomadum ſit initium.

XXVII. Sed, ut dixi, eam enunciationem Angeli, qvam paulò antè poſui, non ſatis conſideravit Scaliger. In ea manifeſtè ponitur terminus *à qvo*, & terminus *ad qvem*. *Ab exitu verbi*, inqvit, *de reparandis Hieroſolymis* (terminus â qvo) *uſqve ad Chriſtum Ducem* (terminus ad qvem) *ſunt hebdomades VII & hebdomades LXII.* Unicum iſtud pronunciatum proſternendæ Scaligeri ſententiæ abundè ſufficit. Intervalla iſta non poſſunt ſeorſim ſumi, ut facilè intelligitur, & paulò antè eſt expoſitum. Debent igitur conjungi: & ita qvidem, ut, ubi finis eſt priorum VII hebdomadum, ibi initium ſit poſteriorum LXII hebdomadum. Sanè Angelus docere voluit, qvot anni interceſſuri eſſent inter exitum verbi de Hieroſolymis reædificandis, & miniſterii Chriſti initium. Dicit enim: *Ab exitu verbi de Hieroſolymis reædificandis uſqve ad Chriſtum Ducem ſunt VII hebdomades, & LXII hebdomades.* Atqve id tam clarum credo eſſe, ſi modò dicta Angeli oratio mediocri attentione conſideretur, qvàm qvod clariſſimum. Non potuit docere Angelus tali oratione, qvantum intervallum interceſſurum eſſet, nî VII & LXII hebdomades connexæ eſſe putentur. Illuſt.

Scaliger

Scaliger ſcripſit, VII hebdomades, qvæ prior pars ſunt ejus temporis, qvod inde ab exitu verbi de Hieroſolymis reædificandis uſqve ad Chriſtum Ducem exigi debuit, vacare, nec epocham habere, ad qvam referantur. An verò ullâ veriſimilitudine id ſcripſit Vir ſummus? Qvam ineptè fingemus locutum fuiſſe ſanctum Angelum, ſi iſtam conjecturam putabimus rectè ſe habere! Annon cùm ita loqvimur, *ab iſto eventu ad alium qvendam ſunt centum anni*, ſignificare ſolemus, qvantum temporis inter duos eventus interceſſerit? ita qvidem, ut iſtuc temporis intervallum primâ ſui parte primum; poſtremâ alterum eventum attingat. Sanè non aliter intellectus hominum ſuper talia verba ſolet ferri. Sic igitur & Angelus, cùm dixit, *ab exitu verbi* de Hieroſolymis reædificandis *uſqve ad Chriſtum Ducem ſunt VII & LXII hebdomades*, oſtendit duos eventus; qvantúmqve temporis inter iſtos interceſſurum eſſet, apertè exponit: ita qvidem ut tempus illud utrúmqve eventum attingat. Ni hoc ſtatuatur, inepta ſit oratio. Qvis enim diceret, ab uno eventu ad alterum fluxurum certum qvoddam temporis intervallum, qvi idem ex oratione ſuâ nollet id intelligi, intervallum illud utrúmqve eventum attingere? Non igitur vacare poſſunt, & nullam epocham habere VII hebdomades, de qvibus eſt in verbis Angeli apud Danielem. Fuit earum initium tùm, cùm verbum exiit de Hieroſolymis reædificandis. Cum earundem fine connexum fuit initium τῶν LXII. Poſteriores iſtæ extremâ ſui parte attigerunt demum alterum eventum, hoc eſt inaugurationem

Chriſti, ejuſqve miniſterii initium. Potuiſſet Angelus VII & LXII hebdomades in unam ſummam colligere, diceréqve, LXIX hebdomades ab exitu verbi de Hieroſolymis reædificandis uſqve ad Chriſtum Ducem fluxuras eſſe. Qvod cur non fecit; ſed partitus iſtuc intervallum eſt? Cauſam ejus expoſuimus in ſuperioribus; factum nimirum propterea eſſe, qvòd de VII hebdomadibus ſeorſim qvidpiam prædicere vellet, earum puta ſpatiô plateas ordinatum, & urbem cinctum iri mœnibus. Sed hæc fortaſſis expoſita ſunt plus ſatis. Abundè apparet inter illud tempus, qvô verbum exiit de Hieroſolymis reparandis, atqve illud, qvô Chriſtus Dux conſtitutus fuit, debuiſſe intercedere VII & LXII hebdomades annorum, hoc eſt, CCCCLXXXIII annos. Qvos annos, cùm Scaliger non poſſit numerare à ſecundô annô Darii Nothi uſqve ad illud tempus, qvô Chriſtus Dux conſtitutus, & miniſterium ſuum exorſus fuit: opinio ejus de initio hebdomadum in ſecundô annô Darii Nothi ponendo falſa deprehenditur. Finem VII & LXII hebdomadum fuiſſe in eo tempore, qvô Chriſtus Dux conſtitutus, baptizatus & miniſterium ſuum exorſus fuit, de eo dubitari non poteſt. Debent igitur omninò tot anni, qvot VII & LXII hebdomades comprehendunt, hoc eſt, CCCCLXXXIII retrò numerari, ut ad eorundem initium perveniatur. Qvod ubi fiet, non in ſecundô Darii Nothi, ſed in aliqvo, qvi ſecundum iſtum non exiguô intervallô anteceſſit, initium intelligetur ponendum eſſe.

XXVIII. Qvam ſententiam de LXX hebdomadum

madum initio ac fine nobis tenere libeat, leviter ſignificavimus in ſuperioribus. Annon verò Joh. Funccii ſententia putanda eſt rectè ſe habere? Is qvidem putavit, LXX hebdomades cœpiſſe annô ſeptimô Artaxerxis Longimani; deſiiſſe verò tùm, cùm Chriſtus paſſus fuit. Sanè iſta ſententia multò rectiùs ſe habet, qvàm vel Beroaldi, vel Scaligeri; & proximè videtur abeſſe â vero. A ſeptimo Artaxerxis Longimani, prout ex hiſtoriâ profanâ is cognoſci poteſt, uſqve ad paſſionem Chriſti numerari poſſunt LXX hebdomades annorum. Septimô item Artaxerxis Longimani ſcimus ex ſacris eveniſſe memorabile qvippiam in Judæis; permiſiſſe nimirum Regem, ut Eſras cum bene multis in Paleſtinam migraret, & curaret ibi, qvæ ad ſacrificia & politiam pertinebant. Videndum tamen, an ſatis ea congruant verbis Angeli: מן מוצא דבר להשיב ולבנות ירושלם *Ab exitu verbi ad rurſus ædificandum Hieroſolyma uſqve ad Chriſtum Ducem ſunt VII hebdomades & LXII hebdomades: rurſus ædificabitur platea & murus* (ſeptem prioribus hebdomadibus) *& qvidem in anguſtiâ temporum: & poſt LXII hebdomades* (cùm etiam exactæ ampliùs erunt LXII hebdomades) *exſcindetur Chriſtus.* Apparet initium LXX hebdomadum poſitum eſſe in eo tempore, qvô verbum exiturum fuit de Hieroſolymis inſtaurandis, & mœnibus cingendis. An igitur putare licet annô ſeptimô Artaxerxis Longimani permiſſum eſſe ab hoc ipſo Rege, ut Hieroſolyma reædificarentur, & mœnibus cingerentur? Evenit ſanè, uti diximus, ſeptimô annô Artaxerxis, qvô res Hebræorum multò meliùs

cœperunt ſe habere, qvàm habuerant anteà: de qvo legere eſt in ſeptimo cap. Eſræ. Non tamen id exactè congruit ſancti Angeli verbis. Permiſſum Eſræ fuit ſeptimô iſtô annô, ut judices conſtitueret in Palæſtinâ, &, qvæ ad ſacrificia pertinebant, curaret, uti id intelligi licet ex diplomate, qvod in dicto ſeptimo cap. eſt expreſſum. Eo ipſo autem non continuò permiſſum ſimul fuit, ut Hieroſolyma rurſus ædificarentur, ac mœnibus qvidem cingerentur. Sacrificia poterant rectè & magnâ copiâ immolari, tùm qvoqve, cùm urbs mœnibus non eſſet cincta. Judicia item ſatis rectè ſe habere poterant. Qvid qvòd judices non Hieroſolymis modò, ſed in omni Palæſtinâ conſtituere debuit Eſras? Verba diplomatis ſunt cap. VII. v. 25: *Tu autem Eſra ſecundùm ſapientiam DEI tui, qvæ eſt in manu tuâ, conſtitue Judices & Præſides, ut judicent omni populo qvi eſt trans flumen.* Sed & Septuageſimæ, hoc eſt, ultimæ hebdomadi Joh. Funccius non applicat, qvæ ei ſatis congruant. Hebdomadem illam neceſſe eſt ex mente Funccii proximè anteceſſiſſe paſſionem Chriſti. Qvomodo igitur oſtendet ipſe, Chriſtum Judæis confirmâſſe pactum per VII annos, qvi ejus paſſionem anteceſſerint? Qvomodo item oſtendet, in medio ejuſdem hebdomadis ceſſare eum feciſſe hoſtiam & oblationem? Cùm igitur illa ita ſe habeant, nolimus nos cum Joh. Funccio initium LXX hebdomandum à ſeptimô annô Artaxerxis ducere, inqve anno σαυρωσίμῳ eorundem ponere ſinem.

XXIX. Nunc tandem denuò & apertè aſſerimus,

rimus, initium LXX hebdomadum ducendum eſſe à vigeſimô annô Artaxerxis Longimani. Nam iſtô annô ſcimus illud ipſum eveniſſe, â qvo LXX hebdomadum initium ducit Angelus. Tùm, inqvam, verbum exiit להשיב ולבנות *ad revertendum & ædificandum*; hoc eſt, ad rurſus ædificandum Hieroſolyma. Tum שבה ונבנתה *reverſa & ædificata*, hoc eſt, rurſus ædificata eſt platea & murus. Nehemias in libro ſuo cap. II. 1. prodidit, vigeſimô iſtô annô ſe impetrâſſe à Rege, ut liceret ſibi in Palæſtinam ire, & urbem mœnibus curare cingendam: qvod etiam diligenter ipſe curaverit. Cùm Rex permiſit, ut iret, & præterea diploma dedit Nehemiæ, qvod præfectis regiis exhiberet: tum verbum illud exiit de Hieroſolymis reædificandis. Atqve hanc ſententiam de initio LXX hebdomadum tenuit jam ſuô ævô Julius Africanus, laudatus is Chronologus; uti intelligi licet ex Euſebii libro VIII. ἀποδείξ. ἐυαγγ. cap. II, & ex Hieronymi Commentario in cap. IX Danielis. Eandem tenuit etiam Johannes Chryſoſtomus, ut videre eſt ex ejus homilia II. adv. Judæos: itemqve Theodoretus in Comment. IX. cap. Dan. Et tàm in Orientalibus, qvàm Occidentalibus Eccleſiis maximè receptam fuiſſe eam de initio LXX hebdomadum ſententiam, ex Venerabili Bedâ, Zonarâ & Cedreno conſtat. Noſtris temporibus eam tenere libuit Melanchthoni, Foxio, Pinto, Petavio, Lydiato, & nuperrimè Viro Cl. noſtróqve amico, Wilh. Langio, in eximio de annis Chriſti opere. Certum omnino eſt LXX anno-

 rum

rum initium fuiſſe in vigeſimô annô Artaxerxis Longimani. Expendamus autem, in qvo tempore eorundem finis putandus ſit fuiſſe. Attendendum imprimis eſt ad hanc Angeli orationem, *Ab exitu verbi de reædificandis Hieroſolymis usqve ad Chriſtum Ducem ſunt VII hebdomades, & LXII hebdomades* annorum. In his habentur duo termini alicujus intervalli. De priori jam ſatis conſtare poteſt. Poſteriorem autem in qvo tempore putabimus eſſe? *Usqve ad Chriſtum Ducem*, ait Angelus. Hoc non aliter poteſt intelligi, qvàm finem futurum fuiſſe in tali tempore, qvô Chriſtus Dux eſſet. Qvando igitur Dux fuit? Sanè jam primô conceptionis momentô infinitis donis præditus fuit Salvator noſter. Ut Ducem tamen non antè ſe geſſit, qvàm cœlitus de ipſo pronunciatum eſſet: ȣ̃τός ἐςιν ὁ ὑιός μȣ ὁ ἀγαπητός. Anteà ſibi vixerat Salvator, nec populum docuerat, aut miracula patraverat. Cùm duodecim annos natus, Hieroſolyma iviſſet unà cum parentibus ſuis, pauló poſt Nazaretham rediit καὶ ὑποτάσσετο τοῖς αὐτȣ̃ γονεῦσιν; ut ex cap. II. Lucæ v. 51. conſtat. Deſignari verò per iſta verba, *usqve ad Chriſtum Ducem*, ea tempora, qvibus Chriſtus docere & miracula patrare cœpit, ſatis etiam eô firmatur, qvòd in ſeptuageſimam, hoc eſt, ultimam hebdomadem, qvam Angelus à ceteris ſeparavit & ſeorſim poſuit, idem talia confert, qvæ nos ſcimus baptiſmum & inaugurationem Chriſti, atqve adeò ejus miniſterii initium mox fuiſſe ſecuta. Dicit qvidem, Chriſtum confirmaturum pactum multis unâ hebdomade,

made, & in mediâ eâdem hebdomade ceſſare ſive qvieſcere eum facturum hoſtiam & oblationem. Hæc optimè competunt, ut facile intelligitur, in ea tempora, qvæ baptiſmum Chriſti, ejuſqve inaugurationem mox ſunt ſecuta. His nimirum Chriſtus ipſe docuit & miracula patravit, eoqve multis confirmavit pactum. Cùm verò ipſe mortuus eſſet, reſurrexiſſet, atqve aſcendiſſet in cœlos, aliqvandiu & diſcipuli ſolum Hebræum populum convertere laborârunt. Per *multos* illos, qvibus pactum confirmaturus fuit Chriſtus, intelliguntur utiqve Judæi, qvos Salvator noſter ipſe docuit. Aliis enim non unâ modò hebdomade, ſed per multa ſecula confirmavit pactum. Sed expendamus adhuc impenſiùs eam hebdomadem annorum, qvæ baptiſmum & inaugurationem Chriſti ſecuta fuit: qvam qvidem conſentaneum eſt omnium LXX hebdomadum eſſe poſtremam. Qvæ eam anteceſſerunt, LXIX puta, eas ſeponemus tantiſper.

XXX. An igitur conſtare poteſt ex hiſtoriâ Evangelicâ Salvatorem noſtrum unâ hebdomade annorum multis Hebræis confirmâſſe pactum, hoc eſt, docuiſſe ac convertiſſe eos? Deinde in mediâ illâ hebdomade ceſſare ipſum feciſſe hoſtiam & ſacrificium? Poteſt utiqve, & qvidem ex eo, qvod paſchata, qvæ annis vertentibus redibant Hebræis, diligenter annotârunt ſancti Evangeliſtæ. Cùm Chriſtus baptizatus eſſet ac à Diabolo in deſerto tentatus; allegiſſet item qvoſdam diſcipulos, ac in Galilæâ miracula patrare & docere cœpiſſet: celebratum fuit *primum* Paſcha. Id ſatis clarè annotatum eſt à S. Johan-

 ne

ne cap. II. v. 13. Ἐγγὺς ἦν, inqvit, τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Ἰησοῦς. *Alterum* paſcha annotatum eſt ab eodem Johanne in cap. V. v. 1. Μετὰ ταῦτα, inqvit, ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα. Sed hîc feſti modò mentionem facit S. Johannes: non exſertè novi paſchatis. Conſtat autem plura fuiſſe Hebræorum feſta: & tria qvidem primaria, Paſcha, Pentecoſten, & Scenopegia. Unde igitur colligemus, deſignari à Johanne in dictis verbis novum paſcha? atqve adeò inter prius illud paſcha, & hoc feſtum integrum annum interceſſiſſe? Primò id cogitandum eſt, qvoniam Paſcha eſt feſtum omnium primum, illud κατ' ἀντονομασίαν ſæpe feſtum dici, ut Matth. cap. XXVI. v. 5. & c. XXVII. v. 15. Marc. cap. XV. v. 6. Sed præcipuè hûc valet, qvòd in cap. proximo ſuperiori, hoc eſt, in IV. v. 35. Salvator dixit: Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; *Annon vos dicitis qvatuor adhuc menſes ſunt: tum meſſis aderit?* Hæc utiqve dixit Salvator pòſt primum paſcha, qvippe de qvo eſt in II. capite. Cùm autem diceret, qvatuor adhuc menſes ſupererant uſqve ad meſſem, hoc eſt, ad illud tempus, qvod tùm futurum paſcha intervallô haud longô ſecuturum erat. Meſſis fiebat menſe אִיָּר *Ijar*, qvi noſtro Majo reſpondet. Menſe verò iſtum proximè antecedente, hoc eſt, Niſan Paſcha celebrabatur. Ad iſtum igitur menſem Ijar, tùm, cùm

Chriſtus ea loqveretur, qvatuor menſes adhuc ſupererant. Ex qvo intelligitur, locutum ipſum fuiſſe menſe Tebeth. Et majora feſta iſtius anni, Pentecoſten & Scenopegia, jam ante fuiſſe acta: neqve igitur de uno illorum intelligi poſſe, qvæ in cap. V. ſeqventi de feſto Judæorum ſeqvuntur. Inter menſem Tebeth & Ijar non fuit aliud feſtum, qvod qvidem magnum eſſet, & propter qvod Hieroſolymis comparere oporteret, qvàm feſtum Paſcha. Et hoc igitur deſignatum fuerit à D. Johanne. Perinde tamen nobis eſt, ſive Paſcha, ſive aliud magnorum feſtorum intelligatur; modò certum maneat, fuiſſe feſtum alterius anni, qvod ſanè conſentaneum eſt. Scimus obverti his à Viris doctis nonnulla; ſed qvæ minùs ſint ſolida. Qvidam exiſtimant, in cap. V. Johannis intelligi poſſe Encænia, qvæ fine ejusdem illius anni acta fuerint, ad qvem pertinuit Paſcha primum. Sed parum id conſentaneum videtur eſſe: propterea qvòd verba D. Johannis ita habent: Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα. Apparet nimirum ex his, feſtum fuiſſe iſtiuſmodi, propter qvod Hieroſolymis coram Domino oporteret comparere; hoc eſt, trium magnorum unum. Cogitata etiam qvædam alia ſunt Joh. Maldonato, qvibus noſtram ſententiam refelleret; iſta verba puta, qvæ Joh. IV. habentur, Οὐχ ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, habere παροιμιῶδές τι, neqve igitur ex illis poſſe colligi, qvod nos volebamus. Sed qvibus probaret conjecturam ſuam, Vir doctiſſimus mini-

mè habuit. Deinde ſuperfuiſſe omnino qvatuor menſes ad meſſem, cùm Chriſtus ea loqveretur, *ϲυνάφεια* verborum ſatis oſtendit. Ceterùm de feſto Paſchatos agi, in cap. V. Johannis, Grotius, Brochmannus & alii putant animadvertiſſe jam olim S. Irenæum, idqve ex ejus lib. II. adv. hær. cap. XXXIX. apparere. Sic mira *παϱάϐλεψις* fuiſſet ſancti Patris, qvòd cùm in iſto loco paſchata enumerare inſtituiſſet, ejus paſchatis, qvod nunc monſtrabimus, nullam feciſſet mentionem. Certè tria modò paſchata Irenæus enumeravit in univerſum.

XXXI. *Tertium* Paſcha diſertè nominatur à S. Johanne in cap. VI. verſ. 4. ἦν δὲ ἐγγὺς, inqvit iterum, τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ιυδαίων. *Qvartum* Paſcha ſatis qvoqve diſertè in Scripturis traditur; & illud eſt, circa qvod Chriſtus paſſus fuit, cujuſqve in Johannis cap. XI. & XIII. itemqve alibi fit mentio. Qvatuor iſta paſchata comprehendunt omnino tres integros annos. Et per hos Salvator noſter ſine dubio in Palæſtinâ ipſe docuit, atqve ita multis pactum confirmavit. Sed & ante illud Paſcha, qvod omnium primum fuit, eôdem docendi more aliqvandiu jam uſus fuerat. Certè miraculum illud Canæ Galilæorum patratum, de qvo in cap. II. Joh. legimus, ante primum Paſcha factum fuit, ut ex eodem capite intelligi licet. Ita igitur tres ampliùs annos habemus, hoc eſt, dimidiam ferè hebdomadem annorum, qvâ Salvator noſter Hebræis pactum confirmavit. Sed addendus fortaſſe adhuc unus annus eſt; qvem

Viri

Viri docti colligunt ex Matth. cap. XII. v. 1. & Luc. VI. capite v. 1. Matthæus ſcribit, Chriſtum τοῖς σάββασι πορευθῆναι διὰ τῶν σπορίμων. Lucas verò idem habet, & tempus qvoqve deſcribit accuratiùs. Dicit enim factum fuiſſe ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. De vocabulo δευτερόπρωτον multùm diſqviſitum fuerat, cùm Illuſt. Scaliger egregiam planè de eo conjecturam prodidit; deſignatum nimirum eſſe â Lucâ illud Sabbatum, qvod Paſcha proximè ſecutum fuit. Sabbatum igitur dictum eſſe δευτερόπρωτον, qvod primum eſſet ממחרת הפסח ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα. Conjecturam iſtam excitavit, qvòd ſcire licet, à ſecundâ paſchatis ſeptem hebdomadas putandas fuiſſe uſqve ad alterum magnum feſtum, qvod πεντηκοστὴ vocatur Helleniſtis. Vide Lev. XXIII. 15. Ità igitur Sabbatum, qvod poſt ſecundum diem Paſchatis ſive Azymorum primum fuit, dictum fuit δευτερόπρωτον: qvod poſt eundem diem ſecundum fuit, δευτεροδεύτερον: qvod tertium, δευτερότριτον. Non ſumus neſcii, eſſe & alias conjecturas de iſta voce proditas ab H. Grotio, L. Capello, Lud. de Dieu, Conſt. l'Empereur, ac aliis. Sed eæ non perinde nobis placent, ut Joſephi Scaligeri ſententia. Si verò maximè non additum eſſet à Lucâ, Sabbatum illud, qvô Chriſtus per ſata ivit cum diſcipulis, fuiſſe δευτερόπρωτον: ſatis tamen intelligi liceret, ambulationem iſtam factam fuiſſe circa Paſcha, & feſtum illud paulò antè fuiſſe agitatum. Tantùm illud dubium eſſe poteſt, annon

non iſtuc Paſcha unum ſit eorum qvatuor, qvæ in hiſtoria S. Johannis ordine ſunt annotata. Certè Helvicus & Calviſius, qvi & ipſi qvinqve paſchata numerant, unum autem ex Luc. c. IX. v. 51. ſe elicere poſſe putant, Sabbatum δευτεϱόπϱωτον, de qvo eſt in Luc. VI. ſtatuunt, jam tum ante tertium, breviqve poſt ſecundum paſcha fuiſſe. Illuſt. Scaliger verò, & qvi hunc ſeqvuntur, putant, illa, qvæ in Luc. VI. de Sabbato δευτεϱοπϱώτω habentur, deſignare Paſcha tertium, qvod duo illa paſchata, qvæ in Joh. V. & VI. capp. monſtravimus, interceſſerit. Vide lib. VI. de emend. temp. pag. 557. Paſcha illud, cujus indicium eſt in Luc. VI. cap. non eſſe idem cum illo, de qvo eſt in Joh. VI, ſed fuiſſe ante hoc, videtur oſtendi poſſe ex eo, qvòd miraculum qvinqve panibus patratum â Johanne proditum eſt ante feſtum illud, cujus in VI. ejus cap. fit mentio, fuiſſe factum; idem verò ab omnibus ceteris Evangeliſtis deſcriptum reperimus poſt paſcha illud, qvod in VI. Lucæ deſignatur. De ipſo miraculo legimus in Matth. c. XIV. Marc. VI. & Luc. IX. Dictum autem paſcha deſignatur in capp. ſuperioribus, Matthæi qvidem XII; Marci II; Lucæ ſextô. An verò cum ſecundo illorum feſtorum, qvæ à Joh. memorantur, componemus illud, de qvo eſt in Luc. VI? Sanè nihil videtur vetare, qvò minùs ita faciamus. Imò faciendum ita eſſe, docuerunt ac demonſtrârunt Clariſſimi Viri, Chemnitius, Baronius, Torniellus, plurimiqve alii. Alii Paſcha aliqvod, qvod Chriſtus celebrârit, colli-

colligunt ex aliis locis. Helvicus & Calviſius qvidem ex Luc. IX. cap. Molinæus in Vate pag. 370. ex Joh. XIII. Sed nec hi videntur in iſtis locis deprehendiſſe, unde colligere rectè poſſint, paſchata iſta diverſa eſſe ab his, qvæ nos recenſuimus.

XXXII. Placet adhuc eorum ſententia, qvi qvatuor paſchata ex Evangeliſtis colligunt, Chriſtúmqve tres integros annos & pauló ampliùs docuiſſe putant. Id veró apprimè congruit ei, qvod S. Angelus apud Danielem docet. Chriſtum multis confirmaturum eſſe pactum hebdomade unâ: in mediâ veró eâdem hebdomade ceſſare facturum hoſtiam & ſacrificium. Parum ſanè abeſt, qvin ipſum dimidium elapſum fuerit ejus hebdomadis annorum, qvâ multis confirmavit pactum, cùm Chriſtus ipſe προσφορὰ καὶ θυσία factus, ceſſare fecit hoſtiam & ſacrificium. Vide planè in hanc ſententiam ſcribentem Euſebium lib. VIII. ἀποδείξ. cap. II. Sed non ipſe Chriſtus per integram hebdomadem in Palæſtinâ docuit, ac Hebræis pactum confirmavit. Unum ejus hebdomadis dimidium fuit ante paſſionem Chriſti. Atqve illius ſpatiô Chriſtus ipſe docuit. Alterum dimidium fuit poſt ejus paſſionem. Qvô pertinet, qvòd Apoſtoli poſt paſſionem, reſurrectionem & aſcenſionem Chriſti non illico qvosvis populos docuerunt; ſed aliqvanto tempore ſolos admiſerunt Judæos. Qvò & viſio pertinet, qvæ Petro obtigit Actor. X. Ceterùm, ſi maximè paſchata non annotata eſſent ab Evangeliſtis, neqve ex his ſciri poſſet, Chriſtum pluribus annis ipſum docuiſſe: tamen vaticinium An-

 geli,

geli, qvod apud Danielem eſt, ſatis docere nos poſſet, Chriſtum unô annô ampliùs docuiſſe & miracula feciſſe; & falſam igitur eſſe ſententiam qvorundam Veterum, Tatiani, Tertulliani, Clementis Alexandrini.

XXXIII. Satis apparet, ultimam hebdomadem non competere in ulla tempora commodiùs, qvàm in ea, qvibus Salvator noſter in his terris ipſe docuit. Id qvoque ſatis intelligi poteſt, earum hebdomadum, qvæ ultimam præceſſerunt, nimirum τῶν LXIX, finem fuiſſe in illo tempore, qvô Chriſtus miniſterium ſuum exorſus & Dux conſtitutus fuit. Sed & illud oſtendimus ſuprà, earundem LXIX hebdomadum initium tùm fuiſſe, cùm Artaxerxes Longimanus permiſit Nehemiæ, ut in Palæſtinam migraret, & urbem mœnibus cingeret, hoc eſt, in anno ejuſdem Regis vigeſimo. Nunc diſpiciendum nobis eſt, an, ſi profanam hiſtoriam conferamus, à vigeſimô annô Artaxerxis ad illud tempus, qvô Chriſtus Dux conſtitutus, & miniſterium ſuum exorſus fuit, CCCCXXXIII annos numerare qveamus. Iſte igitur Artaxerxes regnare cœpit annô I. Olymp. Archonte Athenis Archimenide, ut Diodorus Siculus annotavit in lib. XI. Bibliothecæ. Ex qvo intelligitur regnare eum cœpiſſe annô periodi Jul. 4250. Porrò vigeſimus annus ejuſdem Regis conferendus eſt cum anno per. Jul. 4269. An verò in iſtô annô initium LXIX hebdomadum putabimus eſſe? Sed de fine qvoqve antè iterum eſt diſpiciendum. Is in eo tempore fuit ſine dubio, qvô Chriſtus miniſterium ſuum exorſus fuit, ut non ſemel eſt dictum. De iſto autem miniſterii Chriſti

Chriſti initio S. Lucas prodidit in cap. tertio. Primò ſcribit, annô XV Tiberii Cæſaris Johannem Baptiſtam cœpiſſe prædicare de baptiſmo pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Deinde in v. 21. addit, cùm omnis populus ſe præbuit baptizandum, tùm Chriſtum qvoqve fuiſſe baptizatum, dumqve id factum ſit, Spiritum S. corporali ſpecie, ut columbam, deſcendiſſe ſuper ipſum, & cœlitùs pronunciatum fuiſſe: Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ εὐδόκησα. Apparet item ex Evangeliſtis Chriſtum ſtatim poſt baptiſmum per Johannis teſtimonium pro Meſſiâ habitum, & mox qvoqve cœpiſſe agere, qvæ ad docendum & novum pactum confirmandum pertinebant. Eâ de re in Actis Apoſt. c. I. v. 22. hæc ſunt: ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, ἕως τῆς ἡμέρας, ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν. Itemqve in c. X. verſ. 37. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, μετὰ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐκήρυξεν ὁ Ἰωάννης. Sic & Lucas, cùm in c. III. Evang. de initio prædicationis S. Johannis, itemqve de baptiſmo & inauguratione Chriſti ſcripſiſſet, nullis interjectis mox hæc ſubdit verſ. 23: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ. Qvæ ita vertimus, & explicamus: *Et ipſe JESUS erat annorum circiter triginta cum inciperet* prædicare, *qvi erat, ut putabatur, filius Joſephi.* Nimirum τὸ ἀρχόμενος referimus cùm Juſtino & Orig. ad initium miniſterii Chriſti.

XXXIV. Id nunc præcipuè eſt obſervandum, qvòd Lucas prodidit, Johannem Baptiſtam bapti-

zare cœpiſſe annô XV Tiberii, & mox qvoqve Chriſtum fuiſſe baptizatum, déqve eo cœlitùs prônunciatum, per qvod Dux conſtitutus eſſe videri omnino poteſt. Porrò autem, ut conſtare poſſit, qvantô intervallô annus XV Tiberii diſtet à vigeſimo Artaxerxis Longimani, referamus & iſtum ad periodum Julianam. Referendus omnino eſt ad annum ejus periodi 4742, qvô Coſſ. fuerunt C. Rubellius Geminus & C. Fuſius Geminus. Si nunc deducas annos per. Jul. 4269. cum qvorum ultimo Artaxerxis L. vigeſimum paulò ante conferebamus, de annis ejuſdem per. 4742: apparebit, an numerari poſſint à vigeſimo Artaxerxis L. ad decimum qvintum Tiberii LXIX hebdomades annorum, h. e. CCCCLXXXIII anni. Relinqventur CCCC modò & LXXIII anni. Qvibus ſi addas ipſum vigeſimum Artaxerxis, ultimum eorum, qvi deducebantur, fit ſumma CCCCLXXIV annorum. At ſumma debebat eſſe CCCCLXXXIII annorum: qvæ ſanè ita non exiit. Hîc ante omnia recogitandum eſt, & Beroaldi, & Funccii, & Scaligeri ſententiam de initio LXX hebdomadum planè non poſſe conſiſtere, uti id ſuprà eſt demonſtratum. Deinde ſcimus, vigeſimô annô Artaxerxis L. qvippiam eſſe factum, qvod initio LXX hebdomadum, vel ſi poſtremam tantiſper demamus, initio LXIX hebdomadum optimè congruit. Terminus item, in qvo finem poſuimus LXIX hebdomadum, nimirum tempus illud, qvô Chriſtus baptizatus, & Dux conſtitutus fuit, perqvàm eſt commodus. Si igitur maximè deprehendamus, à vigeſimo Artaxerxis, prout is à Diodoro & aliis eſt annotatus, ad decimum qvintum Tiberii,

berii, qvô Chriſtus Dux conſtitutus fuit, non poſſe exactè numerari LXIX hebdomades ſive CCCCLXXXIII annos; ſed paulò pauciores, CCCCLXXIV nimirum: tamen non propterea fas eſt turbari, & demonſtratos terminos illicò abjicere. Qvia videmus, cetera omnia ſatis rectè ſe habere, cogitandum ultro fuerit, annon rationem invenire qveamus, qvâ fiat, ut à vigeſimô annô Artaxerxis Longimani ad decimum qvintum Tiberii CCCCLXXXIII anni numerari poſſint. Olim Julius Africanus conjecturam fecit, Lunares annos intelligendos eſſe; non Solares. Ipſa ejus verba, ex qvinto ejus libro de tempore excerpta, ſervavit Euſebius lib. VIII. Ἀποδείξεως ἐυαγγ. c. II. & S. Hieronymus Comm. in c. IX Danielis. Non tamen placere nobis poteſt Julii Africani conſilium. Non negandum qvidem eſt, Hebræos Lunaribus annis fuiſſe uſos. Si tamen integra annorum ſeries contexenda eſſet, Lunares in Solares neceſſe fuit redigere per intercalationem. Eſt verò & aliud, propter qvod Julii Africani conjectura nobis non placet. Putavit ipſe rationem ſibi inqvirendam eſſe, qvâ CCCCXC annos numerare poſſet à vigeſimô annô Artaxerxis ad decimum qvintum Tiberii. Atqve in eo ipſum ratio fugit. Non enim CCCCXC opus habemus numerare à vigeſimô annô Artaxerxis ad decimum qvintum Tiberii; ſed modò CCCCLXXXIII. S. Angeli verba ſunt: *Ab exitu verbi de Hieroſolymis reædificandis* (à vigeſimô annô Artaxerxis Longimani) *uſqve ad Chriſtum Ducem* (uſqve ad illud tempus, qvô Chriſtus Dux conſtituetur, annum puta decimum qvintum Tiberii) *ſunt VII hebdomades & LXII*

hebdomades. Enimverò in his S. Angelus non illud dicit, hebdomadas LXX, hoc eſt, CCCCXC annos numerandos eſſe; ſed modò VII & LXII ſive LXIX hebdomades, hoc eſt, CCCCLXXXIII annos.

XXXV. Aliâ igitur omnino aggrediendum fuerit viâ. Novimus talem, qvæ commoda ſit. Aſſerimus igitur cum Dionyſio Petavio ac aliis, Artaxerxis Longimani duplex fuiſſe initium: unum, qvod ſuprà diximus fuiſſe in anno primo Olymp. LXXIX, hoc eſt, periodi Julianæ 4750, idqve à Diodoro Siculo annotatum; alterum aliqvot annis fuiſſe prius, qvô Artaxerxes cœperit unà cum patre ſuo Xerxe regnare, ſive qvo deſtinatus regno fuerit à Patre. Porrò vigeſimum annum Artaxerxis, cujus Nehemias meminit, numerandum eſſe non ab eo initio, qvod Diodorus annotavit; ſed ab altero illô. Sacras Scripturas annos Regum numerare à tali tempore, qvô unà cum patribus cœperunt regnare, non ſanè eſt inſolens. Poteſt id cuivis libros Regum legenti eſſe obvium. Deinde Artaxerxem aliqvot annis cum patre regnâſſe, ſive aliqvot annis ante cædem patris ſui regno fuiſſe deſtinatum, ejus rei conjiciendæ ἀφορμὴν habemus non prorſus nullam. Herodotus in principio Polymniæ prodidit, duos filios Darii Hyſtaſpis, Artabazanem & Xerxem, patre adhuc ſuperſtite, contendiſſe de regno: Xerxem qvamvis minor natu eſſet, prælatum tamen fuiſſe alteri, qvòd ipſe Dariô natus eſſet rege, & Perſarum imperium jam obtinente. Ut igitur Xerxes qvamvis natu minor, â patre, adhuc ſuperſtite, Rex appellatus fuit; ita Artaxerxem Longimanum putamus à ſuo patre

Xerxe,

Xerxe, appellatum fuiſſe Regem: & prælatum fuiſſe fratri ſuo Dario τῷ πρεσβυτάτῳ, qvòd iſte Xerxe jam rege; hic adhuc privato eſſet genitus, ut ex Herodoto videtur conjici poſſe. Hûc omnino pertinet, qvòd Diodorus Siculus in lib. XI. Bibliothecæ de Artabano prodidit, hunc, cùm Regem intereniiſſet, ac apud Artaxerxem ejus filium de Regis cæde diſſereret, alterum Regis filium Darium parricidii & attentati regni detuliſſe reum. Ἔφησε, inqvit, Δαρεῖον φονέα γενέσθαι τοῦ πατρὸς, καὶ τὴν βασιλείαν εἰς ἑαυτὸν περισπᾶν. συνεβούλευεν οὖν αὐτῷ περὶ τοῦ καταςχεῖν ἐκεῖνον τὴν ἀρχὴν, σκοπεῖν, ὅπως μὴ δουλεύσῃ διὰ ῥαθυμίαν, ἀλλὰ βασιλεύσῃ. *Dixit* (Artabanus) *Darium interfectorem exſtitiſſe patris ſui & regnum voluiſſe ad ſe pertrahere. Conſilium igitur ipſi* (Artaxerxi) *dedit, ut, anteqvàm ille imperium occuparet, diſpiceret, qvâ ratione non ſerviret per ſocordiam, ſed regnaret.* Conatus fuit Artabanus Darium falsô crimine in invidiam adducere apud Artaxerxem; qvòd nimirum voluiſſet regnum nihil ad ſe pertinens, & fratri Artaxerxi, ut videtur, deſtinatum ad ſe rapere. Hortatus item fuit Artaxerxem, ut ne jugum ſibi pateretur imponi, regnúmqve ſibi deſtinatum â Dario occupari; ſed id ageret, ut imperium ipſe tractaret & de fratre ſumeret ſupplicium. Fictum crimen ſpeciem veri videtur habere potuiſſe ex eo, qvòd Darius fratri eſſet poſthabitus, atqve id iniqvô ferret animô. Dionyſius Petavius duplex Artaxerxis Longimani initium aliâ ratione conatus eſt confirmare; eô nimirum, qvòd Themiſtoclis fuga ex Græciâ & in

Perſiam adventus à Diodoro in annum II Olymp. LXXVII conjicitur, qvi Xerxis cædem ſeptem annis anteceſſit; idem verò Themiſtocles juxta Thucydidis narrationem ad Artaxerxem tùm literas dedit νεωστὶ βασιλεύοντα. Ita nimirum colligit: Si Themiſtocles in Perſiam venit ad Xerxem ſeptem annis ante hujus cædem; & idem qvoqve ad Artaxerxem tùm literas dedit, νεωστὶ βασιλεύοντα, *qui nuper regnare cœperat*: utiqve Artaxerxes ſeptem annis & ampliùs unà cum patre ſuo imperium tractavit. Si igitur decem annis ſtatuamus Artaxerxem unà cum patre regnâſſe, & qvadraginta ampliùs poſt patris cædem: fiet, ut à vigeſimô annô Artaxerxis, ad decimum qvintum Tiberii CCCCLXXXIII annos numerare qveamus. Annus iſte, qvô Artaxerxes ſolus regnare cœpit, eſt per. Jul. 4250. Si igitur decem annis regnavit cum patre & ante patris cædem; fuit alterum ejus initium in anno perriodi Julianæ 4240. Et annus ab altero iſto initio vigeſimus, eſt per. Jul. 4259. Sic igitur à vigeſimô annô Artaxerxis ad decimum qvintum Tiberii commodè numerari poterunt VII & LXII hebdomades annorum, hoc eſt, anni 483. Si enim deducantur 4259. de 4742, relinqventur ipſi 483 anni. Καὶ τὸ μὲν ἔδει δεῖξαι.

Τῷ μακαρίῳ καὶ μόνῳ δυνάστῃ δόξα.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

ABbreviare. 897
Abrahami nummus qvalis. 172. 174
confictus. 174
Abſolonis nummi ficti. 179
Abſolonis capilli pondus ignoratur. 222
qvale juxta LXX. 234
Abſolvere poteſt, qvi condemnare poteſt. 604. ſ. 683
Abſtractum pro concreto. 898
Acetabulum qvod? 340
Aceti vas ad qvid poſitum prope crucem Chriſti? 623. ſ.
Acetum in potu. 623 689. ſ.
Achane qvid? 340
Adagia ſua ſibi propria unaqvæqve lingva habet. 479. Qvi auctores ſcripſerint? 478
Sunt vel integræ enunciationes, vel phraſes nihil enunciantes. 482. ſ.
Adar menſem fuiſſe intercalatum, fingunt Rabbini. 301. *ll. mm.*
Adminiſtratio recta qvid Reip. conferat. 236
Ægypti poſtremi reges & anni regni. 758
Ægyptus deſpoticè gubernata. 292. ſ.
Æneos cudere nummos Salomonis opulentiæ non repugnaret. 145
eos in uſu fuiſſe Judæis veteribus, nullo probabili indicio poteſt negari. 202
Æra Nabonazarea. 715. ſ.
Ærei nummi, ſuperſtites debentur Haſmonæis. 120. ἄσημοι, aut appenſi nuſqvam leguntur. 167. præ argenteis & aureis

 non

non ferunt ætatem. 197. conf. 202. 207
Æreis nummis ſicli nomen olim non inſcriptum. 116
Æreus nummus τετραδραχμος. 116. qvænam in illo figura. 117. Villalpandi examinatur. 203. ſ. 207
Æris gravis qvadrans, qvalem habet imaginem. 197
Æruſcatorum fraus ſemper & ubiqve fuit. 214. 223
Æs grave qvamdiu apud Romanos manſerit in uſu, 197. Qvando primum ſignari cœptum. 314
Æſymneticum regnum qvale. 290
Affectuum, qvæ vis in animis. 148. 192
Affixum poſſeſſivum & reciprocum adhæret nomini recto, cùm tamen vis ejus pertineat ad regens. 893 adhæret qvandoqve & regenti. 899
Agricola (Georg.) laudatur & rejicitur in nonnullis. 306. ſ.
Ahaſverus & Artachſaſtha qvorum mentio fit in cap. IV. Eſther ponendi ſunt ante Darium ibidem memoratum, 814. ſ. Ahaſverus in Eſræ cap. IV. non eſt Xerxes. 813. ſ. 818. ſ. ſed cambyſes, 819. Ahaſverus in libro Eſther eſt Xerxes. 817. ſ.
Alapis ſervi caſtigati, & manumiſſi. 585. ſ. 659
Aleph Samaritanum qvare in genuinis Ebræor. ſiclis ſuper urnam mannæ conſpiciatur, variæ variorum conjecturæ. 212 refelluntur. 213. 214 auctoris ſententia. 216
Aliorum peccata ſtatim, noſtra non item videmus. 523
Alſtedii error de LXX annis vaſtitatis Hieroſolymorum. 825. alius ejus error. 718
Ama-

Amama refutatur. 209. 210
Amici Imperatorum Præſides dicebantur. 605. 683. ſ.
Amphora qvia continuerit. 308. ſ. 338. 423. ſ.
Amygdalifera virga Aaronis fortè ex Babylone rediit. 199. qvare in ſiclis templi ſecundi. 199. ſ. olim prope arcam aſſervata. *ibid.*
Ancus Marcius in Rom. nummis conſularibus conſpicitur. 197
Animantium imagines qvando & qvare primùm à Judæis damnati. 129
Anni Jubilæi tractationem promittit Auctor. 301. *nn.*
Anni Sabbatici initium præbuiſſe menſem Tiſri, probatur. 301. *x. ll. mm.* argumenta contraria refutantur. 301. *hh. mm.*
Anni varietas. 450
Annus qvid? 447. qvotuplex? 448
Annus civilis & ſacer apud Ebræos. 301. *x.*
Annus Sabbaticus non fuit, qvô Palæſtina occupata, ſed ab illo ſeptimus. 301. *x.*
Antonii ſuperbia. 148. ſ.
Antonii Auguſtini numiſmata laudantur. 110. 152
Anus ancillæ oſtiariæ ſeu janitrices. 585. 660
Appio Joſephi adverſarius qvàm celebris olim. 274
Aqvilæ in caſtris Romanorum pro diis habitæ. 523. earum ædicula. 924
Aqvimanile inter inſtrumenta Dominicæ paſſionis. 638
Arbacis ſecundùm Cteſiam poteſtas & amplitudo regni. 736
Argentarii homines piſtici. 644
Argenteâ monetâ ſignatâ ante tempora Haſmonæorum non uſi ſunt

ſunt Judæi. 145
162
Argentei ſive ſicli cum Aſſyriacis literis inſcriptis ſuppoſititii. 180. ſ.
Argenteos duos ſiclos conflatos eſſe in aureum, qvomodo intelligendum. 125
Argenteus fuit nummus, qvi Ebræis ſicli nomine venit. 98 à 116. ad 127
Arias Montanus refutatur. 189. & 212. ſ.
Ariſtocratica, qvid ſecundùm Ariſtotelem? 238. 280
Ariſtocraticam formam in populo Judaico ſub judicibus obtinuiſſe, qvi ſtatuant? 272. 277. non obtinuiſſe oſtenditur. 278
Artaba qvid? 340, 390. ſ.
Artachſaſtha in cap. IV. Eſræ non eſt Artaxerxes Longimanus. 814. ſ. 816. ſed Smerdis Magus. 819
Artaxerxes Longimanus non nominatus eſt in Eſræ IV. c. 814. ſ. nominatus eſt in Eſræ VII. c. & in Nehemia 819. 930. fuit Eſtheræ filius. 818. ejus virtutes. *ibid.* ejus duplex initium regni. 954. 958. Fratri Dario majori natu prælatus. 959. ſ. qvot annis regnaverit? 503
Arundo ſpongiæ adnata. 625
Ἀρχόμενος Luc. III. v. 23. qvid ſignificet? 955
As qvid ſit, & qvàm variè uſurpetur? 313. ſ.
Aſia ſuperior qvæ? 729
in Aſia / in Africa } regna herilia obtinent. 293. ſ.
Aſſyriacæ litteræ poſt tempora Haſmonæorum, imò poſt excidium gentis ad promiſcuum vitæ uſum adhibitæ, 146. 160. ſ. ante Eſdram in communi uſu non fuerunt. 153. ſ.

153. ſ. conſ. 170 neqve Eſdras in profanum uſum eas uſurpavit. 160. conf. 187
Aſſyriaci regni amplitudo ætate Sennacheribi. 730
Aſſyriacis ſeu ſacris litteris monetam aliqvam ſacram fuiſſe ſignatam, fingitur. 170
non Aſſyriacis, ſed Samaritanis fortè litteris in crucis titulo Pilatus eſt uſus. 160. ſ.
Aſſyriacis characteribus inſigniti nummi non ſunt multum vetuſti. 98. ſ. confirmatur hoc. 169. &c. Hottingeri ſententiam. Vide 107. iis ſoli códices ſacri deſcripti. 95. 98. 160. 193.
Aſſyriô an Samaritanô charactere S. Biblia fuerint exarata, contentio inter eruditos non eſt magni momenti. 92. 156. ſ.
Aſſyriorum regnum non everſum fuit â Medis, cùm hi ab Aſſyriis primùm defeciſſent. 728. duravit adhuc temporibus Joſiæ. 718. everſum fuit â Cyaxare Medo annô hujus trigeſimô ſextô. 720. ſ. 757. ſ.
Aſtyages Rex Medorum qvartus. 704. ſ.
Ave qvibus dictum? 600
Aureâ monetâ ſignatâ ante tempora Haſmonæorum non uſi ſunt Judæi. 146. 160. ſ.
Aurei Romani qvi? 336. 337
Aurei ſicli mentio qvando fit in ſacris. 105 qvomodo intelligendum. 124. alia pro illo argumenta refelluntur. 125
Aureus nummus ſicli pondere, adulterinus. 824
Auri ad argentum analogia. 337. ſ.
Aurum varium. 378

B. Baby-

B.

Babylon cur Seſach dicta apud Jeremiam. 862. ſeqq. non per Athbaſch. *ibid.* Non voluit qvidqvam occulere Jeremias, cùm Babylonem Seſach dixit. 864
Babylon à Cyro occupata fuit, cum feſtum agitaretur. 873. ſ. dicta à Jeremiâ illius ipſius feſti nomine, *ibid.* cur, qvâ occaſione. *ibid.*
Babylonis muri. 875 qvô annô cujus Regis Perſarum occupata. 886. qvô anni tempore. 888. ante occupata, qvàm Nabonnedus ſe dederet. 886. de ejus occupatione nihil eſt in qvinto cap. Dan. 877
Babyloniæ Reges recenſentur. 714. poſtremi Reges & eorum anni regni. 774. ſ. 878. ſ.
Babyloniæ Reges, qvi ante Mardokempadum fuerunt, non fuerunt αὐτοτελεῖς. 714
Babyloniæ non partem aliqvam, ſed totam eam fuiſſe in ditione Aſſyriorum, cùm Manaſſes deportatus fuit. 717. 220
Babylonii & Aſſyrii cognatis dialectis & θρησκείαις videntur uſi fuiſſe. 753
Babyloniorum idola. 752. 859. ſ. ex eorum nominibus compoſita nomina virorum, 752. defectionis tempora ab Aſſyriis. 701
Babylonii ante Sennacheribi cladem fuerunt in Aſſyriorum Regis ditione. 714. ſ. poſt eam cladem defecerunt ab Aſſyriis. *ibid.*
Balſami planta, qvando in Palæſtinam introducta. 202
Barbaricum regnum qvale? 290. 293

Bath.

Bath. 411. 412. 421. ſ. 464. ſ.
Bathi partes. 421. ſ.
Βδέλυγμα ἐρημώσεως Matth. XXIV. v. 15. qvid? 921. ſ.
Belli gerendi arbitrium in Rep. Ebræa initiò penes ipſum Deum. 246. deinde penes Reges fuit. 300. *a.*
Bellum indicere eſt Summæ Poteſtatis. 241
Belſazar non eſt Nabonnedus Beroſi. 884 eſt Laboroſoarchodus ejuſdem. 781. 885
Beroaldi Chronographia qvomodo ſe habeat. 760. ejus de præcipuorum hiſtoricorum fide, qvod ad annos Regum Perſiæ, dubitatio. 761. ſ. ejus ſententia de initio & fine LXX annorum captivitatis. 761. ſ. item de initio & fine LXX hebdomadum ſententia. 928. refellitur, *ibid.* 931
Beroſus qvis fuerit, 780 889. ejus libri Chaldaicorum, 856. 889 ejus fragmentum de poſtremis Babyloniæ Regibus, 776. ſ. 879 ejus narratio de Σακέαις feſto Babylonorum. 856
Bertramus notatus. 452
Biblia num fuerunt Aſſyriô, an verò Samaritanô charactere conſcripta, ſcire parum refert. 92
Bibliorum verſiones citatæ LXX, 106. 119 121. 123. 220. 223 266. Arabica, 106 123. Syriaca, 106 124. Vulgata, 106 121. 249. 251. Oſiandri, 249. Pagnini, 123. 266. 294 301. *d.* Leonis Judæ, 249. Vatabli, 249. 263. Tremellii & Junii, 266. Lutheri. 248. ſ. 266
Binomines in ſacris ſcripturis. 833
Bochartus refutatur. 500

Boineburgius laudatus. 89. 94. 99
Brochus qvid? 340
Budæus de Aſſe laudatur & corrigitur. 304. ſ.
Buleutæ Senatores, Decuriones. 650
Buxtorfius laudatus. 185

C.

Cabus qvid? 418. ſ.
Cadus qvid? 341 423. ſ.
Calviſii ἀμάρτημα μνημονικὸν, 758. laudatur & notatur idem Calviſius. 792. ſ.
Canon Mathematicus, 715. ejus variæ editiones. *ibid.* & 777
Cantharus qvid in nummo Ebræo ſignificet. 205. ſ.
Capelli conjectura refellitur. 144. ſ.
Caſaubonus notatur. 301. o.
Caſtigatio fuſtium. 592
Catena, qvid in nummo Ebræo ſignificet. 205. ſ.
de Cenſus numiſmate. 133
Centuriones ſupplicius exigendis præpoſiti. 641. ſ.
Chænix qvid? 341. 405ſ.
Characteres duplices ſacri & profani poſt Eſdram obtinuerunt, 195. ante captivitatem obtinuiſſe, veriſimile eſt. 196
Cherubim imago ignoratur, 132. aſpectus populo negatus. *ibid.*
Chlamys coccinea vel purpurea Chriſto data, qvænam fuerit? 598. ſ.
Choeus & Chus qvid? 343
Chomer & Gomer qvomodo differant, & qvid ſignificent? 460
Chriſtus non per unum modò annum prædicavit, 955. qvatuor paſchata celebravit per miniſterium ſuum 947. ſ. miniſterium ſuum exorſus fuit non diu poſt initium miniſterii Johannis; 956

qvando

qvando Dux declaratus ſecundùm vaticinium Angeli apud Danielem. 913
כנף שקוצים apud Danielem qvid ſignificet. 920. 924
Cippi multi jam conſtructi, qvi ante qvadringentos annos non reperti & qvare? 230
de Cippis Ebræor. ſententia Auctoris, 100. Hottingeri, 108. qvæ traduntur, non merentur fidem. 228. ſ.
ad Civitatem regendam & tuendam, qvæ pertinent. 240. ſ.
Claudia Procula uxor Pilati. 637
Coccineæ veſtes Imperatorum. 598
Coccum & purpura qvandoqve diſtingvitur, qvandoqve confunditur. *ibid.* 665
Cohortem Romanorum unde Judas acceperit? 583
Columna, ad qvam flagellatus fuit Chriſtus, longiórne, an brevior fuerit? 595
Combuſtio genus ſupplicii apud Judæos. 243
Communio virorum & mortuorum in ſepultura. 636
Conflatio idem eſt, qvod permutatio. 125
Congium qvid? 341
Conſulares nummi RomanumQvirinum &c. referunt. 197
Cor, corus qvid? 397. ſ. 459. ſ. dividitur variè, 402. ſ. Ægyptius qvid? 413. ſ.
Corbona ſacer theſaurus. 636
Cornelius Nepos illuſtratur. 415
Corona radiata in divinitatis ſignum inventa. 147
Corona Chriſti è qvibus ſpinis? 596. an fuerit in modum circuli, vel pilei? *ibid.* ex urticis, *ibid.*
Corpora damnatorum ad ſepulturam conceſſa. 629. ſ.
Cotula qvid? 341

Crucem ſuam damnati ferebant, 612. ſ. 666. ſ. ſolus Chriſtus tulit, & Simon qvoqve ſolus tulit. *ibid.*
Cruci erectæ non jacenti Chriſtus adfixus. 613. ſ.
Cruciarii poſt mortem ſervabantur, ne ad ſepulturam detraherentur. 626
Crucifixio non fuit apud Ebræos uſitatum ſupplicium. 243
Crucis titulus fortaſſis Samaritanis, non verò Aſſyriis litteris fuit conſcriptus. 161
Crucis ſuppliciô humiliores puniti, & latrones & ſeditioſi. 586. 609. 613
Crurifragium ê more Romanorum, non Judæorum. 627. 690
Cteſiæ vanitas, & adverſandi cacoëthes, 722. 734. de qvibus præcipuè videatur mentitus, 739. 740 ejus Perſica. 856
Culeus qvid? 344
Cunæus notatus. 286
Cyathus qvid? 341
Cyaxares tertius Medorum rex. 204. ſ. qvô annô regni Ninum exciderit. 721 757. ſ.
Cyri primus annus in regno Babylonico ex menteScaligeri, 745. ſ. ex noſtrâ mente & ex vero, 746. qvæ appellationis ratio. *ibid.*
Cyrus qvando regnum Perſidis ac Mediæ obtinuerit? 707. non tenuit ſecundas partes in expugnatione Babylonis, ſed ſuis ſolius auſpiciis Babylonem expugnavit. 883. ſ.

D.

Daleth non reperitur in nummis genuinis Ebræorum. 213
Damnationis cauſſa in titulo, ſive inſcriptione plurúmqve edebatur. 669
Daricus nummus aureus,

reus, 330. ſ. 126. unde nomen? *ibid.* fuit Sicli pondere, *ibid.* qvô ſenſu à Polluce δίδραχμος vocetur? *ibid.* qvare ſæpius apud Joſephum ejus fiat mentio? *ibid.*

Darii qvot fuerint? 799

Darius in Eſræ IV. cap. eſt Darius Hyſtaſpis; non Nothus. 813. ſ.

Darius Medus eſt Nabonnedus. 782. ſ. 832. ſ.

Davidis nummus qvalis? 172. 173. ſ. confictus. 174. ſ.

Davidis nummus non eſt, cui nonnulli volunt, α & δ eſſe inſcripta. 211. ſ.

Decollatio apud Ebræos fuit in uſu. 243

Decuriones in Provinciis Senatores. 650

Defrutarium qvid? 344

Dejoces primus Medorum Rex. 703. qvâ ratione imperium capeſſiverit? 705. & qvando? *ibid.*

Delicta apud Ebræos qvibus pœnis vindicata. 243

Demenſum qvid? 344

Democratia qvid ſecundùm Ariſtotelem? 239

Denarius qvid valuerit? 315. 319. ſ.

Deportatorum cineres in urbem non relati. 636

Deus moderatur omnes Reſpublicas peculiari autem modô olim Iſraëliticam, 239. habuit τὸ κύριον in Rep. Ebræor. *ibid.* Rex vocatur, 247 fuit Legiſlator, 241 pœnas capitales, & qvas, delictis conſtituit, 243. non definita legibus, rogatus definivit, 244 privilegia conceſſit, 246. arbitrium habuit gerendi belli, *ibid.* Magiſtratus inſtituit, 247. item Reges Ebræorum. 301. ſ.

Δευτερόπρωτον Sabbatum. 951

Dichus qvid? 344
Δίδραχμον qvare pro Siclo ponant LXX. 223. ſ.
Δίδυμος nomen proprium S. Thomæ. 912
Diis à Græcis & Romanis humana: à Syris & Ægyptiis animantium figura tributa. 131
Diodori Siculi vulgaris lectio contra Scaligerum defenſa, 727 ejus in exprimendâ narratione Herodoti παροράματα. 727. ſ.
Dionyſii Halicarnaſſenſis in exprimendâ eadem hiſtoria παροράματα, 727. ſ. encomium. 701. ſ.
Dolium qvid? 344.
Dominatus qvid? 288. ſ. obtinuit in regno Ebræo, 291. in Syria, Ægypto, & tota Aſia, *ibid.* etiam Africa. 293. ſ.
Drachma Attica, 319. ſ. drachmæ Alexandrinæ ſingulæ duas Atticas æqvant. 126
224

E.

Ebræa olim dicta fuit ſcriptura Samaritana, 158. 160 illa poſt Eſdram ſolis Samaritanis relicta non eſt. 188
Ebræorum nummi elegantiam ſingularem non habent. 125
in Ebræorum Republ. ſumma poteſtas fuit penes Deum ipſum. 241
in Ebræorum Republica Legiſlator Deus, 241 qvæ genera pœnarum capitalium? 243. qvæ forma regiminis ſub Moyſe & judicibus, ante Reges? 272. ſ. non fuit Ariſtocratia, 278. ſed, ſi qvidem ſolos homines, non Deum, reſpicias, Monarchia. 281
Ebræorum regnum non fuit legitimum, 294 ſed deſpoticum, 291. ſ. 297. 298. ſ.

volente

volente populô. 295. ſ.
Ebræorum Reges an, & qvatenus legum ferendarum habuerint poteſtatem? 300. ſ. belligerandi poteſtatem habuerunt, 301 pro arbitrio, Magiſtratus & judicia inſtituerunt, 301. a. ipſos non judicâſſe, figmentum eſt Rabbinicum, qvod refellitur, 301. b. ſ. qvâ ratione ad Regiam dignitatem olim evecti? 301. f. ſ. vapulationi fuiſſe obnoxios, fingunt Rabbini. 301. o. ſ.
Ebraicis noſtris characteribus inſigniti nummi non ſunt multùm vetuſti, 97 confirmatur hoc, 169. excipit Hottingerus. 106
Ebraicis noſtris characteribus ſoli ſacri codices ſcripti. 95. 99
Enunciationes κατὰ πλάσιν, 838. differunt ab hypotheticis vulgaribus. *ibid.*
Epha qvid? 405. ſ. 463. ſ.
Epigramma Auctoris in Hottingeri mortem. 91
Eqvinum caput in nummis Carthaginienſibus. 110. 115
Eſdram vetuſtum uſum litterarum Samaritanarum non immutâſſe, & Aſſyrias in uſum profanum adhibuiſſe, 160. ſ. 187 poſt illum duplices characteres, ſacros & profanos obtinuiſſe, 194. ante ipſum veriſimile eſt. 195
Eſræ IV. cap. v. 5. 6. 7. prolixè explicantur & illuſtrantur contra Scaligerum. 808. ſ.
Eſther eſt Amaſtris Herodoti & Cteſiæ. 818
Eugubina tabula ficta. 113
Evilmerodachus qvinqve annos regnavit, 775. ſ. 782. qvâ ratione perierit. 775

F.

FEſta agitantes oppreſſi, 876. ſ.
Fidelia vas. 344
Flagellatio ſervorum, fuſtigatio liberorum, 591. ſupplicium crucis præibat, 592. juſta non pro tribunali, ſed de plano, 593. qvædam ad emendationem, non ad mortem. 594
Flagellatus bis non fuit Chriſtus. ibid.
Forenſes Leges apud Judæos, qvæ? 242. earum peculiarem conſiderationem promittit Auctor. *ibid.*
Friſchmuthus (Jo.) laudatur & defenditur. 59. ſ.
Frumenti ſpica, qvare in nummis? 207. ſ.
Funccii ſententia de initio & fine LXX annorum captivitatis, 750. ſ. refellitur, *ibid.* ſ. ejuſdem de Nabopollaſſaro Ptolemæi ſententia, *ibid.* ejuſdem ſententia de initio & fine LXX hebdomadum, 942 refellitur. *ibid.*

G.

GEmaræ auctoritas. 71. ſ.
Γενεὰ Herodoto qvid? 731
Gomor qvid? 397. ſ. 459. ſ.
Gorlæi (Abrah.) Theſaurus numiſmatum laudatur ut rarus. 114
Græcæ lingvæ uſus Judæis tempore Salvatoris penè familiarior fuit Ebræâ. 161
Græcæ voces duplicem ſignificationem obtinere juſſæ, qvòd Hebrææ duplicem obtinerent. 895
Græci corrumpunt voces Orientalium lingvarum, 819. 870 930. aſperiores ſonos emolliunt, 870. puncta vocalia in vocibus ex aliis lingvis deprom-

promptis variè mutant. 870
Græcorum nummi, qvàm vetuſti? 197
Grotius notatus. 301. *p.* 301. *cc. bb.*
Gubernatio qvid præſtet Reipublicæ? 236
Gubernatio Reibubl. Ebræor. planè fuit ſingularis. 239
Gvevaræ nummi an genuini? 53

H.

HÆreditario jure olim nonnulli Reges Ebræor. ad illam dignitatem evecti. 301. *f.* ſ.
Haggæi cap. II. verſ. 4. contra Scaligerum explicatur. 836. ſ.
Hainlini de tempore, qvô ſolutio captivitatis facta eſt, error; itemqve alii. 749. ſ.
השׁב non ſignificat reparare, inſtaurare, 906. ſignificat non tantùm reverti facere, ſed & reverti, 907. ſ. notat iterationem actionis, ut ipſum שוב *ibid.*
Haſmonæi & Pontificatum ſummum & ἐθναρχίαν ſimul ſibi vindicârunt. 200
Haſmonæorum tempore Samaritanæ litteræ ad profanos uſus: Aſſyriacæ ad S. Codicis ſcripturam adhibitæ, 94. 99. eædem etiam in promiſcuo vitæ uſu receptæ, 146. nummos humanâ figurâ ſignare, apud Judæos nefas habitum, 131. omnes nummi, Samaritanis litteris ſignati, ſunt cuſi, 193. Judæi aliunde tranſmiſſas imagines non tulerunt, 127. ſ. cuſi nummi exhibentur à 201. ad 208
Hebræi ſæpe ponunt ſingulare pro plurali, 896. non formant adjectivum à ſubſtantivo, qvod materiam ſignificat, 898. ſæpe abſtractum pro concreto

to ponunt. *ibid.* Vide Ebræi.
Hecteus qvid? 344. ſ.
Hemiectum qvid? 334 345
Hemina qvid? 341. 345
Herodes Auguſti & Antonii impius adulator. 143. 148
Herodis imago in nummo Græco. 149
Herodoti laus & veri amor, 702. ejus cum S. Scripturis convenientia, 713. 758. ſ. ejus de imperio Medorum narratio explicatur & conciliatur. 703. 705
Herodoti vulgaris lectio contra Scaligerum defenſa. 731. ſ.
Herodoti & Cteſiæ narrationes de Medorum Regibus nullâ ratiotione poſſunt conciliari, 722. 735. ſ. Indicis Herodoto Henr. Stephani curâ expreſſo, adjuncti error. 719
Herodotus illuſtratur & emendatur. 452
Heroicum regnum qvale? 190
S. Hieronymo liber de S. fide à Waſmutho perperam adſcriptus. 155
Hieroſolyma qvàm exiguô temporis ſpaciô omnium tribuum commune ſacrarium fuerit? 198. V. Jeruſalem
Hieroſolyma ſancta, 897
Hieroſolymis qvomodo intelligi poſſit vaſtitatem fuiſſe qvartô annô Jojakimi? 769. ſ. eorum excidium prius qvando factum? 772
Hin qvid? 431. ſ.
Hiphil habet qvandóqve ſignificationem intranſitivam. 910
Hominis imaginem referentes nummi ſunt adulterini, 98. 126 diſſentit Hottingerus, 105. refellitur. 133 134. ſ.
Hominum imagines qvando & qvare primùm à Judæis damnatæ? 130. ſed perperam. 137

Hophra

Hophra Jeremiæ eſt Ἀπρίης Herodoti, 739. rectiùs ita dicitur cum Hebræis codicibus, qvam Ἀπρίης cum Herodoto. 870
Hopkinſonii laus & epitaphium. 2. 3. 4
Horâ tertiâ, an ſextâ Chriſtus fuerit crucifixus? 647
Hordeum in cibum tam apud Ebræos, qvàm ex parte apud Romanos ceſſit. 301. ſſ.
Hornius (Georg.) notatur. 712
Hottingeri mortem epigrammate luget Auctor, 90. epiſtola reſponſoria ad Auctorem, 103. conjectura refellitur. 117. 123 147. ſ.
Hottingerus laudatus; 89. 90. 91. 103. 172 201. 206. notatus, 218. ſ. primus in Germania nummum Samaritanis characteribus inſignitum Simeoni Haſmonæo tribuit. 97. 186
Hyſſopo acetum permixtum & Chriſto oblatum qvomodo fuerit? 625. ſ.

I.

Jadduæ Pontificis M. ætas. 832. 835
Janitrices, anus, ancillæ. 585
Idola Babyloniorum. 752. 862
Idola an per metonymiam pro ipſis gentibus poſita Jerem. XLIX? 861. ſ. inducuntur ut Reges & Principes. 858. ſ. 926
Jeruſalajim non demum poſt captivitatem appellari cœpit. 209 fortè ita à Galilæis nuncupata. 210
Jeruſalem urbis diſtinctio in ſuperiorem & inferiorem partem perantiqva. 209
Jeſuæ Pontificis M. ætas, & qvamdiu Pontificatum geſſerit? 831 834
Imagine Salvatoris inſigniti nummi, adulterini,

terini, 139. qvare & à qvibus facti? *ibid.* Moſis ornati nummi adulterini. 139
Imaginem hominis referentes nummi ſunt adulterini, 98. diſſentit Hottingerus, 105 refutatur. 133. ſ.
Imagines vivorum animalium, cumprimis hominis conficere, lege Decalogi prohibitum eſſe, perſvaſum Iſraëlitis ab Haſmonæorum uſqve ætate, 127. ſ. 135. ſ. qvando & qvare primùm damnaverint Judæi. 131
Imago Cherubim ignoratur. 131
Inſtrumenta Dominicæ paſſionis. 639
Intercalatio menſis Adar, qvam fingunt Rabbini, refellitur. 310. *ll.*
Jojakimus à Nechone Rege Ægypti Rex conſtitutus, 766. Nabuchodonoſoro ſe dedidit, *ibid.* conditio ejus, poſtqvàm Nabuchodonoſoro obnoxius factus, *ibid.* 767. 774. non deportatus ab eodem, 767 771. qvotô annô imperii rebellaverit contra Nabuchodonoſorum? 767. ejus cadaver extra portas projectum. 768
Joſaphat qvale judicium inſtituerit? 268. ſ.
Joſephi fides major Thalmudicis traditionibus, 78. 135 ejus locus mendoſus, 301. *n. o.* ejus Periocha de Chriſto, & liber XVIII. Ἀρχαιολογ. expenditur. 78
Joſephi errores de poſtremis Babyloniæ Regibus, 878. ſ. ejus codices corrupti, 880 ejus in componendis hiſtoriis ſacris mala fides, 768. ſ. 931. ejus de conditione Jojakimi narratio minus rectè ſe habet, *ibid.* in qvibus laudem meruerit? *ibid.*

Joſe-

Joſephus laudatur & explicatur, 61. ſ. 273 286. ſ. 594. emendatur, 458. 462. 709. ſ. refellitur, 131. 277. ſ. notatur, 276. ſ. 279. ſ. 768. ſ.
Joſua magiſtratum geſſit, qvalem Moſes, 261 eô regnante qvæ forma regiminis? 272 279. 280
Joſuæ nummus qvalis creditus? 174
qvodnam Iῶτα Matth. V. v. 18. à Salvatore intellectum. 161
Iſraëlis appellatio poſt captivitatem omnibus tribubus iterum communis. 190
Iſraëlitici populi diviſio qvalis? 251. ſ.
Itali ex nummis ſuppoſititiis captant qvæſtum. 149
Jubilæi anni tractationem promittit Auctor. 301. nn.
Judæ proditori non fuêre nummi appenſi. 168
Judæi ſunt falſiſſimi hiſtorici, 77. 301. q. an jus vitæ & necis habuerint Pilatô Præſide? 588. ſ. 681. ſ.
Judæi imagines à gentilibus ad ſe tranſlatos non tulerunt. 127. ſ. à Babylonica captivitate, ad Haſmonæos uſqve non habuerunt jus cudendæ monetæ, 132. 133 conf. 170, nummis humanâ imagine, ſed ab aliis cuſis, uſi ſunt, 133. ante Haſmonæorum tempora ſignatâ monetâ non uſi. 146
Judæi veteres rei monetariæ rudes, 215. ſ. 221. qvi Meſſiam exſpectandum jactitant ex eo, qvod X. tribus nondum ſint ex captivitate ad terram ſanctam reductæ, qvomodo refellendi? 190
Judæis ab Haſmonæorum uſqve ætate perſvaſum, lege Decalogi prohibitum eſſe, conficere hominis aut vivorum

vivorum animalium imagines, 127. ſ. tempore Salvatoris Græca lingva Ebræâ familiarior, 161. cum aliis populis & inter ſe fuerunt olim levia commercia, 167. appellatio Iſraëlis, cum X. tribubus poſt captivitatem fuit communis, 190. qvando & à qvô poteſtas nummi cudendi conceſſa? 193

Judæos à picturis & ſculpturis animalium & hominum non abſtinuiſſe abſolutè, ſententia Seldeni, 106 qvouſqve vera & qvid evincat? 134

Judas in proditionis auctoramentum non accepit nummos Rhodios. 151. ſ.

Judex apud Ebræos idem qvod S. Magiſtratus aut Dictator. 270

Judicare non fuiſſe fas ipſis Regibus Ebræor. figmentum eſt Thalmudicorum, qvod refutatur. 301. *b*. ſ.

Judicari ſolitos, imò vapulationi obnoxios fuiſſe Ebræor. Reges figmentum eſt Rabbinicum. 301. *n*. 301. *o*.

Judices qvi à Moſe inſtituti? 251. ſ. Reges, ſed minus propriè dicti. 282

Judicia conſtituere eſt ſupremæ Poteſtatis, 241. eadem & Magiſtratus à Regibus Ebræor. pro arbitrio inſtituebantur. 301. *a*.

Judicis officium in reis interrogandis. 586. ſ.

Judicium qvale à Joſaphat inſtitutum, & in qvibus cum Synedrio & LXX virali Moſis conveniat, & qvid diſcrepet? 269. ſ. apud Ebræos non fuit duplex, Eccleſiaſticum & forenſe. 270

Judicium Sacerdotale. Vide Sacerdotale.

Judicum tempore, qvæ forma regiminis obtinuerit? 272. ſ. 279

poteſtas

potestas qvalis in Republ. 279. 280. 281. ſ.
Julii Africani de LXX hebdomadibus ſententia, 257. refellitur. *ibid.*
Jura Majeſtatis qvæ? 300
de Jure Regio apud Ebræos juxta Samuelis dictum, 288. 289. ſ. 295. ejus exemplum, 296. 297. ejus denuo fit mentio. I. Sam. X. 299
Jus Regium coram Domino repoſitum, 299
non omnibus Regibus convenit, 289
Jus, vocabulum, qvam variè ſignificet? 288

K.

Ath. Kircherus notatus, 171. 181. ſ. 208. 212. laudatus, 181. 185. primus omnium nummum Samaritanis litteris ornatum tribuit Simeoni Haſmonæo. 185
Τὸ Κύριον in Republ. apud qvos? 237. in qvo ſitum ſit? 240. Vide Poteſtas ſumma.

L.

Laboroſoarchodus qvamdiu regnârit? 779. ejus nomen ex qvibus ſit compoſitum? *ibid.* qvomodo perierit? *ibid.* eſt Belſazar Danielis. 781. 885
Laconicum regnum qvale? 289. 291
Lagena qvid & unde dicatur? 345. 433. ſ.
Lanceâ cur latus Chriſti apertum fuerit? 628
Lancearii milites. *ibid.*
Lapidatio apud Judæos in uſu. 243
Latinâ lingvâ Præſides in ſententiis utebantur. 679
Latinis characteribus non eſt uſus populus Galliæ liberæ. 112
Leges condere eſt Summæ Poteſtatis, 241. conden-

condendi poteſtatem in Republ. Ebræor. ſibi reſervavit Deus, *ibid.* qvomodo in ea ſe gesſerit, *ibid.* qvæ legibus non erant definita, ipſe definivit, 244. alii hoc non fuit fas; 245

Legibus propriis qvædam civitates, permittentibus Romanis, utebantur. 587. 662

Legibus qvidqvam addere, nemini fas, præterqvam Summæ Poteſtati. 245

Legum divinarum politicam interpretationem nemo hactenus dedit. 63. ſ.

Legum ferendarum poteſtatem an & qvatenus habuerint Reges Ebræorum? 300. ſ.

Lex Majeſtatis acriter ſub Tiberio Cæſare exercita. 605. ſ. 685

Lezar, Rezar, Nezar permutata inter ſe in nominibus Babyloniorum. 752. 778

Libella, libra qvid? 314 315. ſ. 345

Lipſius notatur. 243

de Literarum mutatione per Eſdram facta, 154. ſ. non ſtatim à diſceſſione X tribuum. 189

Lithoſtrotos an Lithoſtrotum dici debeat? 608. 686. an fuerit locus tribunalis, vel tribunal ipſum? 607. ſ.

Longævitas qvorundam veterum, 843. ſ. qvæ ejus cauſſæ, 843. ſ. de longævis, qvorum Plinius meminit, 844 de longævis qvi diluvio proximi fuerunt, 844. an hi cum longævis Plinii posſint conferri? 844

Lydiæ regnum qvibus terminis contineatur? 729

M.

MAgdolum an Megiddo? 759

Magiſtratum conſtituere eſt Summæ Poteſtatis. 241

Magiſtratum in Republ. Ebræor. conſtituit ipſe Deus, 347. qvinam

nam geſſerint? 249. ſ.
Magiſtratus municipales licet non haberent animadverſionem, habebant tamen prehenſionem. 584
Magiſtratus ſedentes gravioribus de cauſſis & criminibus cognoſcebant; de levioribus de plano judicabant. 607
Magiſtratus, qvis propriè? 248
Magiſtratus & judicia pro arbitrio Reges Ebræorum inſtituebant. 300. a.
Magiſtratus qvomodo inſtitui debuerit in Palæſtina, juxta præſcriptum Moſis? 261. ſ.
Majeſtatis jura qvæ? 300
Maimonides laudatur, & ejus ſcripta recenſentur. 82. ſ. 301. r.
Malchus, Porphyrius. 912. ſ.
Maldonatus refutatus, 301. bb. notatus, 301. ii. 949. ſ. laudatus. ibid. & 301. z.
Mandata Principum data Præſidibus Provinciarum. 610
Mane & â ſolis ortu Magiſtratus Romani jus dicebant. 586. 660
Manipulus frugum qvare in nummis? 208
Mannæ Urna. Vide Urna.
Mantile lineum, qvô Pilatus manús lavit, inter inſtrumenta Dominicæ paſſionis. 639
Manuum lotio non tantùm ex more Judæorum, ſed & aliarum gentium ad teſtationem innocentiæ. 638. ſ. 664
Mardochæi nummus fictus, 150. 176. qvalis creditus? 175
משח vocis duplex notio cùm de Chriſto uſurpatur. 904
משיח de Chriſto *κατ᾽ ἀντονομασίαν*, 912 fit ita nomen proprium, *ibid.* & tamen verſum, ut plurimum reperitur. *ibid.*
Maſii conjectura refellitur.

tur. 212
Medi cùm defeciſſent ab Aſſyriis, initiô democraticâ Reipubl. formâ fuerunt uſi, 703. & qvidem ſex circiter annos, *ibid.* qvas caufas habuerint, cur ab Aſſyriis deficerent, 713. defecerunt tempore Hiſkiæ, cùm Sennacheribus clade affectus in Palæſtinâ & à ſuis interemptus eſſet, 714 qvot annis poſt defectionem obtinuerint imperium? 705. ſ. qvomodo ſumma CXXVIII annorum, qvam Herodotus ipſe poſuit, & ſumma CLVI, itemqve CL annorum, qvam ex ejus verbis colligere licet, conciliandæ? *ibid.*
Medimnum qvid? 345. ſ.
Medimnus Salaminius 398. ſ. 415. Atticus. 460. ſ.
Medorum Reges, qvi poſt eorum ab Aſſyriis defectionem fuerunt. 703
Medorum imperii gradus & incrementa. 730
Medorum Reges, qvos Herodotus memorat, & illi, qvos Cteſias memorat, perperam vulgò conferuntur. 724. ſ. 735. ſ.
Megaſthenis fragmentum de poſtremis Babyloniæ Regibus. 776. ſ. 879
Henr. Mejerus laudatus. 114
Menſis Adar intercalatio apud Judæos, Rabbinicum figmentum. 301. *ll.*
Menſis qvotuplex? 443
Menſium ratio & intercalatio apud Ægyptios, 420. Græcos. 449
Menſuræ aridorum Hebræorum, 397. ſ. Liqvidorum. 421. 468. ſ.
Menſuræ rerum olim in templis aſſervatæ. 222
Menſurarum modos antiqvi non ſine reſpectu tempo-

temporis inſtituerunt. 419
Merodach idolum Babylonicum, 752. 860 in qvibus nominibus virorum appareat. 752
Merodach in ſacris memoratus eſt Mardokempadus Ptolemæi, 755. ejus initium in qvoto anno æræ Nabonazaréæ, ibid.
Meſſis tempus apud Ebræos qvidam in Pentecoſtis feſtum rejiciunt, 301. z. qvod de triticea verum. 301. gg.
Meſſis frumenti auctumnô ſati, cum Paſchatis feſto cœpit, 301. bb. inprimis hordei. 301. gg.
Metreta qvid? 346
Milites ſupplicium ſumebant de noxiis â Præſidibus Provinciarum damnatis, 618 qvatuor Chriſtum crucifixerunt. 620
à Militia qvinam in Republ. Ebræor. fuerint immunes? 246
Mina Romana, Ægyptia, Italica & nummulariorum. 318. ſ. 323. 465. ſ.
Miſchnæ auctoritas. 71. ſ.
Modius qvid? 346. 415 461. ſ.
Monarchia qvid ſecundùm Ariſtotelem? 238. ſ.
Monetâ ſignatâ non ſunt Judæi uſi ante Haſmonæorum tempora. 146
Moneta Judæorum veræ antiqvitatis pridem periit. 50. ſ.
Monetæ cudendæ jus populo Galliæ à Romanis devicto fuiſſe, probari neqvit, 112 devictis gentibus denegatur, 132. non eſt, niſi iis, qvi ſunt ſui juris, 166. Judæi à captivitate Babylonica ad Haſmonæos uſqve non habuerunt, 132. 166. ab Antiocho primùm Judæis conceſſum. 193
Monetam aliqvam ſacram

eram fuiſſe, Aſſyriacis ſive ſacris litteris ſignatam, figmentum eſt. 170
Monetariæ veteris rei rudes ſunt Judæi. 215. ſ. 221
Morinus notatus. 204 211
Moyſes non fuit Rex Iſraëlitarum, ſed quaſi pro-Rex. 249. ſ. 254. 282
Moyſis imagine inſignitus nummus, adulterinus, 138. facies non fuit atra, Æthiopis inſtar, 141. præ aliis prophetis prærogativa, 261. tempore, quæ forma regiminis in Republica Ebræorum? 271. 278 279. ſ.
Myrrhatum vinum quale Chriſto oblatum? 645

N.

נבואה pro נביא, eiqve ſimilia. 902. ſ.
Nabonazarus rectiùs, qvam Nabonaſſarus. 752
Nabonnedus qvot annis regnarit? 779. qvâ ratione imperio fuerit admotus? *ibid.* eſt Darius Medus Sacræ Scripturæ. 781. 884. ſ.
Nabopollaſſari nomen ex qvibus ſit compoſitum, 752. ejus initium & anni regni, 785. ſ. ejus trigeſimus annus ab Ezechiele notatus. 786. ſ.
Nabopollaſſarus Ptolemæi non eſt Nebucadnezar. 752. ſ.
Nardus piſtica qvænam ſit? 643. ſ. 657. cujus generis? 657
Nebo, idolum Babyloniorum, 752. 859. in qvibus nominibus Virorum appareat? *ibid.*
Nebucadnezar non eſt Nabopollaſſarus Ptolemęi, 752. ſ. ejus regni anni, 774. ſ. ejus initium in qvo anno æræ Nabonazaréæ, 784. ſ. aliqvot annis cum patre Nabopollaſſaro regna-

regnavit. 788
Nechonis Regis Ægypti initium & anni, 758. ejus pugna cum Nabuchodonoſoro ad Euphratem qvando facta? *ibid.* pugnæ ejus cum Joſiâ & Herodotus meminit. *ibid.*
Nehemiam tempore Alexandri Magni ſuperſtitem fuiſſe non poteſt probari. 847
Nergal nomen idoli, 753. qvæ nomina Virorum ex eo compoſita? *ibid.*
Nerigliſſaris anni, 777 nomen ex qvibus compoſitum? *ibid.*
Ninus urbs qvando exciſa? 720. ſ. 757
Niſan menſis anni ſacri apud Ebræos initium, 301. *x.* menſe arare & metere ſoliti Iſraëlitæ. 301. *gg.*
Nitocris, Babyloniæ Regina non expugnavit Ninum, ex mente Herodoti. 720
Nomina eorundem Regum in ſacris & profanis diverſa. 821. ſ. Duo vel tria compluribus ſæpe indita, 833 eadem diverſi ſæpe homines habent. 849
Nomina propria in alias Lingvas verſa. 912
Nomina, qvibus loca qvædam à Prophetis appellantur. 865
de Nomiſmate cenſus. 133
Noxios populus ad pœnam poſcebat clamoribus. 608
Nummi Neronis & Petri Galilæi, 53. ANTONII ULRICI Ducis Br. & L. 101. 139. 175. FERDINANDI ALBERTI Ducis Br. & L. 95. 97. Gvevaræ, 53. Carthaginienſes Punicis characteribus, 96. 97. 98. dubitat Hottingerus, 104. ſententiam ſuam confirmat Auctor. 109. 110. Carthaginienſes eqvinum caput exhibent. 110

 115. E-

115. Ebræorum, qvi Sicli dicti, fuêre argentei, 98. confirmatur hoc à 116. ad 126. object. Hottingeri, 105. ſolvitur, 123. hominis imaginem referentes, ſunt adulterini, 98. confirmarur ſententia, 127. ſ. object. Hottingeri, 105. refutatur. 127. ſ. Ebraicis noſtris characteribus ornati, non ſunt multùm vetuſti 97. ſ. 169. ſ. ætate Haſmonæorum & Herodum cuſi; 193. ſ. imaginem Moſis, Salomonis, Salvatoris referentes, non ſunt genuini. 51. 97. ſ. 105 138. ſ. Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum & Perſarum veterum nulli ſuperſunt. 197. Græcorum vetuſtiſſimi non attingunt bellum Peloponneſicum. *ibid.* Romanorum antiqviſſimi Serviô Tulliô Rege ſunt cuſi. *ibid.*

Nummi Ebræorum argentei & ærei ſuperſtites debentur Haſmonæis, 120. Ebræorum ſingularem elegantiam non habent, 125. ſuppoſititii in Italia freqventer conficiuntur. 140 Rhodii non fuerunt Judæ proditionis auctoramentum, 151. ſ. ſignati non ponderantur, niſi qvi ſunt alterius Reipubl. 163 admodùm ſerò ſignati, non fuêre appenſi Judæ proditori, 168 cum Samaritanarum litterarum inſcriptione Judæorum ſunt, non Samaritanorum, 183. cudendi poteſtas primùm Judæis conceſſa ab Antiocho, 192. conſulares Rom. Qvirinum, A. Marcium, Tatium Sabinum exhibent. 197

Nummi aurei apud antiqvos dimidium pondus

dus argenteorum habuerunt. 334. 335
Nummis æreis ſicli nomen non fuit inſcriptum, 116. humanâ imagine ab aliis ſignatis, uſi ſunt Judæi. 133
de Nummis Seqvanorum, ut putat Chifletius, judicium. 111. ſ.
Nummos litteris Samamaritanis inſignitos captivitate Babylonicâ non eſſe antiqviores, 51. 52. eorum antiqvitas qvalis credita? 185. qvare? 187. ſ. refellitur. *ibid.* Hottingeri reſponſio, 107. ad rem non facit, 196. humanâ figurâ ſignare, nefas habitum apud Judæos tempore Haſmonæorum, 131. non tempore Salomonis, 145. aureos & argenteos ponderabant olim Judæi. 163. Samaritanis litteris ſignatos, qvi viderint? 184. ſ.
Nummum Samaritanis Characteribus ornatum Simeoni Haſmonæo primus omnium tribuit Kircherus, 185 in Germania, Hottingerus, 92. & Auctor. 95. 98. Ebraicis litteris ſignatum non eſſe genuinum. 97 107. ſ. 168. ſ. Samaritanâ ſcripturâ eſſe geminum. 95
Nummus G. Calixti. 97 215. J. Matthesii. 175. Metterneckii, 101. Hetruſcus, 98 de eo judicium Hottingeri, 105. & Auctoris. 113. Gothicus, 98. 104. 112 aureus in paludibus Friſiæ repertus. 113 aureus ſicli pondere adulterinus. 125 Mardochæi, 150. 74 fictus. 150. 176. Græcus cum imagine Herodis, 149. æreus τέλεσφορος χμ, 117 qvænam in illo figura? *ibid.*

O.

OBolus qvid? 325
Obteſtatio Auctoris ad Lectores. 93
Occaſio hujus ſcripti. 89. ſ.
Oenophorum qvid? 347
Oligarchia qvid? 238
Olivæ ramulus νοθείας ſignum in ſiclis argenteis. 181
Ophir qvid? 24
Opiniones præconceptæ qvid poſſint? 192
Optiones, ſeu Commentarienſes res damnatorum retinebant præter veſtimenta. 619
Orca qvid? 347
Orientem verſus cur templa erecta, & orantes ſe verterint? 18
Oſculandi mos Judæis, Perſis & Romanis uſitatus. 623. 675. ſ.
Oſtiariæ ancillæ, anus. 585
Oſtrogothi occupatâ Italiâ Romanos ſibi characteres adſciverunt. 112
Ovum menſuræ genus. 434
Oxibaphus qvid? 347

P.

PAllium Chriſti ut fuerit? 610
Παμβασιλεία qvæ? 290. 291
Pannicularia damnatorum carnifices capiebant. 619
Paradiſus qvando creatus? 5. 6. ejus etymon, 7. amœnitas, 9. ſitus, 10. 11. magnitudo. 16
Paradoxa ſex de Nummis Ebræorum recenſentur, 98. de iis judicium Hottingeri. 105. ſ.
Paradoxon tertium & qvintum planè novum. 92. primum confirmatur, 116. ſecundum, 126. tertium, 169. qvartum, 182. ſ. qvintum, 193. ſ. ſextum. 217. ſ.
Παραλαβεῖν βασιλείαν dicuntur etiam illi, qvi occupant vi. 885

Paſchata

Paſchata qvatuor miniſterii Chriſti, 947. ſ. ubi annotata. *ibid.*
cum Paſchatis feſto meſſem frumenti auctumnô ſati cœpiſſe in Palæſtina, probatur. 301. ʒ, *aa*
C. Patinus laudatus. 50. ſ.
Peccata aliorum ſtatim cernimus non noſtra. 522. ſ.
Pecunia unde dicta? 314
Pecunia olim non numerata, ſed appenſa. 163. ſ.
Pentecoſte qvare feſtum meſſis dictum? 301. *ff.*
in Pentecoſtis feſtum meſſis initium apud Ebræos, à nonnullis rejicitur. 301. z.
Perſarum Reges, 813 ubi in ſacris litteris nominentur? *ibid.* 819 929. 930. cùm imperium cœperunt tractare, mutârunt nomina, 821. dicti etiam in S. Scripturâ Babyloniæ & Aſſyriæ Reges. 718
Pharao nominis veſtigium apud Herodotum in voce Piromis. 739
Phariſæi regiæ monarchiæ hoſtes acerrimi. 301. *p.*
Φιλαλήθεια Auctoris. 93
Phraortes ſecundus rex Medorum. 703. ſ.
Pilatus Samaritanis fortè litteris in titulo crucis eſt uſus, 161
cujus Provinciæ fuerit Præſes tempore Paſſionis Chriſti? 661
contra leges Romanas non fecit; qvòd Chriſtum ſtatim morti tradidit. 609. ſ.
Juris Romani ſciens. 587. Iracundus naturâ, & pervicax fuit. 618. 689
Pileatum caput in qvadrante æris gravis. 197
Pingendi ars qvatenus Philoni laudata. 128
Piſtica nardus qvænam ſit? 643. 657

Poculum qvare in nummis Ebræorum? 207
Pœna ſeditioſorum crux. 609. damnatorum in decimum diem ex Senatuſconſulto dilata. 610
Pœnarum capitalium genera apud Judæos qvæ? 243
Pœnorum veterum qvæ fuerint litterarum elementa non ſatis conſtare putat Hottingerus, 104. Reineſius, 111. contrarium oſtenditur. 111. 115
Pœnorum veterum litteras eaſdem cum Samaritanis credit eſſe Scaliger. 104. neqve ſunt omnino diſſimiles, neqve tamen eædem, imò nonnullæ affiniores Aſſyriis. 111
Politia qvid Ariſtoteli? 239
Pondera olim in templis aſſervata. 223
Ponderatio nummorum, non numeratio olim Judæis in uſu, 163. ſ. ubi obtinuit, non fuit nummus ſignatus, 163. ſ. de nummis ſignatis non inſtituitur, niſi ſint alterius Reipubl. 163
Ponderum diminutio freqvens. 382
Pontifices Maximi, qvi temporibus Regum Perſiæ fuerint? 831. ſ. qvi ſub qvibus Regibus? 833
Populi diſtinctio ſeu diviſio utilis. 252
Populus noxios ad pœnam poſcebat clamoribus. 608. 687
Porticus templi qvare in nummis Ebræor. 207
Poſt decimum diem Kalendarum qvid ſignificet? 655
Poteſtas ſumma apud qvos ſit in Republ. 237. ſ. in qvo conſiſtat? 238. 300. in Republ. Ebræor. fuit penes Deum ipſum. 241. 250. 272. ſ.
Præſes qvid ſignificet? 661

Preces

Preces qvare ad Sanctorum ſepulchra à multis jam olim fuſæ ſint? 231. ſ.
Privilegia in Republ. Ebræor. à Deo ipſo conceſſa. 246
Procuratores Cæſaris ut habuerint jus vitæ & necis in Provinciis? 604. tributa in Provinciis colligebant. 651. ſ.
Purpura qvid? 598
Purpura & coccum qvandoqve confunditur, qvandoqve diſtingvitur. 598. 665
Veſtis militum, aut purpura ipſis attexta, 598. ſ. pro veſte purpurea. *ibid.*

Q.

QVadrans æris gravis refert caput pileatum & qvare? 197
Qvadrans pedis Romani. 338. ſ.
Qvadrans ſicli vix reperitur. 217. Waſeri eſt effictus. 213
Qvadrantal qvid? 247
Qvartarius qvid? *ibid.*
Qvirinus in Rom. nummis conſularibus. 197

R.

RAbbini. Vide Thalmudici.
Ramus Amygdaliferus. Vide Amygdaliferus.
Ῥάπις virgula, fuſtis crepida. 601
Ῥάπισμα percuſſio, vel fuſtis, vel crepida, vel alapa. 601
Reges Ægypti, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum. Vide Ægypti, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum Reges.
Reges impropriè dicti Moſes & Judices. 282
Reges κατὰ νόμον fuêre judices Ebræor. 283 & reges Lacedæmoniorum. 290. ſ.
Reges abſoluti ſoli Deo peccant. 294. ſ.

Reges Ebræorum an & qvatenus habuerint legum ferendarum poteſtatem, 300
Reges Ebræor. habuerunt belli gerendi poteſtatem, 300. *a.* pro arbitrio Magiſtratus & judicia conſtituunt, 301. *a.* qvâ ratione olim ad eam dignitatem evecti, 301. *f.* olim vapulationi fuiſſe obnoxios figmentum Rabbinorum eſt. 301. *o.*
Regia poteſtas qvæ ſecundùm Ariſtotelem? 238
Regia pondera & menſuræ. 412
Regibus Ebræor. non fuiſſe fas, judicare, Rabbinicum figmentum, qvod refutatur. 301. *b.*
de Regio jure apud Samuelem, 288. 289. ſ. ejus exemplum, 296 297. 301. *e.* ejus denuo fit mentio I. Sam. X. 25. 299
Regis electionem Judæis abſolutè mandatam eſſe, qvi credant? 284. hypotheticum mandatum fuiſſe oſtenditur. 285
Regium jus coram Deo fuit repoſitum, 299 non omnibus convenit. 289
Regnorum qvàm variæ ſpecies juxta Ariſtotelem? 289. ſ.
Regnum κατὰ νόμον qvale? 290. 295. Ebræorum non fuit κατὰ νόμον, 294. ſ. objectioni reſpondetur, 301. *d.* ſed fuit deſpoticum, 291. 297 298. Iſraëlitis ſic volentibus. 295
qvod Regum cadavera regiis Ebræor. ſepulchris non fuerint illata, fatô qvôdam contigit. 301. *r.*
Rei de ſociis interrogati. 585
Rempublicam, qvæ conſtituant? qvid tueatur? 240
Rerumpublicarum qvot formæ

formæ juxta Ariſtot. 238. illarum nulla convenit Reipubl. Ebræor. ante Reges. 271. 272
Reſpublicæ omnes à Deo, ſed aliô modô, qvàm Ebræor. gubernantur. 240
Reus ad objecta crimina reſpondere debuit. 601
Rex Judæorum fuit ipſe DEUS. 247
Rhodii nummi Judæ in proditionis auctoramentum non dati. 151. ſ.
Romani qvando primùm nummos ſignaverint? 167. 197
Romanis characteribus devictâ Italiâ uſi ſunt Oſtrogothi. 112

S.

SAbbatici anni initium fuit menſis Tiſri, 301. *ſ. y.* 301. *mm.* argumenta contrària refelluntur. 301. *bb. nn.*
Sabbaticus annus non fuit ille, qvô occupata eſt Palæſtina, ſed ab illo ſeptimus. 301. *y.*
Σάκαια Strabonis. 855
Σάκεαι apud Beroſum feſtum Babyloniorum, 856. id nomen confertur cum Seſach, qvod apud Jeremiam eſt. 870
Sacerdotale judicium non tantùm Summi Sacerdotis, 266. de qvibus conſultum, 263. non fuit planè infallibile, 264. ſed ſecundùm qvid. 265. Synedrio fortè originem dedit, 267. poſt occupatam Palæſtinam demum obtinuit, *ibid.* non fuit Moſis LXX virale, *ibid.* qvæ inter hoc, & illud â Joſaphat inſtitutum, diſcrepantia? 269. ſ.
Sacrificia ex parte in locum pœnarum civilium à Deo Ebræor. imperata. 244

Salomo qvot annorum fuerit, cùm regnum ſuſceperit? 455. ſ.
Salomonem in boum & leonum confectione peccâſſe contra legem divinam, opinio eſt Joſephi, qvæ refutatur. 131
Salomonis effigiem referens nummus probatur Hottingero, 141 142. ab Herode in gratiam M. Antonii percuſſus creditur Villalpando & Urſino, *ibid.* qvod non videtur, 144. fictitius interim rectè Capello audit, *ibid.* id qvod oſtenditur, *ibid.* conf. 171
Salvatori Græca lingva penè familiarior Ebræâ. 161
Salvatoris imagine inſigniti nummi, adulterini omnes, 139 qvare, & â qvibus confecti? *ibid.*
Samaritana ſcriptura olim Ebræa dicta. 159 161
Samaritanis characteribus inſignitum nummum Simeoni Haſmonæo omnium primus tribuit Ath. Kircherus, 185. in Germania Hottingerus. 92. 186
an Samaritanis litteris, an verò Aſſyriis S. Codex primùm ſit conſcriptus? controverſia eſt non magni momenti. 92. 159
Samaritanis litteris ornatos nummos captivitate Babylonicâ eſſe antiqviores oſtendi non poteſt, 98. 182. ſ. qvamqvàm contrarium plurimi crediderint, 184. & qvare? 187. refelluntur, *ibid.* imò aſſertum falſitatis convincitur, 194. objectio Hottingeri, 106. ſ. ad rem non facit. 186
Samaritanis fortè litteris Pilatus in titulo crucis uſus, 159. 161
litteris notati nummi,

mi, à qvibus viſi? 185. illi non à Samaritanis, ſed Judæis confecti, 185. & qvidem Haſmonæorum & Herodum ætate, 193. ſ. non ſemper probæ notæ. 97. ſ. 107. ſ.

Samaritanos characteres fuiſſe in uſu vulgari apud Ebræos, 97. ante Eſram, 153 158 conf. 170. neqve ab illo eſſe rejectos, 160 & ſolis Samaritanis relictos. 187

Sanctorum ſepulchra qvare in tanto honore? 231

Saneballatem, cujus Nehemias meminit, non poteſt probari temporibus Alexandri Magni adhuc ſuperſtitem fuiſſe. 849

Sardanapalus eſt Aſarhaddon. 739. 740

Satum qvid fuerit? 461

Scaligeri (Joſephi) Canon Mathematicus, 715. idem auctor notatur, 731. ſ. 744. ſ. 799. ſ. 804

שבוע ſignificat ἑπτάδα dierum, itemqve annorum. 894

שבעת ſignificat ſeptimum diem, & ſeptem dies. 894

Schah vetus vox Perſarum, 866. adhuc hodie uſitata, *ibid.* Kermanſaa & Seganſaa apud Agath. *ibid.*

שקוץ idolum. 922. ſ.

Schaliſch menſura qvid? 443. ſ.

שמיטה ſignificat ſeptimum annum, & ſeptem annos. 894

Schickardus notatus. 286. ſ.

Schotrim qvi apud Ebræos? 259

שומם 923. 926

S. Scripturæ mos, calamitatem majorem & minorem comprehendendi unô intervallô. 771. Reges etiam adpellat illos, qvi brevi tenuerunt imperium, & per vim occupârunt, 819. multa ejus

ejus ex profanâ hiſtoriâ explicanda, 850 unam eandémqve ſententiam diverſis verbis ſæpe exprimit. 862. 901
Scripturæ ſacræ finis. 695
Scrupulum qvid? 325
Sedebant magiſtratus, de criminibus & gravioribus cauſſis cognoſcentes. 607
Seditioſi ſtatim & ſine ulla dilatione puniendi ê mandatis principum. 610
Seditioſorum pœna crux. 609
Seldenus notatur. 60. 80 134
Semiramis Herodoti malè compoſita à Scaligero cum Semiramide Cteſiæ. 732
Semiſtater aureus qvid? 333
Sennacheribi clades in Palæſtinâ, 708. ſ. eam attigit & Herodotus, *ibid.* eam Ægyptii finxerunt ſuâ cauſſâ illi immiſſam, 709. de verbis, qvæ Beroſo tribuuntur à Joſepho ſuper eadem clade. *ibid.*
Sennacheribi clades non fuit facta prope Hieroſolyma, 710. ſ. facta fuit decimô qvartô annô Hiſkiæ; non tribus annis pôſt. 711
Sententia Pilati ê Tabella recitata, 624. Latinis litteris ſcripta, 616. ſemel recitata mutari non poteſt. 617. 688. ſ.
Septuaginta anni captivitatis, qvibus locis S. Scripturæ ſint determinati? 741. 747 de illis ſententiæ Veterum, 742. recentiorum item, *ibid.* non cœperunt à deportatione Jechoniæ, 744. nec deſierunt vigeſimô nonô annô Cyri, 745. non cœperunt decimô nonô Nabuchodonoſori, 749. cœperunt qvartô Jojakimi, 749. 764 826. deſierunt annô vigeſi-

vigeſimô primô Cyri, 745. 772. ſ. 828
Septuaginta anni captivitatis & vaſtitatis idem initium, eundemqve finem habent. 772. ſ. 827. ſ.
Septuaginta anni, qvorum Jeremias meminit, diverſi ab his, qvorum meminit Zacharias. 830
Septuaginta anni, qvorum Zacharias cap. I. & VII. meminit, cœperunt ſtatim poſt excidium Hieroſolymorum, 795. ſ. non ſeculo & ampliùs pôſt, qvod Scaliger voluit, 804. ſ.
Septuaginta hebdomades annorum non cœperunt tempore Cyri, 928. non ſecundô Darii Nothi, 933. non ſeptimô Artaxerxis, 742. ſed vigeſimô Artaxerxis. 942. ſ.
Septuaginta interpretes qvibus exemplaribus in vertendis Bibliis uſi? 224. *δίδεϱχμον* qvare pro Siclo ponant? *ibid.*
Septuaginta virale collegium à Moſe inſtitutum, 254. qvô fine? 258. qvinam conſtituerint? 259. non fuit Synedrium, 258. ſ.
ad Sepulchra Sanctorum qvare olim preces fuſæ? 231
Sepultura antiqva Romanorum terra, non ignis, 632. peregrinorum. 636
ad Sepulturam corpora animadverſorum conceſſa. 629. ſ.
de Seqvanorum nummis judicium. 112. ſ.
Serendi tempus pro cœli & terræ; ſeminum item differentia varium, 301. *dd.* ſ. apud Iſraëlitas autumnale, 301. *dd.* 301. *ee.* & vernale. 301. *ee.*
Seria qvid? 348
Seſach apud Jerem. qvid ſit? 851. ſ. variæ de eo ſententiæ, 852 863. ſ. 868. ſ. non eſt nomen

nomen idoli Babylonici, 857. 862. ſ. non eſt cognatum Perſico Schah, 866 ſ. apud Jeremiam ſignificat urbem Babylonem, 862. 863. non tamen per talem metonymiam, qvalem Seldenus ſtatuit, *ibid.* non factum eſt per Athbaſch, 862. non eſt appellativum nomen, nec ſignificat feſta agentem, 863. eſt nomen feſti Babylonici, 869. per qvalem metonymiam ea vox ſignificet Babylonem? 871. ſ. ejus cum Σακέας Beroſi collatio. *ibid.*

Seſtertium qvid? 319 320. ſ.

Sextarius qvid? 347

Sicli etiam Samaritanis litteris ſignati non ſemper ſunt probæ notæ, 97. 98. 107 vox propriè ſignificat pondus τετράδραχμον. 119

Sicli etymon, & qvantum valuerit? 349. ſ. nomen ſolis debetur argenteis tetradrachmis, 97. ſ. confirmatur hoc, 116. ſ. nomine non venit olim Ebræus nummus, niſi argenteus, 98 confirmatur ſententia à 116. ad 126 objectio Hottingeri, 105. ſolvitur. 123

Sicli genus non fuit duplex: ſacrum & profanum, 99. qvatenus conſentiat Hottingerus, 108. 218 qvi contrarium ſtatuunt, qvid credant? 219. qvomodo ſententiam probent, *ibid.* refelluntur. 220. ſ. triens & qvadrans vix reperiuntur, 116. nomen æreis nummis non inſcriptum. 116

Sicli ſuperſtites debentur Haſmonæis, 120 198. Aſſyriis litteris ſignati, poſt gentis Judaicæ excidium ſunt confecti, 180. 226 templi

templi ſecundi, qvare referant urnam mannæ & ramum amygdaliferum? 199.ſ. qvi Jeruſalem habent inſcriptum, non ſunt vetuſtiores iis, qvi habent vocem Jeruſalajim, 211. genuini, qvare Samaritanum ἄλεφ ſuper urnam mannæ habebant? 211. 212

in Siclis genuinis eſt urna mannæ, non thuribulum. 180

de Siclo auri. 373.ſ.

Siclorum aureorum, qvando in ſacris fit mentio? 105. qvomodo intelligendum? 123

Siclorum genuinorum natale tempus. 209.ſ.

Siclos argenteos duos conflatos eſſe in aureum, qvomodo intelligendum? 124

Siclos, non nummos Rhodios Judas in proditionis auctoramentum accepit. 151

Siclos, qvi non unius ponderis, ſed alios tetradrachmos, alios didrachmos ſtatuunt, qvomodo ſententiam probent? 220. qvæ tamen refellitur. 221.ſ.

Siclus Sanctuarii qvalis? 222.ſ.

Signa Romanorum pro numinibus habita, 923. qvam formam habuerint? *ibid.*

Sigonius notatus. 243

Siliqva qvid? 325

Simeonis Haſmonæi nummi varii producuntur. 201. 202.ſ.

Sindones Chriſti plures. 631

Sindonis Dominicæ veſtigia & averſo & adverſo cruentata. 595

Singularis numerus ſæpe pro plurali. 896

Smerdis Magus in Perſarum Regibus eſt numerandus, 819. ubi ejus in Scripturis fiat mentio? *ibid.* cur ſe dixerit Artachſaſtham? 823. ejus facilitas. *ibid.*

Solutio captivitatis mox ſecuta fuit victoriam Cyri de Nabonnedo. 745.749
Sorte Romani in pleriſqve utebantur. 621. ſ. 669
Sortem qvomodo milites ſuper veſtem Chriſti miſerint? 621
Ez. Spanhemius laudatus. 147. 149
Speculatores, carnifices veſtes damnatorum capiebant. 619
Spica frumenti, qvare in nummis Ebræor. 207. ſ.
Spina peccatum refert. 596
Spinea corona Chriſti è qvo genere ſpinarum? ibid.
Stater aureus & argenteus qvid? 333. 349. 350. ſ. 387. ſ. â Syris 4. Zuzis ſeu denariis Romanis definitur, 105. non ſolùm monetam, ſed pondus etiam ſignificat. 124
Subſtantiva geminata, ſeipſa regentia. 903. ſ.
Subſtantivum pro adjectivo. 898. 903. ſ.
Sudarium capitis Chriſti. 631
Suffetes, qvi olim & apud qvos? 271
Suggerere eſt judicem cognoſcentem monere. 638
Suſpendium apud Judæos in uſu. 243
Synedrium qvando inſtitutum creditur? 255 qvæ Rabbinorum de eo ſententia? ibid. & 267. ſ. qvalis ejus poteſtas juxta Rabbinorum ſententiam? 301. b. qvæ tamen fabuloſa, 301. i. non poteſt nobis de eo niſi ex S. litteris conſtare, 257. ſ. ibi autem nihil de eo reperitur, 301. k. neqve apud Joſephum qvicqvam, ibid. 301. m. probari non poteſt ex Num. XI. 257. ſ. nec ex Deut. XVII. 262. ſ. occaſionem fortè ex ſacerdotali judicio ſumpſit, 267. ſ.

267. ſ. in qvibus conveniat cum judicio à Joſaphat inſtituto? 269. ſ. qvando primùm ortum videatur? 268. 301. l. ſ.
Συγχυσίαι in hiſtoriis, ut diverſis hominibus eadem fuerint nomina, & eadem qvoqve illi egerint. 849
Syri in re nummaria veterum hoſpites, 105 deſpoticè gubernati. 292

T.

Tabula Eugubina conficta. 113
Talenta tam varia & multa cur apud Hebræos & in ſacris legantur? 362. ſ. 365. ſ. de Talento auri. 373
Talentum Atticum, Babylonium, Ægineum, Syrium, parvum, aureum &c. qvid? 326. 335. minus publicum, 355. ſ. majus publicum, 359. ſ. numiſmaticum, 357 ſ. ſanctuarii, Græcorum, 354. 356. regium, 360. ſ. Ægyptium, 363. ſ. qvàm variè dividatur? 364. ſ.
Tatius Sabinus in Rom. nummis conſularibus. 197
Templi porticus qvare in nummis? 207. ſ.
Templum Hieroſolymitanum ſecundô annô Darii Hyſtaſpis inſtauratum, 793. ſ. 799. Veterum de eo ſententia, ibid. 803. ſ. qvæ incommoda Scaligeri ſententiam premant. 832. ſ. 836. ſ.
Tempora ſtata, qvibus Hebræi, cùm in Babyloniam deportati eſſent, ſolemniter luxerunt, 797. ſ. cauſſæ ejus, ibid. cœperunt inſtitui, cùm Hebræi in Babyloniam primùm veniſſent; non centum annis poſt. 798
Tenebras tempore Dominicæ paſſionis contigiſſe, Phlegon Hiſtoricus ſcripſerat. 641

Teſtimonia adverſus Chriſtum non convenientia. 644
Teſtimonium Patrum qvatenus recipiendum? 221
Teſtium productio & examinatio qvomodo fieri debeat? 659
Tetraſtateres qvid? 333. ſ.
Thalmudicæ traditiones qvantæ ſint auctoritatis & qvatenus iis fidendum? 72. 73. 74. ſ. 86. ſ. 301. p. & y.
Thalmudici in deſcribenda Cherubim figura vani ſunt. 131
Thalmudicorum fides minor Joſephi, 78. 135. eorum ſententia de ſynedrio fabuloſa. 301. l. m.
de Thalmudis confectione & tempore, 73. 162. Eſt vanum & abſurdum opus. 84 Expedit, ut opus iſtud vertatur, & vanitas ejus apertam in lucem protrahatur. 85. ſ.
Themiſtoclis fuga ex Græciâ, & in Perſiam adventus. 959
Θεοκρατία fuit Ebræor. Reſpubl. ſub Moſe & Judicibus. 273. 283
Thuribulum in adulterinis Siclis conſpicitur. 180
Tiſri menſis primus anni civilis apud Judæos. 301. x.
Titulus à cruce Chriſti ſeparatus, eiqve adjectus, 615. ut tribus lingvis ſcriptus fuerit? 615. ſ.
Τόπος ἅγιος Matth. XXIV. 15. qvid ſit? 925
Tribubus X. Iſraëlis appellatio poſt captivitatem non ſolis competiit ſed fuit communis cum ceteris Judæis. 190
Tribus X. libertatem promiſſam & oblatam repudiârunt. 192
Tributa in Provinciis Procuratoris Cæſaris, Præfecti Prætorio, & Comites ſacrarum

crarum largitionum colligebant. 651. ſ.
Triens ſicli vix reperitur. 116. Waſeri eſt confictus. 213
Τελεύς qvid? 348
Tunica Chriſti inconſutilis qvænam fuerit? 620. ſ.
Tyrannis qvæ ſecundùm Ariſtotelem? 238

V.

Vim habet coniunctionis cauſalis. 811. ſ.
Vas acetô plenum, ad qvid poſitum fuerit ad crucem Chriſti? 623
Verſio Arabica, qvæ eſt in opere Pariſienſi, ad Græcam expreſſa. 8 4. 906. 915
Verſio Germanica laudatur. 7 2. 811
Verſio Latina Vulgata reprehenditur, 793 814. 916. 921. ſæpe congruit cum malâ Græcâ, 814. 916 921. nec rarò tamen rectiùs habet. 901 909. 917
Verſio Syriaca, qvæ in opere Pariſienſi eſt, laudatur. 901. 909. Vide Biblior. Verſiones ſub B.
Veſtes damnatorum & pannicularia carnifices capiebant. 619
Veſtimenta ſua aliter à ceteris Pontifex Judæorum ſcindebat. 634
Villalpandus notatur. 143. 201. 206. ſ. 209. ſ. 212
Vincula alia reorum, alia damnatorum. 635
Vinum myrrhatum qvale, & cur Chriſto oblatum fuerit? 645
Virga Aaronis. Vide Amygdalifera virga.
Uncia qvid? 324
Ungi de Chriſto uſurpatum duplicem habet notionem. 904
Vocalia puncta variè mutantur à Græcis, cùm hi exoticarum Lingvarum vocabula expri-

exprimunt. 870
Voluntas punita abſqve facto ſecundùm leges Judaicas & Romanas. 644
J. G. Voſſius laudatus. 137
Urna Mannæ non thuribulum in ſiclis bonæ notæ, 180. fortè ex Babylone rediit, 198. qvare in ſiclis templi ſecundi? 199 olim propè arcam aſſervata. *ibid.*
Uxores ſuas habebant Præſides ſecum in Provinciis. 637. ſ.

W.

WAltonus notatur. 208
Waſerus transſcripſit nonnulla ex Aria Montano, 122. notatur. 210
Waſmuthus notatur. 67 92. 155

X.

XEnophontis παιδεία Κύρυ. 875
Xerxes Herodoti eſt Ahaſverus in libro Eſther memoratus, 817. ſ. non eſt nominatus in c. IV. Eſræ. 814. ſ. Artabazani fratri, majori natu, in regno prælatus, 958. qvot annis regnarit? 803
Xeſtes qvid? 348

INDEX

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,
quæ paſſim citantur & illuſtrantur.

GENESIS.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	8.	5
	10.	19
	11.	20
	12.	25. 27
	13.	28
	14.	33
VI.	15.	394
IX.	25.	903
XV.	13.	771
XVIII.	6.	407
XX.	3.	812
	16.	121
XXII.	17.	494
XXIII.	16.	164
XXIV.	14.	423
	22.	373
XXVII.	40.	921
XXIX.	13.	675
	28.	895
	55.	454
XXX.	14.	301. *gg*
XXXII.	11.	493
XXXVII.	28.	375. 382
		388
XXXVIII.	25. 26.	550
XLI.	29.	493
XLV.	22.	376. 383
XLIX.	26.	570

EXODUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	51.	303. *cc*
XII.	2.	301. *x*
	40.	771
XIV.	2.	759
XVI.	35. 36.	406. 460
		464
XVII.	16.	285
XVIII.	17. ſ.	250. 260
XIX.	6.	247
XX.	2.	241
	4.	138
XXII.	17.	164
	26.	301. *pp*
XXIII.	16.	301. *aa. cc*
XXIV.	14.	837
XXVI.	21.	899
	33.	903
XXIX.	40.	437
XXX.	12. 13. 14. 15.	120
		350
	23. 24. 25.	436

XXXII.

Cap.	Verſ.	Pag.
XXXII.	12.	494
XXXIV.	21.	301. *bb.bb.*
	22.	301. *dd*
XXXVIII.	25. 26.	350

LEVITICUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	14.	301. *cc. ll*
VI.	10.	899
X.		243
XIV.	12.	434
XVII.	15.	222
XIX.	36.	409. 431
		439
XXIV.	10. 11. 12. ſ.	243
XXV.	2.	301. *u*
	21.	301. *oo*
	22.	301. *nn*

NUMER.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	2. 3. 4. 47.	246 ſ.
III.	32.	903
IX.	8.	244
XI.		243. 254. 258. ſ.
	6. 7. 8.	261
	11. 13. 14.	249
		255. 258
	16. 17.	255. 258
		301. *m*
	18. 19. 20. 37.	403
		404
XII.		243
	3.	249
XIV.	6.	634
	14.	243. 246
	42.	247
XV.	34. 35.	243
XVI.		243
XXI.	29.	858
XXV.	4.	243. 247
XXVI.		253
XXVII.	5. 8. 9.	244
XXVIII.	5. 7. 14.	437
XXXI.	2.	247. 254
XXXIII.	7.	759
XXXVI.	6. 7. 8. 9.	244

DEUTER.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	10.	494
	15. 17.	251. 259
	41.	899
IV.	2.	246
X.	20.	494
XVI.	18.	262
	9. 10.	301. *aa. bb*
XVII.		259
	6.	264
	7. 8. 9. 10.	262
	14. ſ.	285
	15.	301. *f*
	16.	299
	18. 19.	294. 300
	20.	301. *g*
XIX.	15.	264
XX.	1. 4. 5. 6. 7. 8. 9.	246
		837

Cap.	Verſ.	Pag.
XXI.	23.	626
XXXIII.		282
	5.	249

JOSUÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	17.	282
III.	15.	301. *bb*
IV.	16.	*ibid.*
V.	8.	203
VII.	16.17.ſ.	251.ſ.
X.	4.	493
XXIII.		282
	14.	533.ſ.

JUDIC.

Cap.	Verſ.	Pag.
VII.	13.	301. *ff*
VIII.		283
	23.	248
IX.	4.	388
X.	8.	447.ſ.
XV.	1.	301.gg
XVI.	2.	377
	6.	380
XVII.	3.	379.
	6.	283
XVIII.	1.	283
	2.3.4.10.	377
XIX.	1.	283
XX.	28.	843

RUTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	14.	624

I. SAM.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	1.	457
VIII.	7.	247.284
		297.298
	9.10.	288.289
	11.12.	297
	13.18.	299.ſ.
	14.	296
X.	1.	301.*f*
	25.	299
XI.		301.g
XII.	12.	248
	17.	301.gg
XIII.	1.	447
	21.	391
XIV.	45.47.	301.532
XVII.	5.6.7.	392
XXI.	1.	834
XXVII.	7.	453
XXIX.	3.	454

II. SAM.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	9.	301.*b*
V.	1.2.	301.*b*
XIV.	11.	533
	26.	222.224.361
	30.	301.gg
XV.	7.	503
XVIII.	11.	374
XXI.	16.	296
XXIV.	13.	457
	24.	119.357

I. REG.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	52.	533
IV.	22.	397
	29.	493
V.	11.	397. 399
		430. 439
VII.	26.	422
	38.	430
X.	10.	357
	17.	381
	29.	378. 383
XI.		301. g
XII.	4.	298
XIII.	22.	301. v
XVIII.	32.	444
XX.	39.	164
	40.	917
XXI.	7.	296. ſ.

II. REG.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	42.	301. ff
VI.	25.	418
VII.	1. 16.	121. 301. ff
	2. 17. 19.	443
X.	10.	533
XIV.	22.	907
XV.	20.	120
XVII.	6.	714
XVIII.	11. 24.	714
	30.	753
	37.	634
XIX.	1.	634. 708

Cap.	Verſ.	Pag.
		711. ſ.
XX.	12.	811
XXI.	16.	297. 391
XXIII.	29.	718. 759
	33.	365. 386
XXIV.	1.	767. ſ.

I. PARAL.

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	5.	209
VI.	9.	834
XXI.	25.	105. 123
		164. 358
XXII.	12.	456
	14.	364. 387
XXIII.	29.	223
XXVII.	19.	301. b
XXIX.	5.	301. g
XXX.	1.	301. g

II. PARAL.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	17.	385
II.	10.	397. 430
III.	6.	24
IV.	5.	422
IX.	16.	381
XIX.	5.	301. x
	8.	269
XXI.	3. 12.	301. d
XXIV.		301. r
XXVIII.		301. r
XXX.	6. 12.	301. d.
XXXIII.	11.	717

Cap.	Verſ.	Pag.
XXXVI.	3.	365
	6.	770
	20. 21.	742. 827
	22.	745. 763
		783. 807

ESR.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	745. 763
		783. 807
III.	12.	841
IV.	5. 6. 7.	808. ſ. 811
		813. 820
	14.	817
	24.	826
V.	12.	748
VI.	3.	747
	14.	817
	22.	718
VII.		191
	1.	820
	22.	397
VIII.	25. 26. 29.	165
	33.	833
IX.	3.	634

NEHEM.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	788
VII.		191
XII.	1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.	831
	12.	834
XIII.	6.	718. 931
	28.	848

ESTH.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	6.	209

JOB.

Cap.	Verſ.	Pag.
XIV.	1.	917

PSAL.

Pſal.	Verſ.	Pag.
II.	6.	899
XVII.	2.	298
XXVI.	6.	638
XXXV.	19.	899
	21.	896
LI.	6.	298
LXXII.	5. 6.	569
LXXX.	6.	443
LXXXVII.	4.	865
LXXXIX.	11.	865
CV.	23.	862

PROVERB.

Cap.	Verſ.	Pag
XXVI.	11.	510
XXXI.	6. 7.	646

COHEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	4.	298

JESA.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	20.	899
V.	10.	399. 406
X.	22.	897
XXVII.	8.	550
XXVIII.	7. 15. & 18.	903

Cap.	Verſ.	Pag.
XXIX.	1.	865
XXXI.	7.	899
XXXVII.		708, 711
	9.10.	712
	30.	712
	33.	710
XXXIX.	1.	7.5.811
XL.	12.	443
XLV.	1.	913
XLVI.	6.	164
XLIX.	8.	926
LI.	9.	865
LV.	1. 2.	164. ſ.

JEREM.

Cap.	Verſ.	Pag
XVIII.	26.	209
XXV.	1.	721
	11.12.	656.741.ſ. 746.769 827
	17.18.	765.ſ.826.ſ.
	27.	850.ſ.
XXIX.	10.	741
XXXII.	9.10.	165
XXXVIII.	5.	301.e
XXXIX.	3.	753
XLIV.	1.	759
	30.	870
XLVIII.	7.	858.859
	46.	858
XLIX.	1.	858.860 927

Cap.	Verſ.	Pag.
L.	1.	860
	2.	752
	18.	719.757
LI.	3.& 36.	874
	39.40.41.	872
	41.	850
	59.	757

THREN.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	16.	926
V.	15.	926

EZECH.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1.	786
IV.	12.	301.ff.432
	15.	921
V.	2.	746
XVI.	27.	899
XXI.	31.	544
XXIII.	4.	865
XLV.	10.11.12.13.14.	397.409.410.412 427.ſ. 431. 435 438.ſ. 440. 460 465.ſ.
	24.	437
XLVI.	5.7.11.14.	437

DANIEL.

Cap.	Verſ.	Pag.
IV.	5.	752
V.	31.	781.885
VI.	28.	781

IX. 1. ſ.

Digitized by Google

S. SCRIPTURÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	1. ſ.	741. ſ. 781
	24. 25. 26. 27.	890. ſ.
XI.	2.	820
	31.	922
XII.	2.	813
	11.	922
	HOS.	
III.	2.	418
	AMOS.	
I.	5.	15
	JON.	
I.	13.	910
	NAHUM.	
III.	16.	494
	ZEPH.	
II.	14.	719
	HAGG.	
II.	4.	836
	7. 8. 9. 10.	840
	ZACH.	
I.	12.	793
	14. ſ.	795
VII.	5.	796
	16. 17. 18. 19.	797. ſ.
XI.	12.	389
	TOBIÆ.	
IV.	15.	561
	ECCLESIAST.	
XVII.	15.	248
	I. MACCAB.	
I.	57.	923
VI.	19.	301. x

Cap.	Verſ.	Pag.
X.	40.	383
	47.	355. ſ.
XIII.	41.	194
XIV.	24.	369
XV.	6.	194
	II. MACCAB.	
VI.	2.	923
	MATTH.	
III.	11.	567
V.	15.	461
	18.	161. 567
		570
	41.	640
VI.	34.	555
VII.	2.	546
	3. 4. 5. 6.	516
		520. ſ.
	9.	837
	12.	559
X.	24.	552
	30.	356
XI.	16.	564
XII.	1.	951
	25.	558
XIII.	31. ſ.	489
XVII.	20.	485. ſ.
XVIII.	16.	264
XIX.	24.	495
XXIII.	12.	538
	24.	505
	25.	571
	35.	834

Cap.	Verſ.	Pag.
XXIV.	15.	921.ſ.
XXVI.	2.	655
	5.	168. 948
	7.	656
	12.	657
	15.	633
	26.	591. 657
	49.	633
	53.	633
	62.	659
	65.	634
	67.	601. 634
		659
	69.	634. 660
XXVII.	1.	660
	2.	603. 635
		660
	3.	389
	6.	636
	7.	636. 661
	9.	389
	15.	637. 662
		948
	19.	637. 662.ſ.
	22.	663.ſ.
	24.	638
	26.	639. 664.ſ.
	28.	598. 639
		665.ſ.
	29.	666.ſ.
	32.	666.ſ.
	34.	640. 667.ſ.

Cap.	Verſ.	Pag.
	35.	618. 640
		668.ſ.
	37.	614. 669
	39.	639.ſ.
	45.	641
	48.	641. 670
	54.	651.ſ. 670
	58.	671
	63.	642. 656
		671
	65.	642. 672
	66.	643

MARC.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	7.	567
II.	26.	834
III.	24. 25.	558.ſ.
IV.	24.	550
VIII.	51.	656
X.	25.	495
XIV.	3.	643. 656
	11.	168. 672
	56.	644
	57.	673
	65.	645
XV.	6.	948.ſ.
	17.	599
	18.	673
	19.	601
	23.	640. 645
		668
	25.	647. 674

26.

Cap.	Verſ.	Pag.
	26.	614. 649
	33.	650
	36.	650
	43.	650
	44.	642

LUC.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	52.	544
II.	21.	656. 746
IV.	23.	526. ſ.
VI.	1.	951
	31.	559
	38.	545
	40.	552. ſ.
VII.	32.	564
	45.	675. ſ.
IX.	51.	952
XI.	17.	558. ſ.
XII.	7.	536. ſ.
	48.	549
XIV.	5.	836
	11.	539
XV.	4.	836
XVI.	17.	495. 568. ſ.
XVIII.	14.	539. ſ.
	25.	495
XIX.	16.	467
XXI.	18.	536
	20.	921
XXII.	5.	168
	38.	674
	47.	675
	61.	651
	71.	677
XXIII.	2.	651. 678
	7.	652. 678
	16.	593
	26.	613
	31.	472
	38.	678. ſ.

JOHAN.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	41.	912
II.	6.	430
	13.	948
IV.	25.	912. ſ.
	35.	948 ſ.
	37.	575. ſ.
V.	1.	948 ſ.
VI.	4.	950
	9. 13.	301. ff
VIII.	10.	681
	20.	9. præfat.
X.	6.	530
XII.	5.	390
XIII.	16.	553
XV.	20.	553
XVIII.	3. 12.	583. 680
	16.	585
	19.	585. 680
	22.	585
	28.	586
	29.	586. 680
	31.	587. 588
		681

Cap.	Verſ.	Pag.
	39.	591
XIX.	1.	591
	2.	596. 598
	3.	600
	10.	601. ſ. 604
		682. ſ.
	12.	605. ſ. 685
	13.	607 ſ. 685. ſ.
	14.	647
	15.	608. 609
		687
	16.	609. 687
	17.	612
	18.	613
	19.	714. ſ.
	20.	615. ſ.
	22.	617. ſ. 688 ſ.
	23.	618. ſ. 689
	24.	621. ſ.
	29.	623. ſ. 689. ſ.
	31.	625. ſ. 690 ſ.
	34.	628. ſ. 691
	38.	629. ſ.
	40.	631. ſ. 691
XX.	24.	912
	31.	695

ACTOR.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	1.	656
IX.	5.	574
	39.	912
XII.	3.	585
XIV.	14.	624
XXI.	3.	584
	36.	608
XXVII.	34.	531

ROM.

IX.	27.	491
XV.	4.	695

I. CORINTH.

XIII.	2.	264. 562

EPHES.

V.	24.	264

COLOSS.

III.	20.	264

II. THESSAL.

III.	10.	562

II. PETRI.

II.	22.	509

HEBR.

XI.	12.	491. 494

APOCAL.

XX.	8.	491

F I N I S.

Digitized by Google